THE UNIVERSITY
OF ILLINOIS
LIBRARY

875.1
B19c2

Vahlen Library
1913



The person charging this material is responsible for its return on or before the **Latest Date** stamped below.

Theft, mutilation, and underlining of books are reasons for disciplinary action and may result in dismissal from the University.

UNIVERSITY OF ILLINOIS LIBRARY AT URBANA-CHAMPAIGN

APR 29 1971

L161—O-1096

Digitized by the Internet Archive
in 2026 with funding from
University of Illinois Urbana-Champaign

https://archive.org/details/jacobibaldecarmi00bald

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

Iacobus Balde Vates Boiorum.

JACOBI BALDE

SOC. JES.

CARMINA LYRICA.

RECOGNOVIT

ANNOTATIONIBUSQUE

ILLUSTRAVIT

P. BENNO MÜLLER O. S. B.,

PHIL. ET SS. THEOL. DOCTOR, H. T. GYM. PROF. ET RECTOR.

PERMITTENTE SUPERIORE.

EDITIO NOVA.

RATISBONAE.

ALFRED COPPENRATH.

Herder

an den deutschen Leser.

Balde war ein Deutscher, der im siebenzehnten Jahrhundert lebte und für sein Vaterland mit Begeisterung als Dichter kämpfte. Mögen seine Gesänge auch in unserer Zeit die Wirkung thun, dazu die Kraft in ihnen liegt. Der lyrische Dichter ist ein Seher, der nicht in eigenem Namen, sondern aus Kraft des ihn begeisternden Gottes den Sterblichen Lehre und Trost ans Herz legt und Wahrheit verkündigt.

Balde thut dieses in einer grossen Art. Starke Gesinnungen, erhabene Gedanken, goldne Lehren, vermischt mit zarten Empfindungen fürs Wohl der Menschheit und für das Glück seines Vaterlandes strömen aus seiner vollen Brust, aus seiner innig bewegten Seele. Nirgend buhlt er um Beifall; ein strenger Umriss bezeichnet seine Denkart, auch wo er am sanftesten redet. Er lebte in den Zeiten des dreissigjährigen Krieges, und sah die jammervollen Scenen desselben. Mit verwundetem Herzen tröstete er die Vertriebe-

nen, richtete die Gesunkenen auf; indem er das Schicksal Deutschlands beweinte, suchte er Deutschlands bessern Geist zu wecken, und es zur Tapferkeit, Redlichkeit, Eintracht zu ermahnen. Wie ergrimmt ist er gegen die falschen Staatskünstler! wie entbrannt für die gesunkene Ehre und Tugend seines Landes! Allenthalben in seinen Gedichten sieht man seine ausgebreitete, tiefe, schneidende Weltkenntniss, bei einer ächtphilosophischen Geisteswürde. In diesem und in mehrerem Betracht ist er ein Dichter Deutschlands *für alle Zeiten:* manche seiner Oden sind von so frischer Farbe, als wären sie in den neuesten Jahren geschrieben.

Und diesen Schatz von Empfindungen bietet er uns in einer Form dar, die unstreitig zu den glücklichsten gehört, deren sich die menschliche Sprache bedienen darf; ich meine die *lyrische Weise.* Sie bricht die Blume der schönsten Gesinnungen und ordnet sie mit Grazienhand zum Kranze. Ueber den gemeinen Gang der Dinge erhoben, gibt die lyrische Muse uns eine höhere Ansicht dieser Dinge, und weiss uns in wenigen Strophen mehr zu sagen, als lange Abhandlungen sagen könnten: denn sie gibt reine Resultate; Resultate langer Erfahrung, tiefer Betrachtung,

inniger Gefühle. Durch Wohlklang spricht sie zu unserm Ohr, durch eine geordnete Reihe von Bildern und Empfindungen zu unserer Seele, bis sie ihr kleines, in allen Theilen durchdachtes Kunstwerk, so bald es seyn kann, oft unvermuthet, immer aber auf eine befriedigende Weise vollendet.

Gleich dem Horaz hat Balde seine lyrischen Gedichte in vier Bücher und Ein Buch Epoden geordnet. An Zahl der Gesänge übertrifft er den Römer bei weitem, vielleicht auch an Reichthum *eigenthümlicher Wendungen* und an dem, was man genialische Composition nennen könnte: natürlich aber konnte er in Anpreisung eines heidnischen Lebensgenusses mit dem Venusiner nicht wetteifern wollen; am wenigsten durfte und wollte er sich in Epoden erlauben, was sich der Römer erlaubte. Dem Libertinismus des Horaz in der Denkart war nicht nur seine Regel, sondern auch sein Charakter zuwider. Dagegen, was moralisch gross und schön, oder heiliglieblich und wohllautend ist, deutsche Stärke, stoische Tugend, christliche Sittlichkeit, andächtige oder thätige Liebe hat er in jeder ihm nahen Situation angepriesen. Muthiger aber noch und stärker hat er die Laster angegriffen, den Frevel entschleiert, die Heu-

chelei und Tyrannei gebändigt. Er umfasst viele, grosse, merkwürdige Gegenstände mit einer grossen Seele; und an Formen der Composition, an lyrischen Abwechselungen und Einkleidungen ist er so reich, als irgend kaum ein anderer Dichter. Bringt man hiezu noch die hohe Bedeutsamkeit seiner Gesänge für die christliche Ueberzeugung in Anschlag, so stehen sie eben so wenig an Grösse des Inhalts, als an Genie und Kunst, den Römischen nach, wenn gleich er sein München nicht in die Hauptstadt der Welt, *Rom*, seinen grossen Maximilian nicht in einen Cäsar-Augustus umschaffen konnte. Wie manche süsse Stunde der Mitternacht, ja ich darf sagen wie manche tiefere Furche der innern Cultur habe ich unserm Dichter zu danken! Er kann und soll uns Allen Stimme und Vorbild seyn, wie auch wir, in und ausser Horazens Weise, für unsere Zeit werden, was an uns unsre Zeit bedarf.

Index Odarum

JACOBI BALDE.

LYRICORUM LIB. I.

Ode I. Commendatio frugalis vitae et quieti animi. Abdolonymi felicitas.

Ode II. Moderatoribus esse obtemperandum.

Ode III. Thomae Mori constantia.

Ode IV. Seni cantum non convenire.

Ode V. Coelum liquidum.

Ode VI. Animi generosi libertas.

Ode VII. Pravi amoris indoles.

Ode VIII. Germania suis cupiditatibus periens.

Ode IX. Nosce teipsum.

Ode X. Samso resipiscens; sive viduus de vitae statu deliberans.

Ode XI. Commendat Flavii Leonis vinum.

Ode XII. Parodia et Palinodia ad amphoram cerevisiariam.

Ode XIII. Iacturam divitiarum sapienti non aestimandam esse.

Ode XIV. Pyladis hortus, seu symbolum amicitiae.

Ode XV. Iocus saturnalitius.
Ode XVI. Laus P. Hieremiae Drexelii.
Ode XVII. In Monarchis quid mirandum et optandum.
Ode XVIII. Gratulatio coelibem vitam agere destinanti facta.
Ode XIX. Gotefridi Henrici Pappenhemii inclyta mors in pugna Lycia.
Ode XX. Solatur egentis desideria.
Ode XXI. Suspiciosum et querulum demulcet.
Ode XXII. Circulus Platonicus sive mens humana.
Ode XXIII. Batrachomyomachiam editurus etc.
Ode XXIV. Incorruptae mentis aequitatem commendat ad Iurisperitum etc.
Ode XXV. Futura per enthusiasmum praedicit.
Ode XXVI. Gaudium bonae mentis.
Ode XXVII. Ut senex prompto animo mortem admittat.
Ode XXVIII. Narcissum dehortatur a philautia.
Ode XXIX. Non delectari se fracto et molliori cantu.
Ode XXX. Tectum et multiplicem agendi modum reprehendit.
Ode XXXI. Quaedam sapienter tacenda fortiter esse dissimulanda.
Ode XXXII. Aetatem factis, non annis extendi.
Ode XXXIII. Iephten tragoediam exhibiturus Ingolstadii.
Ode XXXIV. Ad maciem in die natali.
Ode XXXV. In funere filii primogeniti, consolatio stoica.
Ode XXXVI. Melancholia, cum occuparetur sacum a Winmario.

Ode XXXVII. Ad Germanos cum sub ipsa Bacchanalia Suecus Germaniam vastaret et Turca irrupturus timeretur.
Ode XXXVIII. Ad Aquilam Romani Imperii.
Ode XXXIX. Tres Heroes. Georgius Castriotus Scanderbegus Princeps Epiri.
Ode XL. Ioannes, Austriacus navali pugna ad Echinadas contra Selimum II. Turc. Imp. celeberrimus.
Ode XLI. Ioannes Hunniades terror Turcarum dictus.
Ode XLII. Se deinceps D. Virginis vatem et encomiasten fore.
Ode XLIII. Se delectari laudibus D. Virginis canendis.

LYRICORUM LIB. II.

Ode I. Celeusma Marianum, sive laudes D. Virginis ex ss. Litt.
Ode II. Milo Crotoniates senex, humanae imbecillitatis monitor.
Ode III. Paean Boicus, cum Monachii victoriae Pragensis memoria iteraretur.
Ode IV. Ad Matrem amabilem.
Ode V. De posteris primi Adami.
Ode VI. Ad Carolum Wetteravium in magni Principis obsequia transiturum, Protrepticon.
Ode VII. Votum Parthenii sodalis ex formula Propono firmiter etc.
Ode VIII. In funere divitis, cum sepeliretur.
Ode IX. De quinquies viduo Suevo.
Ode X. De moribus et natura sapientis.
Ode XI. Ad D. Virginem in sylva quietis etc.

Ode XII. Fuge dilecte mi et assimilare capreae etc.
Ode XIII. Alberti Wallensteinii fatalis exitus.
Ode XIV. Ad D. Virginem, propempticon venatorium.
Ode XV. Urna Minois, sive iustum iudicium.
Ode XVI. Maria Aegyptiaca poenitens.
Ode XVII. Paean Parthenius, Boiarum Virginum defensa castitas.
Ode XVIII Ad D. Matrem Puerum Iesum in sinu tenentem.
Ode XIX. Pecunia serpens.
Ode XX. Pensiles horti serenissimi Alberti.
Ode XXI. Lyra Pythagorae, animus temperatis affectibus concors.
Ode XXII. Artificiosum simulacrum pusionis in aditu horti Albertini.
Ode XXIII. Mortem aequo animo subeundam esse.
Ode XXIV. Ad. D. Virginem. *Multae filiae congregaverunt divitias etc.*
Ode XXV. Exclamatio adversus Octavianum Caes. cum Schleisshemii M. Tullii Ciceronis effigiem marmoream auctor c ntemplaretur.
Ode XXVI. Ad senatum populumque Monacensem de statua in foro erecta etc.
Ode XXVII. Epistola Lyrica ad amicum Brisaco eiectum et exulem etc.
Ode XXVIII. Enthusiasmus auctoris in antiquario sereniss. Electoris Maximiliani. (Sylv. Lyr. v, 5.)
Ode XXIX. Ad Matrem Virginem, cum Praeses decederet officio etc.
Ode XXX. Magistratus Romanus ad Maximum Campianum.
Ode XXXI. Oleum thaumaturgum D. Igini Loiolae intemplo S. Michaelis Monachii.

Ode XXXII. Ad D. Virginem Auxilium Christianorum.
Ode XXXIII. Choreae mortuales.
Ode XXXIV. Gaudium sapientis, ad Stoicum.
Ode XXXV. Dirae in catarrhum.
Ode XXXVI. Ad Somnum, cum insomniis laboraret.
Ode XXXVII. Malo viro nil prodesse, cum de funesto exitu Wallensteinii verba fecisset.
Ode XXXVIII. Panegyris de B. Virgine sine macula concepta. Carmen votivum.
Ode XXXIX. Enthusiasmus in coemeterio considerantis mortem ac functorum ossa.
Ode XL. Quomodo sperandum.
Ode XLI. Ad D. Virginem salutem infirmorum, cum tentaretur auctor.
Ode XLII. Irridet genethliacos; ad Henricum Brandium.
Ode XLIII. Q. Horatium imitari se nonnunquam non imitando. (Sylv. Lyr. v, 4.)
Ode XLIV. Ad D. Virginem Carmen Votivum pro serenissimis Principibus.
Ode XLV. Ad Mauritium Rosam tribunum belli.
Ode XLVI. Non iactandam prosapiae nobilitatem, sed eius causam virtutem retinendam esse.
Ode XLVII. De more ungendorum cadaverum.
Ode XLVIII. Moriendum esse.
Ode XLIX. Cum amico Scazontes suos ad Saturnalia mitteret.
Ode L. Laus posthuma R. P. Iacobi Kelleri S. I. rectoris colleg. Monac.

LYRICORUM LIB. III.

Ode I. Invitatur ad contemplationem rerum coelestium Sab. Fuscus.
Ode II. Ad D. Virginem Aetalensem.
Ode III. Ad Pyrrhum Feudium.
Ode IV. Genovefa S. Virgo Parisiensis Mortem sponsum suum appellare solita.
Ode V. Ad Virginem Matrem.
Ode VI. Ut patriae calamitatem moderate ferat Rud. Vogtius.
Ode VII. Ad D. Virginem assumptam in eiusdem pervigilio.
Ode VIII. Vehemens concio de aeternitate habita Oeniponti, cum Oenus hybernis nivibus restagnavit.
Ode IX. Se in excolenda macie mirum in modum proficere.
Ode X. Symbola Pythagorae.
Ode XI. Ad D. Virginem iturus Ebersbergam.
Ode XII. Auctor a celeberrima secta Stoicorum desciscit.
Ode XIII. Ludus Palamedis sive latrunculorum, vulgo Scacchus. Invitat auctor Stanislaum ad contemptum rerum terrenarum, sub fortunae ludibriis etc. vanescentium.
Ode XIV. Argonautae.
Ode XV. Ad Reginam coeli, cum eam Serenissima Electrix Maria Anna veneraretur symphoniaco apparatu in foro Monacensi etc.
Ode XVI. Cur a Stoicis secesserit.
Ode XVII. Inconstantia rerum humanarum.
Ode XVIII. Ad D. Virginem.

Ode XIX. Commendat Florentio Cedro sua Lyrica.
Ode XX. Ad Alsatam sub Sueco exulem in Helvetia.
Ode XXI. Sueco devastante Germaniam admonet Ludovicum Ilbium periculi. Allegoria.
Ode XXII. Ad D. Virginem, cum sub vernum tempus lues timeretur.
Ode XXIII. Adspiranti ad Cynico-Stoicorum sectam difficillimae rei summam dignitatem proponit.
Ode XXIV. Oculorum custodia.
Ode XXV. Terrenis opibus neminem beatum fieri.
Ode XXVI. Panegyris rusticanae puellae Bavarae miro stratagemate pudicitiam suam adversus Suecos defendentis.
Ode XXVII. Lyrica sua in sylvis amissa indicio volantis spinuli sub arbore populo reperta esse laetatur.
Ode XXVIII. Ad D. Virginem Matrem in foro Monacensi.
Ode XXIX. Ad infantem Iesum in Bethlemitico specu.
Ode XXX. Dies Alcyonii, sive laeta vita.
Ode XXXI. Ad Phil. Brevanum, cum auctori antiqua numismata monstraret.
Ode XXXII. Iuvenem se scribendis Satyris operam dedisse.
Ode XXXIII. Humana vita laboriosa navigatio. Delicatum et timidum senem irridet.
Ode XXXIV. Ad exules Alsatas, mala quaevis fortiter ferenda esse.

Ode XXXV. Utopia sive Somnium de felicitate mundi.
Ode XXXVI. Amnestia.
Ode XXXVII. Cum milites abditam Pauli pecuniam indicio virgulae magicae repertam effodissent.
Ode XXXVIII. Sollicitudo auctoris de nomine B. Mariae Virg. suis Lyricis inferendo, postquam in eius sodalitate Salve Regina decantari audierat.
Ode XXXIX. Considerationes de tranquillitate animi, doctrina S. Pauli firmatas praefert Stoicorum verbosis sententiis.
Ode XL. In Puerum Iesum et eius Virg. Matrem, carmen seculare cantatum Calend. Ian.
Ode XLI. In funere serenissimi Principis Ioannis Franc. Caroli primogeniti Seren. Alberti.
Ode XLII. Ad exercitum, ut D. Ignatium Loiolam in auxiliarem Patronum militiae eligat.
Ode XLIII. De spinulo suo.
Ode XLIV. Ephebo aulae conditionem et officia sectanti animi demissionem commendat.
Ode XLV. Cum Seren. Princeps Albertus Sigismundus etc. electus Coadiutor in Episcopatu Frisingensi renunciaretur.
Ode XLVI. Fastidire se, quae vulgus appetit.
Ode XLVII. Enthusiasmus. Auctor prope Cairum conscensa primae magnitudinis pyramide veterem novamque Aegyptum contemplatur.
Ode XLIII. Illusio poetica.

LYRICORUM LIB. IV.

Ode I. Omnia a Divina providentia pendere et gubernari.

Ode II. Ad Martem. De serenissimi Electoris aula et munitione excitata Monachii.
Ode III. Auctor sententiam politicam (quid est Monarchia, nisi tria suspiria obtinendi, retinendi, amittendi) in aula ser. El. Maximiliani superne tabulato inscriptam expendit.
Ode IV. Ad D. Virginem Dominam auxiliatricem in campo Augiae Monac. propitiam, cum sub vernos dies inviseret auctor.
Ode V. Regis et tyranni discrimen.
Ode VI. Etiam minima curanda esse.
Ode VII Hodie vivendum.
Ode VIII. Ad Thomam Marinum a Succis vulneratum et spoliatum.
Ode IX. Omniparentis naturae querela ad ingratos mortales.
Ode X. Queritur auctor fertilissimum regnum Aegypti Turcis servire.
Ode XI. Disciplina castrensis.
Ode XII. Amor Marianus.
Ode XIII. Dialogus de forma B. Virginis, cum contemplarentur auctor et Michael Anguilla aram in aula Monacensi.
Ode XIV. Pugio Traiani sive orator politicus.
Ode XV. Ad virginem Matrem Dunthenhusanam.
Ode XVI. Deterret amicum a more huius seculi.
Ode XVII. Ad Sabinum Fuscum in Indias profecturum.
Ode XVIII. Ad eundem, auctoris vaticinium.
Ode XIX. Malae conscientiae poena.
Ode XX. Laus Adami Firmionis caeci.
Ode XXI. Ad Adam. Altorf. In funere f. Edmundi.

Ode XXII. Cur prisci crediderint, Venerem ex mari procreatam.
Ode XXIII. Rectius dici, Venerem ex limo terrae originem traxisse.
Ode XXIV. Equus a S. Iobo descriptus, comparatur cum gratia Dei, iuxta illud *Suaviter equitat, quem gratia Dei portat. etc.*
Ode XXV. Ad seren. Principem Ferd. Carol. Archiducem Austriae etc.
Ode XXVI. Virtutis genius.
Ode XXVII. De laudibus B. Virginis.
Ode XXVIII. De Pompeio Magno, Iulio Caesare, Catone Uticensi in tabula depictis ab Alberto Durero.
Ode XXIX. Palinodia, non abhorrere se a quibusdam Stoicae sectae scitis.
Ode XXX. Praecepta vivendi Stoica.
Ode XXXI. Ad Stoicum de seipso.
Ode XXXII. Speculum sine macula.
Ode XXXIII. Verae divitiae, ad Stoicum.
Ode XXXIV. Ad D. Virginem in crypta Monacensi.
Ode XXXV. Vaticinium de Augia Monacensi.
Ode XXXVI. Melancholia.
Ode XXXVII. Constantinopolim perlustrat, Enthusiasmus.
Ode XXXVIII. Cum in foro Constantinopolitano multa indigna videret.
Ode XXXIX. Constantinopolim relinquit indignabundus et ad Boios revertitur.
Ode XL. Ad D. Virginem Cal. Mai.
Ode XLI. Ambitionis ingenium et tormentum.
Ode XLII. Examen conscientiae. Marci T. Ciceronis orationum Philippicarum usus.

Ode XLIII. Ad D. Virginem ex orichalco ante palatium serenissimi Electoris.
Ode XLIV. Quid redux e Turcia viderit: detestatur Germaniae bella.
Ode XLV. Atheos huius seculi sub larva nomini politici latentes detestatur. Enthusiasmus.
Ode XLVI. Triumphus B. Mariae Virginis refugii peccatorum.
Ode XLVII. Scripturus historiam sui temporis Veritati nudam aram ponit.
Ode XLVIII. Heliotropium sive mens hominis ad Deum versa.
Ode XLIX. Ad Virginem Matrem pro euthanasia sive felici morte, carmen votivum.

LIBER EPODON.

Ode I. Ad Ordines S. R. Imperii, ut intestini belli sedem e patria in Turciam transferant.
Ode II. Nemesis sancta, sive modus vindicandi se Christianus.
Ode III. Ad iuvenem secundum natalitia festa migraturum ad sacram familiam.
Ode IV. Aulam esse scholam patientiae.
Ode V. Cum ad D. Virginem supplex inviseret Oetingae.
Ode VI. De veneranda icone B. V. et sacrario Oetingano.
Ode VII. Origo arboris tiliae ante sacellum Oetingae stantis.
Ode VIII. Fons Parthenius ante sacellum Virginis, ad socios.
Ode IX. Propempticon amico datum deserto melioris vitae proposito ad profanam redeunti.

Ode X. Corona regia, tegumentum humanae miseriae, cum ex diversis regnis diversae seditiones nuntiarentur.
Ode XI. Propempticon Peripateticum amico Alsatae philosophiam praelecturo datum.
Ode XII. Testudo nuptialis, sive exemplar optimae coniugis.
Ode XIII. Ad Matrem Iesu sub cruce.
Ode XIV. Dirae; detestatur auctor sanguinarium facinus Iudaeorum in morte Christiani pueri peractum.
Ode XV. Descriptio Virginis, qualem in mentis excessu viderat.
Ode XVI. Dialogus Voluptatis et Continentiae sive lucta carnis et sanguinis etc.
Ode XVII. Ad Andream Garstium Mariaemastigam.
Ode XVIII. De Gymnosophistis Indorum, quos Brachmanas vocant.
Ode XIX. Ad N. in celeberrimam congregationem Macilentorum admissum. Servanda tyroni.
Ode XX. Ataxia nostri seculi sive mundi ad occasum vergentis signa.
Ode XXI. Carmen Seculare de Societate Iesu.

JACOBI BALDE S. J.
LYRICORUM LIBER I.

ODE I.

Abdolonymus,

Regii sanguinis olitor.

Sive

Commendatio frugalis vitae et quieti animi.

In gratiam cl. viri

Maximiliani Pacieci

Ex negotiorum foro ad sacrum otium aspirantis.

Horto me solitus pascere villici
Ultra quid cupiam? plus neque Iuppiter
In cornu Libyae possidet aridae.
Tota est summa satis. Me cichorea, me
Malvarum foliis addita mollibus
Haud paullo satiant gratius intyba,
Quam lautis avibus Phasis Achaemenem.
Hic fons gramineo labitur ubere
Et, cum viva manu tempero pocula,

Iucundo residem murmure praeterit.
Hanc, sub qua recubo languidus arbore,
Commisi tepidis ipse Favoniis
Parvum semen agri, cuius origine
Vitae certa meae tempora metior.
Non stellis Arabum nec Babyloniis
Intentus numeris computo secula.
Adiectum toties frugibus indicat
Annum fida Ceres horaque buxea
In quascunque notas forfice tonsilis.
Natura fruimur. Quotquot eunt dies,
Puro sole micant. Somnus agrestium
Lenis sponte casas intrat et affluit,
Irrepit Tyriis parcior urbibus.
Pax et blanda quies rura perambulat.
Quid sit cura ducis, nescio laetius.
Isto continui pullulat otii
Radix alma solo. Purpura vestiat
Infelix alios; me iuvet unice
Quamvis Sidoniis regibus editum
Privatis tenuem vivere censibus.
Haud ignota loquor. Pauperies mei
Regnum maius habet. Ditior omnibus
Rex est, degeneres qui posuit metus,
Qui, cum possideat pauca, cupit minus
Apponitque lucro. Non bibo Caecubum:
Nec porrecta scyphis toxica gemmeis.
Non subter niveis velleribus cubo:

Nec moestus vigilo. Terreo neminem
A nullis pavidus. De solio tonat
Fatum: tuta salix fulminis integram
Sedem praebet humi nec violabilem.
Semper celsa tremunt et capita ardua
Toto praecipitant saepius impetu,
Ut nunc summa meto colla papaverum.
Ne me, ne genitis vellite floribus,
Pellaei proceres. Hic moriar senex,
Hic vixi iuvenis: linquite iugera
Gaudentem placitis findere sarculis.

Ad Guilielmum Lasum,

Guelphi Lasi f.

Moderatoribus obtemperandum esse.

O D E II.

Ne tibi, Guelphi Lase, sit pudori,
Quod seni pares iuvenis magistro:
Paruit primos vetulae sub annos
Romulus Accae;
Paruit cani monitis Acoetae
Clarus Evandro genitore Pallas;
Saeva mandantem veritus colebat
Hoplea Tydeus.

Nulla non aetas moderante cursum
Indiget freno: socianda vis est.
Tutius navis gemino per undas
Remige currit.
Parvus et nondum variare solers
Juppiter formas timuisse matrem
Fertur et caesa rudis ausa culpae
Pelle luisse.
Tunc soror, tantum soror esse visa,
Serta nectebat placitura fratri,
Facta, custodem simul axe movit,
Denique coniux.
Si Iovi semper vigilasset Argus,
Inter aprorum fruticeta nunquam
Turpe peccasset vetitus ferarum
Ducere vultus.
Rex sui iuris prohibente nullo
Aureus fluxit, sibi sumpsit alas,
Arsit Europen mediisque taurus
Mugiit undis;
Quo per aestivos puerile soleis
Luserat telo, vir adultus atrum
Vertit in fulmen proprioque fecit
Fulmine digna.
Nempe festinat puer interire
Pronus in lapsum, nisi fulciatur.
Altius serpunt hederae marita
Ilice nixae.

Bacchus Indorum domitor flagellis
Ante Sileni domitus sedebat
Ad senis limen gravido Tonantis
Poplite natus.
Horridae leges! equitante Fauno
Iussus in campos pedes ibat Evan,
Iussus urgebat remeare lentum
Patris asellum:
Donec inventis redimitus uvis
Marcidum thyrso populante Gangem
Victor effregit maculis nitentem
Nebrida cinctus.
Thessalae debes tua fata rupi,
Hector everso resupine curru:
Inde vastator Priamo timendus
Venit Achilles.
Ille calcatis Asiae sepulcris
Signa fixurus puer imperantis
Sub Capri barba ferulaque vixit,
Credite Teucri!
Lustra maiorem nemorum coegit
Et specus foetas penetrare Chiron,
Quo cubans praedam catulis leaena
Dividit antro.
Tela Centaurus docuit rotare,
Saxa moliri, superare fossas,
Stare Sperchium glaciemque contra et
Sistere flumen.

Fessus ex sylvis quoties redibat,
Censor inspectis rigidus sagittis
Semifer sparsum tigridis cruore in
Colla levavit:
Sic meus nosci cupias, alumne
Fortis, aiebat; posita pharetra
Disce nunc cantus etiam lyraeque
Fila sonorae.
Et fuit quidam lepor intueri
Ante ludentem cithara bicorni,
Pone motantem Satyrum sequacis
Pendula caudae.

ODE III.

Thomae Mori constantia.

Hic ille Morus, quo melius nihil
Titan Britanno vidit ab aethere.
Funesta cum regem Bolena
Illicito furiasset aestu,

Audax iniquas spernere nuptias
Amore veri propositum minis
Obvertit Henrici tyranno
Fortior indocilisque flecti.

Non carcer illum, non Aloysia
Dimovit uxor, nec trepidus gener,
Nec ante patrem Margarita
Foemineo lacrymosa questu.

Fertur monentem mitia coniugem,
Sed non et isto digna viro, procul
Abs se remotam cum feroci
Ut fatuam pepulisse risu.

Mox, qua fluentem se Thamesis rotat,
Ad destinatum funeribus locum
Casto coronandus triumpho
Per medios properavit Anglos.

Ductum secuta flente Britannia
Non flevit unus marmore durior
Et certa despectante vultu
Fata tuens hilarisque torvum.

Atqui sciebat, quid sibi regius
Tortor parasset; non aliter tamen
Quam laureatos Sulla fasceis,
Ipse suam petiit securim.

Plenus futuri quo tumulo stetit,
Postquam paventem carnificis manum
Mercede firmasset, cruento
Colla dedit ferienda ferro.

Ad Bennonem Cossam.

Seni cantum non convenire.

ODE IV.

Non, si quid iuvenem fingere Lascarum,
Et te, Cossa, decet; cui rigidus sedet
Hirta fronte December,
Nix incana tegit caput.

Illum multa sinas ludere seu lyra,
Seu malit crotalo: te refugit senem
Calvum flavus Apollo,
Te putrem, quia putris es.

Non dens, non oculus, non cerebrum sapit,
Infans nasus hebet dimidio minor,
Multo mucidus imbri,
Nullo gratus acumine.

Ut rugas taceam, scrobs hiat unicus
In vultu; quid habes illius, illius
Clamantis, pater Evan!
Clamantis, pater Evius?

Frustra sollicitas, frigide, Cynthium:
Odit flamma gelu, nec vetulus bene
Certas cum Tegeaeis
Vervex currere capreis.

Eheu desine diffindere tibias,
Terres funereo Melpomenen sono:
Psallit suavius ales,
Noctem qui mediam fugat.

Ad Petrum Hildebrandum S. J.

Professorem matheseos.

Quum soliditatem coelestium orbium propugnaret.

Exemplo Christophori Columbi se novum immensae vastitatis Oceanum perlustrasse.

ODE V.

Coelum liquidum.

Arcana mundi numine percitus
Proferre cogor: credite vatibus!
Non omne coelum rupis instar
Aut solido riget aere fusum.

Datur natari. Nuper inivimus
Campos aquarum, sed radiantium
Campos liquenteis: totus aether
Irrigui madet ignis imbri.

Crispata claris vidimus aequora
Ardere squamis; vidimus aureis
Delphina luctari sub undis
Et nitidos vomere ore rivos.

Sunt stagna coelum mollia, navibus
Sulcanda veris; vidimus alteram
Argo coruscantem secunda
Aetherio dare vela ponto.

Castorque et ovo natus adulterae
Pollux eodem per pelagi minas
Nixi procellosumque lumen
Astrigeris secuere remis.

Regno secundi caeruleo Iovis
Vix aula primi distat in aere.
Quod nos opinamur trisulcum
Fulmen, habet faciem tridentis.

Quassata cuius spicula fulgura,
Aestus marinos rauca tonitrua
Vocamus ignari locorum
Eminus impediente nube.

In ludibundo gurgite mobilem
Fulvi per aethram Solis equi movent
Se more phocarum; priore
Parte sui Pyroisque et Aethon

Phlegonque tollunt altius ungulas;
Membris flagrantem posterioribus
Solvuntur in piscem et fluentis
Signa fugae rutilante cauda

Impressa delent. Heic et Aquarius
Triton recurva lampade personat;
Heic Luna Tethys, Pleias Ino,
Erigone Galatea visa

Martisque Siren puniceas Venus
Tranare lymphas. Nereidum choro
Hinc inde stellarum meante
Perspicui micuere fluctus.

Incensa splendent omnia; luteus
Scintillat humor; se penetrabilem
Crystallus indulget carinis
Et manibus liquefacta cedit.

Vero profundo Cancer et igneis
Inserpit undis veraque flumina
Manant Olympo: testis arva
Eridanus per aprica torrens;

Dum concitati vortice luminis
In axe late vibrat et insulas
Molitur illustreis pyropis,
Post croceum subit haustus aequor.

At nec sereni monstra maris truces
Desunt cometae, parva quibus procul
Venire conspectis rubentem
Sidera diffugiunt in algam:

Quanquam hos et ipsi terrigenae pavent
Longe remoti, larva simul polo
Illuxit et barbata cete
Terribilem variant figuram.

Balaena flammas non aliter secat
Quam mullus Istrum: nam rapidum iubar
A fronte spumosaeque lucis
Exiliens iaculatur amnem.

Haec Hildebrando, Musa, refer meo.
Fortasse nolit credere: candidam
Tum lactis intritique magna
In patera cita panis offam,

Bis terve gyra turbine pollicis:
Sic astra, dices, in liquido natant
Permista coelo: credet ille
Protinus Alsatiae Columbo.

Ad Mathiam Rasonem.

Animi generosi libertas.

ODE VI.

Si circumspicias te, Raso, non tua,
Paucis dives eris. Quae data pertinax
Fortunae fragilis munera respuis,
A te plenius impetras.
Gaudet diva quidem mobilis appeti
Servilemque trahit vulgus ad ambitum;
Ut, quas caeca nuces spargit, aventibus
Turbis diripiant manus.
Sed tu pelle procul, neu tremulum velis
Incurvare genu, neu laribus vagam
Dignatus dominam suppliciter pedes
Turpi stringere basio.
Sin fractis humilem cunque subiverit
Portis ipsa domum, seu trabeas ferat
Seu caestum, pariter cedere nescius
Dic ad limina ianuae:
Quas promittis opes, iam teneo: meum est,
Quidquid sperno tui. Nil cupientibus
Et nil deesse potest; ex solido bona
Mens semper sibi sufficit.

Ad Simonem Issum.

Pravi Amoris indoles.

ODE VII.

Res Amor mira est: videt, Isse, caecus;
Caecus est, quamvis oculo vidente
Natus; absenteis Amor urit absens,
Proximus exsul.

Siccus in venis madidusque vultu,
Siccus humectat madidusque flagrat;
Fervidus tectae gelidusque flammae
Ardet et alget.

Quando festivas quatit igne taedas,
Lumen extinguit: niveique floris
Praedo pallenti violas vicissim
Pingit in ore.

Non habet frontem: tamen est venustus;
Navigat terras, volat absque pennis.
Vilis ac parvus puer heu feroceis
Sternit Atreidas!

Qui caret peilis, metuenda vibrat
Tela; non longas iaculatur hastas:
Pectori plagis acus inferendis
Sufficit una.

Missilem linguam capit ex pharetra
Oris et figit iecur ulcerosum.
Stulta plebs arcu putat et sagittis
Grandibus uti.
Ille (sic monstrat Cytherea mater)
Non boum tendit sinuare cornu:
Sed manus iunctas utriusque amantis
Curvat in arcum.

Equus Troianus.

Ad Andream Alcimum.

Germaniam suis cupiditatibus perire.

ODE VIII.

Sic est: peritur non sine sumptibus.
Funesta multo Marte pericula
Quaeruntur et curis; labore
Damna suo pretioque constant.

Nostris volentes usque doloribus
Favemus ipsi. Quanta sub Hectore
Felix et inconcussa Troia
Staret adhuc Priamique regnum,

Si noluisset crimine decipi!
Ingens Epei machina sistitur,
Mons foetus armis et latenti
Myrmidonum Dolopumque nube.

Equum iuventus Dardana ligneum
Visura longo protinus agmine
Divisit emovitque portas
Laeta malo propiore muris.

Urgente Fato fata quis arceat?
Praesagiebat Laocoon dolum:
Sed in cavernas nempe frustra
Impulerat moniturus hastam.

Iamque omnis aetas mista senum ruit
Virumque diris fervere gaudiis;
Utrimque ludentes puellae
Ingeminant puerique carmen.

Pars vincla nectunt stupea; pars iubas
Formidolosi plaudere roboris
Nituntur in scalis: ovanti
Pars similis pedibusque lapsus

Et provehenteis subiiciunt rotas:
Fatale donec constitit ardua
Lateque despexit catervas
Palladium super urbe monstrum.

Heu digna perdi Dardaniae domus,
Captis Ulyssem moenibus invehis!
Sic notus, o cives, dolosi
Vultus et ingenium Sinonis?

Hinc versa fumant Pergama funditus.
At, si fateri non pudet, Alcime,
Insana plureis culpa tangit.
Sero Phryges sapuere quondam:

Nunc noster orbis sero nimis sapit,
Aequanda stultae patria Teucriae.
Non solus aut primus nepotes
Rex fatuos generavit Ilus.

Europa nullum non habet Ilion.
Ubique Xanthus sanguine decolor;
Ubique Germanos videbis
In fluvios Simoenta volvi.

Nutrimus hosteis in medio sinu:
Suecos fovemus. Rex Alemanniam
Vastator intravit vocatus.
Splendidius periisse lucrum est.

Ad Leontium Crinallum.

Nosce teipsum.

ODE IX.

Te magnum volo consulem
Non urbis Latiae vel Lacedaemonum

Caussas noscere, sed tuas.
Te, Crinalle, tibi lynceus insere,
Dum tecti latebras sinus
Omneis excutias, nec sinat amplius
Thule pectoris ultima,
Et natura suis obvia Gadibus
Iussum sistere navitam
Plus ultra vetet. Hinc ducat in otium
Purae mentis et insulam
Clamoso populi sepositam freto.
Quid vicinus agat Ligur,
Quid Serranus aret, quid serat ac metat,
Quot naevis facies Titi
Signetur, quoties Pantolabus bibat,
Securus bene nescias.
Prudens multa domi crimina transilit.
Lictores sine tetricos
Verrucas populi figere tristium
Ad subsellia iudicum
Plebeisque diem dicere moribus:
Tu noctem vigila tuam,
Indignumque puta flagitio frui.
Delator, licet utilis
Credatur vitiis tendere retia,
Semper se magis inquinat.
Sit belli ducibus proditio bona;
Nunquam proditor optimus.
Odit posteritas nunc quoque Tantalum.

Illo deterius nihil,
Qui se ferre malum, non alios potest.

Ad Generosum Dominum

Andream Maronium,

Viduum de statu vitae deliberantem.

Samso resipiscens.

ODE X.

Per fretum Scyllae Libycasve syrteis
Fide fallaci, fugitive, vento;
Fide, quantumvis fremat unda: sed ne
Fide puellae.
Illa non uno sinuosa tractu
Mille natura variante fraudeis
Circinat retro totidemque in orbem
Damna retorquet.
Larga verborum, sed avara veri,
Emicat quovis dubitanda nictu;
Vultus ut mendax, ita quae sequuntur
Gaudia vultum.
Turget in dotem reseransque spondet
Candido plenas animo mamillas:
Interim fallax et iniqua putri
Ubere lactat.

Urit et flammae cinerem dolosum
Versat in venis; etiam pudica
Iniicit curas, etiam modesta
Fallit amantem.
Cum ratum credes geniale pactum,
Spes tuae toto thalamo dehiscent.
Nupta vicinum propiore taeda
Saevius urit.
In sua felix sibi visa culpa
Crimen obliquat; quod amare iurat,
Odit et iuris sibi peierati
Conscia ridet.
Huius inprimis oculos caveto,
Sed magis laevum; nocet illud astrum
Plurimum menti, tacitumque fulgur
Palpebra condit.
Quidquid autumnus croceique flora
Veris aspirat, nihil heu colori
Anguium distat; decor ille blandis
Sibilat hydris.
Supplicem formam fuge, quae capillos
Sparsa procumbit; tenero peritur
Flentis a questu lacrymaeque pondus
Fortius addunt.
Hic labant turres, etiam virile
Pectus his tandem precibus liquescit.
Hic suas vireis, sua novit arma
Sexus inermis.

Dum tacet, clamat facies venusta;
Dum negat, poscit; dolor est disertus.
Ah loqui frustra prohibebis ullam:
Muta perorat.
Mollior cera mulier fluente,
Durior saxis eadem marinis
Flectit aut frangit: violenta durum,
Lubrica mollem.
Donec optata potiatur hora,
Donec arcanum penetret mariti,
Nec sibi parcit nec in orbe quidquam
Linquit inausum.
Ni vetes tangi, moriere caecus.
Quot tibi crineis malesana demit,
Fila tot vitae, gemina tot annos
Forfice tondet.
Faeminae certum sinus est pheretrum;
Funis amplexus, tumulus cubile;
Verba sunt lessus, glaciale letum
Insana voluptas.
Testor expertus mala; testis horum
Nostra Thamnitis; properate Dirae
Vindices! Samso, geme, testis eheu
Dalila nostra!

O D E XI.

Commendat Flavii Leonis vinum.

Vinum Falerno nectare dulcius
Et quale nunquam protulerit Rhodos,
Assuesce crystallum subire
Lene fluens phialaque fundi.

Velis solutum compede dolii
Mensam Leonis visere crebrius,
Hoc Castor et Pollux amici,
Hoc avidi Lupiceius orat

Comes Melichi; tu neque nubila
Fundo minaris, nec capiti graveis
Inducis umbras, nec feroci
Bella geris metuenda thyrso.

Sed mite duci prolicis hospitem
Quamvis paventem; te penes et ioci
Castaeque Musarum camoenae
Et teneri sine lite risus.

Te Iuno furtim, forsan et inscia
Iunone laetus Iuppiter hauserit;
Malitque Bacchus se relicto
Te bibere et suus hinc renasci.

Ad Amphoram Cerevisiariam.

Parodia et Palinodia

Ex Q. Horat. Flacc. Carm. L. 3. Od. 21.

ODE XII.

O nata Capri sidere frigido,
Seu tu querelam sive geris minas
Seu ventris insanum tumultum et
Difficilem, mala testa, somnum;

Quocunque servas nomine toxicum,
Nunquam moveri digna bono die,
Averte nolenti poetae
Promere languidius venenum.

Non ille, quanquam Gorgoneis madet
Assuetus undis, te bibet horridus.
Narratur et Boius Menalcas
Saepe tuo doluisse aceto.

Tu triste tormentum ingenio admoves
Plerumque leni; tu sapientium
Et pectus oblimas et ora,
Ne retegant animum fidelem.

Te pestilentem negligit anxius
Dives; sed addis cornua pauperi
Post te neque iratos trementi
Regum apices neque militum arma.

Te messor et, quae cocta aderit, Ceres
Segnesque nodum solvere rustici
Unctaeque producent lucernae,
Dum rediens fugat astra Phoebus.

Ad Linum Wisonethum.

Iacturam divitiarum sapienti non aestimandam esse.

ODE XIII.

Si quid perdideris, veto
Turpi cum gemitu dicere Perdidi;
Sed, Fortuna suas aves
Noctu, nescio quo, transtulit: avolent.
Nec moestum facit haec fuga,
Nec, si divitiae mox revolaverint,
Inventis ero laetior;
Iamque ipsum abiiciam cum grege perfido
Nidum degeneris spei.
Frustra est ampla domus, si capit incolam
Totum quilibet angulus.
Haec tellus, ubi sto, subiicitur mihi,
Non quam nomine metior
Absens vel digitis eminus indico.
Curarum impatiens casa
Virtutisque capax, exiguo licet

Circum limite finiat,
Dicetur stadiis maior Olympicis
Tarpeioque Palatio,
Quod tantum vitiis est habitabile.
Aulam regia, liberam
Urbem quaeque sibi libera mens facit,
Quaeque obnoxia carcerem.
Longe nobilior vocibus his, Line,
Quam si mollis Arabs tibi
Regnantique duplex pareat India,
Et fulvi glaciem Tagi
Confundat rutilis Lydia fontibus.

Pyladis hortus.

Symbolum amicitiae.

ODE XIV.

Exuli cum se Pylades Oresti
lungeret caris geminandus annis,
Duxit haec fatus per amoeniorem
Phocidos hortum:

Frater, o flagrans animi medulla,
Pars sacri maior meliorque veris,
Ex meo discas utinam vireto,
Quid sit amicus.

Fraudis expertes violae leguntur,
Candidum pectus reserant ligustra,
Germinant nigrae, tamen optimae vaccinia famae.

Flos amor, flos est iuvenilis horti,
Quem creat virtus, redolet sereno
Pulcer aspectu placidusque longum
Durat in aevum.

Ecce fons mersos penitus lapillos
Pervio veri retegit liquore.
Quidquid in fundo latet amnis imo,
Prodere garrit.

Fontis in morem penetrale nuda;
Neuter arcanum tacitus recondat;
Corde crystallus fluat ex aprico
Clara videri.

Cur diu celes animi dolorem?
Prome, dispersus minuetur extra.
Qui tibi luget, tibi gaudet, hic est
Verus amicus.

Jocus Saturnalitius

Ad Hieronymum Nautam.

Cum illi Agathyrsum sive Oden inscriptam

Solatium macilentorum

Ipsis Bacchanalibus mitteret.

ODE XV.

At tu supino crassus in otio
Curas nitentem, Nauta, cuticulam,
Gravare non segnis vehendum
Ventris aqualiculum saburra.

Conviviorum perpetuus fluit
Euripus et te portat in amphora
Velut phaselo strata primum
Littora depositis legentem

Noctu cululis. Mane frequentius
Rursus ciebit remigium dies
Spumantis in vini procellas
Et pelagus geniale Bacchi.

Non vultus idem, non eadem mihi.
Amice, mens est. Ut palearibus
Distentus armenti maritos
Helvetici bovis instar aequem?

Nativa longi linea corporis
Et umbra nobis, qualis imaginum
Prima colorandam figura
Proiicitur rudis in tabellam,

Suffecit olim; nunc quoque sufficit.
Tantum opto pulpae, quantum oculus potest
Obtusus ad lunae lucernam
Auxilio vitreo tueri.

Pingueis tabernas par animus subit
Et ipse pinguis. Mens bona sepibus
Vel osseis contenta vivit
Et modicos statuit penateis

Frugalis hospes; quanto habitet loco,
Nil interest; mox se speculabitur
Immensam et aeternos in orbeis
Non humileis feret alta curas.

Sed tu sagina perge Sabellicum
Aequare porcum; perge capacius
Dolere Troianumque magnis
Sumtibus aedificare corpus.

Me, me hirta pellis, me facies iuvet
Paphnutianis horrida vallibus
Multumque sidens et vel ipsis,
Ni fugiant, metuenda Faunis.

ODE XVI.

Laus R. P. Ieremiae Drexelii
E Societate Iesu.

Ille et secundis flavit etesiis
Facturus orbi delicias dies
Grataque tempestate florum
Vindelicos madefecit agros,

Quo te ligustris alba cadentibus
Augusta, pulcrae filia Gratiae,
De matre, Drexeli, cadentem
Sidereis bene pressit ulnis.

A fonte lucis non pueriliter
Iam tum petebas lac sapientiae,
Nutricis Astraeae liquorem
Et niveum pietatis uber

Suxisse certus. Diceris influens
Hausisse nectar Castalidum puer
Lyramque et arguto camoenas
Pollice sollicitasse nostras,

Iam tum fragrantis mella scientiae
Legisse felix, qualis adhuc olens
Praegnantis involucra cerae
Prata tamen genioque gratum

Aestate prima quaerit amaracum
Rosasque flanteis ac Zephyri crocum,
Ut delibutas rore flavo
Stipet apis reditura cellas.

Hinc ille libris dulcis inest thymus;
Hinc tot replentis pocula, quem tuae
Favum propinavere pennae,
Virgineo bibit ore charta

Sitimque plenis copia paginis
Extinxit orbi. Quis potior viam
Virtutis astrorumque plebi
Purpureas aperire valvas?

Mulcent paventem non soliti metus,
Formidolosae quum sonitu tubae
Aeterna profers; ad susurros
Lene Dei trepidare prona

Mox omnis aetas subsilit, et dolos
Fortunae et altae fulgura gloriae et
Famae tonitru et fulmen irae
Et pluvias pede calcat hastas;

Fatumque casumque et retinacula
Molesta curarum et dubias vices
Transvecta, qua late corusco
Seraphicos equitantis igneis

Quadriga Solis fertur in aethere.
Qui sole tanto clarior altero
Per Christiani signa tendit
Zodiaci duodena cursum

Olim beandis nobile mentibus
Metatus aevum. Talia plurimus
Tecum volutabas in umbra
Pacis amans placidaeque scenae.

Hic et theatrum solus eras tuum
Et actor et spectator in intimo
Tui recessu. Vita purae
Instar aquae sine labe fluxit.

Os vero Delphis relligiosius
Vultusque pallens et macie sacer;
Imago tam dulcis videnti
Quam gracili veneranda metro.

Eheu! cinis nunc sub tumulo iaces,
Quo, Musa, stulte flebilis? improbam
Compesce chordam! Cuius importuna necem gemis, ille dormit.

Monenda iam nunc, ut tacito pede
Iuxta sepulchrum molliter ambules.
Senis fatigati quietum
Parce sono violare somnum.

Ad Cl. Virum Christophorum Carum.

Cum ad regendi principis curam evocaretur.

O D E XVII.

In monarchis quid miretur et optet.

Nil vulgare canam regibus. In munere publico
Frons privata placet, mensque potens ferre potentiam.
Mirabor iuvenem non avidum, non nimium sui,
Dum suadet segetes sternere falcata licentia et
Igni vena calet. Quod rubeat sanguine piscium,
Gemmis vina bibat, sub Tyria dormiat iride,
Tanti non mihi sit. Scire peto, Care, quid imperet
Regnans Ascanius; num reliquis omnia, nil sibi.

Ad Valerium Lorcam.

Coelibem vitam agere destinanti gratulatur.

O D E XVIII.

Ingens, Lorca, periculum
Evasisse puta te bene nuptias
Mutantem sterili toro.
Mentem tam solidam Di dederunt tibi.

His felix monitoribus
Praefers taedifero pulcra Cupidini
Cerae lumina virginis.
Sic caecum per iter noctis et horrida
Ventis tristibus aequora
Fixis sideribus fidere certior
Errantem Venerem fugis,
Quod pridem tabula debuit aenea
Testari paries sacer:
Vitasti scopulos ac Cyprii maris
Fescennina sonantia.
Ut nullo metuas naufragio mori;
Delectent age coniugem
Appendix thalamis fixa iugalibus,
Proles, cura, labor, metus?
Et quam sola queat reddere mors putri
Libertas oculo, quies
Eheu perpetuis vendita iurgiis?
Cunae cum tibi vagient
Et res dotis egens coeperit atteri,
Pullis grana petentibus
Qua vellas capitis parte miser pilos?
Sin et tigridis e specu
Uxor prodierit non sine clavibus,
Malis tunc Scythicas sequi
Infelix acies castraque Bistonum
Aut frangi laqueo gulam.
Non est obsidio militis arctior

Moesti coniugio viri
Optantisque fugam et brachia Daedali:
Non victoria laetior,
Quam cum rupta trucis vincula foeminae
Solvunt munia comparis.
Ortus Westphalica stirpe Tigestio
Desponsae Eumenidis satur,
Postquam Tisiphonen expulerat foras,
Victor ter recinens io
Quernis implicuit tempora frondibus,
Ceu servasset atrocium
A flammis Senonum moenia Romuli.

Gotefridi Henrici Pappenhemii,

Celeberrimi Herois Germani

Inclyta mors in pugna Lycia.

ODE XIX.

Fama, quid narras? Cecidit nec ultra
Se feret campo; fuit ille vester
Hercules Suevus, fuit et triumphos
Intulit umbris.
Pone plus iusto, mulier, loquaci
Pessulum linguae; mala Fama, fastum
Pone; quid vanis aliena verbis
Fata lacessis?

Heu pudor! semper meritos honores
Deterit vulgus neque bella iusta
Lance metitur ducibusque Livor
Digna rependit.
Gloriae nullo minuenda casu,
Alta sublimi manet ore Virtus;
Sola percussis labefacta nervis
Corpora sidunt.
Stare si quondam vetat in duello
Sors virum, non et vetet incubare
Grandibus factis; situs hic iacentem
Altius effert.
Qualis Alpino ruit icta ferro
Quercus et, postquam pedibus solutis
Colla deiecit, medio fragore
Provocat Austros.
Sic Alexander Libyci Tonantis,
Sic humi Tydeus Danaum quievit
Strage Thebana nimioque leti
Pondere fessus.
Rebus adversis animus probatur,
Num sibi constet. Fremat hostis arma,
Vera libertas medios per igneis
Vadit et enseis.
Nil moror plebem: iacet ille magnus,
Qui cadit magnus; celebrat ruina,
Non premit fortem, titubatque pulcra
Truncus in ira.

Vulnus armatum decorat cadaver,
Comit hoc rupti sacer oris horror
Et cicatrices et adhuc ferocis
Rudera vultus.
Fracta labenti senio vetustas
Saepe maiorem titulum meretur,
Quam recens murus; monumenta priscae
Consule Romae,
Crebra famosam faciunt sepulcra.
Arduam vento quatiente molem
Cum mare et littus Rhodii replerent
Fragmina monstri,
Solis in sese recidens colossus
Advenis aeque iacuit stupendus,
Donec impostum grave funus ave-
xere cameli.
Transiens illac aliquis viator
Dixerit visa digiti columna:
Hic vir erectus feriebat astra
Maior Olympo.

Carmen Saturnalitium.

Ad Edmundum Ragusium.

ODE XX.

Solatur egentis desideria.

Quid fles, Ragusi? cur madidum fricas
Tergisque lumen, quod trieterida
Emensus octavam triennem
Ore tenus referas puellam?

Tantumne credis numen inutili
Subesse barbae? Vilis opinio
Accendit immatura vota, ut
Pica puerperiis molesta est.

Desiste nudo quaerere pensilem
Ab ore lanam, quam manus involans
Obliquet obliquamque tractim
Mulceat ac decies repectat.

An non tremendum se Bromius deum
Glaber probavit tristibus Indiis?
Glaber laboratoque vitro
Laevior est Patareus Apollo.

Castas sororī Iuppiter Anxurus
Et non pudendas elicuit faces,
Barbatus idem semper ira,
Semper adulteriis flagravit.

Imberbe molles sunt Zephyri genus,
Mystax severum degravat Africum,
Appensa labris Caurus atro
Vellera fert glaciata nimbo.

Tritona totum paene tegunt pili,
Tamen reluctans Cymodoce fugit.
Sed Acis et glaucus Palaemon,
Quod pueri, placuere nymphis.

Desiderabis dic age floridi
Vultus latronem? gratior hac nive
Luces et ostro, qualis ibat
Non tibi Parthenopaeus impar.

Hirsuta buccae Sisyphus, ah sine,
Faunique iactent et Satyrum chorus
Vel si quis alter fronte portat
Grandem oculi Polyphemus orbem.

Quaenam illa tandem gloria, depilis
Edmunde, mento ferre, quod omnium
Foetens capellarum maritus
Gestat in opprobrium virorum

Peculiari non sine nomine?
Aruncus omnis caussa tragoediae.
Nec rex Ahenobarbus hircum
Setigero superabit ore.

Sin dira saevae rixa cupidinis
Prurire pergit, — spes patitur moras —
Substringe saltem triste curis
Pectus et in meliora differ.

Nondum videmus secula Nestoris;
Adhuc in ipso limine vivitur;
Adhuc in ipsa messis herba
Lactis eget tenerique roris.

Perrumpet olim flos virideis genas;
Quae nunc pruinas atque hyemem timet,
Pleno superfundetur agro
Flava seges, iuvenilis aestas.

Non parva tantum se fruticatio
Trudet; sed ingens sylva frequentibus
Fortasse ramis sparget umbram
Inferius resonante luco.

Nunquam antevertit planta diem; suas
Dodona sensim surrigit ilices;
Immissa paullatim tenacem
Mordet humum solidanda radix.

Et Barbarossis tempora destinat
Natura rerum. Fortiter interim
Implume prorita labellum
Mite ferox digitisque mulge.

Immane quantus mox caper effluet,
Tondenda crebrae cura novaculae
Undabit: audacique vultu
Tota soror genitrixque cedent.

Ibis sonantis magna Panaetii
Aequare setas; ibis et aemulum
Canae vetustatis saligna
Porticus excipiet Cleanthen.

Iuvate, Musae! quod video repens
Monstrum? anne ludor? quam mea fertilis
Testudo! si barbas vel incantare potest vel inertioreis

Promique tardas elicere ex scrobe.
Flores, Ragusi; iam fatui micant
Ignes pilorum; bella iam lanugo tepet faciemque fuscat.

Ad Balthasarem Melonium.

Suspiciosum et querulum demulcet.

O D E XXI.

Si quando mihi lubricus
Inter verba iocus melle madentia

Aut salsus lepor excidit;
Vae quam terribilem simus agis caprum!
Quam morosus obambulas!
Flavent ictericis ora coloribus;
Frons nimbosa fugit retro,
Et sparsum maculis sanguineis iubar
Lugubres oculi rotant.
Sin pergam tribulos inserere et piper,
Toto corpore subsilis
Tabentique natas moestus in ulcere et,
Belli signa domestici,
Limaces calidis naribus excoquis.
Atqui non ego te, Pepo,
Admorsu tigridis frangere persequor.
Cur nasi cinis igneus
Transfumat tacitis suspicionibus?
Non, me si satis audias,
Crispari renues; prostituis virum
Imbelli querimonia.
Sarcasmos clypeo pectoris excipe.
Verbo nil levius volat;
Cursu, ni retrahas, praeterit alite
Iactatumque per aera
Ventorum patriam cum Borea subit.

Ad Trebatium Ferolettam

Quaestiones philosophicas de anima propugnaturum.

Circulus Platonis

sive

Humana Mens.

O D E XXII.

Quid vero prodest aureus in suis
Humi cubantis naribus annulus?
Utamur, utamur, Trebati,
Mente data; Superumque munus,

Non foeda strati membra sub ilice et
Glandeis avari frangere Chaonum
Nec in volutabro vomentis
Illecebras olidaeque Circes,

Exerceamus; vescimur aethere
Et hospitalem particulam D e i
Habemus immensi capacem.
Illius, unde fuit sub ortum

Desecta, gyros et iubar, illius
Quaeramus orbeis. Mira potentiae
Figura m e n s in se reflexae
Praepetibus super astra pennis

Non poenitendo nititur impetu
Et circumactum Numinis alveum
Micante natura capessit
Sidereos imitata tractus.

Mens curiosas lucis imagines
Venatur extra: quasque capit, sinu
Complexa lustratque et quieto
Interius subigit sereno.

Hinc et colores atque carentia
Colore novit. *Novit* et hoc suum
Novisse, et istud *nosse* rursus
Circuit ac meminisse gaudet.

Curvum reductae spira scientiae
A fronte lumen spargit et alterum
Fulgoris expandit theatrum
Terga tuens graditurque retro,

Panthera qualis, cum catulos eques
Abegit antro, se rotat obviam
Vestigio praedonis et ve-
stigia per sua scit reverti.

Hic ille magni Cecropidum sophi
Platonis ambit circulus omnia:
Sagacis exporrecta Iani
Mensque biceps animusque bifrons.

Incerta certis atraque candidis
Conferre solers, *praeteriti* memor,
Euntis actor et *futurum*
Praeripuisse dolosus aevum.

Ad Anselmum Masium.

Novam Batrachomyomachiam tuba Romana cantatam editurus in lucem anno Christi M. DC. XXXVII.

ODE XXIII.

Non, quod Mnesthea et Antheum
Sergestumque Lycumque et validum Gyan
Et Sarpedona Dardanum
Atque Anchisiaden ingeminet Maro,
Butenque et Bytiam et Capyn
Immanique trucem corpore Pandarum,
Culmen Phocidos occupat:
Sed quod semideos captaque Pergama
Aequarit parili tuba,
Surgit Pieriae gloria Mantuae.
Non quae quisque canat, Masi,
Sed quo bella modo ducat ad exitum,
Refert; sesquipedalia
Et nostro resonant nomina classico.

Quantis littoribus fremunt
  Audax Hypsiboas et Calaminthius!
Vallum Pelobates luto
  Munitus subitis obiicit hostibus,
Vastum Limnocharis lacum.
  Tristem ne metuant castra famem, meus
In spicas Cereris ruens
  Toti Sitologus providet agmini.
Si nox insidias struit,
  Monstrabit tacitas Troglodytes vias.
Subvertenda cuniculis
  Obstant sollicito moenia militi?
Monteis Tyroglyphus cavat
  Metas Helvetiae rumpere fervidus.
Quid prosint celeres doli,
  Cui furtum noceat, quod spolium iuvet;
Discas ex Meridarpage,
  Quo dux nobilior nec Sthenelus fuit.
A parvis animantibus
  Magna exempla capi posse, Davidides
Olim de specula monet.
  Hinc formica pigros ducit ad horreum.
Terrarum dominos apum
  Rex regnare docet: Civibus imperat
Nullo saevus aculeo.
  Ipsis tuta movet signa Quiritibus,
Et Cannense piaculum
  Dissensu gemini Consulis editum

Varronis rapidi memor
Uno se duce, se Consule corrigit.
Nunquam tenuia spreveris.
Num barris minor est musca Philostrati?
Cygno Virgilii culex?
Multum debet adhuc Lesbia passeri;
Quaedam noctua fert diem;
Nonnulli favet et Pallas araneae.
At tu Phoebe pater, pater,
Quo tandem rapies? desine vilium
Bellorum stimulos tui
Vatis magnanimo subdere pectori.
Da, si quid placeo, Phryges
Dignos his animis aut Agamemnona.

Ad Philippum Aramandam.

Animum a militia ad iurisprudentiae studium transferenti incorrupta mentis aequitatem commendat.

ODE XXIV.

Ergo revolves vasta volumina
Iustiniani? sed placitam Themin
Ducturus uxorem cavebis,
Ne pluvio violetur auro.

Maiore cura, quam Danaen pater,
Include sponsam turribus; intimo
Nummatus illam quisque claustro
Forsitan eliciet colonus.

Quicunque castum *ius* violaverit
Lenocinantis fraude pecuniae,
Legum est adulter. Non et auri
Esse velis, Aramanda, magnes,

Ut te decebat, dum cecinit tuba,
Traxisse ferrum. Propositi tenax
Urgebis indagare *punctum*,
Quod reperit celebratus Ivo.

Non in crumena Caesarei latent
Arcana iuris; dignius *utili*
Praesens *honestum* mentis arcem,
Non loculos habitat rapaceis.

Urunt videntem dona potentius;
Obiecta primis nutibus amove.
Si miles in campo fuisti,
Iustitiae gladio probabis.

Ut aere totum rus spolies, time
In longa litem ducere secula
Malumque, quod Praetore coram
Una dies poterat levare,

Exasperandum tradere mensibus.
Festina mulcet gratia; si dolo
Longas in ambages reductus
Mille fluas refluasque technis,

Nec Zasii nec scrinia Bartholi
Reum iuvabunt quaeque tumentibus
Buccis ad horrorem citabis
Sacra tui monumenta Baldi.

Amat forenseis lis Podalyrios,
Qui, cum laborat vena calumniis,
Sermone pertentant, ut aegrum
Ausoniis medicentur herbis.

Vidi eloquentem saepe Machaona
Prodesse caussis iam capularibus,
Phthisinque ieiunique febrim et
Pauperiem pepulisse Codri.

Enthusiasmus.

Anno M. DC. XXXVIII.

Exauditum se a Phoebo multa futura didicisse.

ODE XXV.

Evan! quam feror in specum?
Audivit mea vota Aonidum deus,

Audivit: feror in specum
Plenam fatidicis fluctibus, Evoe!
Toto numine turgidus
Incumbente tremo; quod patior novum est
Iucundusque dolor; iuvat
Insanire, iuvat cum Furiis novem
Et Musis tribus, Evoe!
Latonae soboles me mihi surpuit:
Immensum tamen in chaos
Rapto fata Pater praescius indidit.
I pubes Alemannica,
I felix aciem sternere Balthicam.
Eheu tarda venis; subit
Collectis potior Suecia viribus.
Quis Lunae residis procus
Turcas Odrysiis finibus evocat?
Hostis tendit in Austriam:
Cursum belligeri sistite Pannones.
Vastantur Babylonii;
Thraces Susa premunt: cur refluit Tagus,
Aurum trudere debilis?
Spumosos agitat Sequana vortices
Torrens ire superbior
Et permista tubis arma minax vomit:
Iam Rheni trepidant aquae.
Victum, ni properes, dux, cave Saxonem.
Martis vertitur alea:
Tu captus traheris visere Franciam.

At famosa quis Italus
Villae praevehitur septa Theoniae?
Forti res geritur manu:
Vindex Caesarei strenuus agminis
Mactatas super hostias
Infecit gladios sanguine Gallico.
Trunci cum iugulis cadunt;
Sectis sparsa iacent Lilia crinibus
Messis densa cadaverum.
Dunquercana natat classis in aequore
Hollandosque fugat, fugat.
At non Cattigenae prociduum mari
Submisere genu neque
Despondent animos; damna Britannico
Compensant sua littore.
Vos Tartessiaci currite remiges,
Dum clemens favet Aeolus.
Sed cur negligitur flebilis Alsata?
Qui salvum cupis Imperi
Immotumque caput, protege patria
Urbem in rupe sitam: fames
Expugnat; sed et o tristibus Anglia
Moerens fluctibus innatas!
Quo te corripiet Scotia turbine?
Belli, credite Teutones,
Nullus finis adhuc: nam Catalaunia.

Gaudium bonae mentis.

Carmen geniale decantatum Warenbergae.

ODE XXVI.

Nullo notari crimine, nil sibi
Conscire, Dis est ante diem frui,
Potare totis plena ripis
Gaudia non modica phaselo.

Illum Syene torrida frigidis
Obnubit umbris et Meroe tegit
Luco migraturumque vernus
Trans Scythiam comitatur aer.

Frons laeta semper puraque nubium
Gratique risus et decor et sales
Docto verecundi Falerno
Et facili lyra tacta nervo

Suadent amicum dicere Cynthium.
Seu fracta coeli porta tonet super
Cervice seu subsidat orbis,
Stat tamen in media ruina.

Mandante Sulla qui subit innocens
Curvi volanteis aequoris insulas,
Mutabit Aegaeum Lucrino
Iam patriae melioris hospes.

De pane furvo scinditur attagen;
Manant lutosis vina paludibus.
Civis sui sorbebit exul
Socraticas hilaris cicutas.

Ad Isidorum Schmirckium.

Ut senex prompto animo mortem admittat.

ODE XXVII.

Sexagesima iam Ceres
Maturum capulo vidit et Aeaco;
Autumnus toties novus,
Isidore, tuam fluxit in amphoram;
Nondum pulsa tamen sitis,
Plus aetatis adhuc, plus cupis aeris,
Nec vitae satiat quies
Optantem vapido de senii cado
Heu faecem bibere ultimam!
Centum annis inhies, ut doleas diu.
Quae te intemperies agit?
Cerritus manifestum helleborum furis.
Multae ludibrium necis,
Quanto plura tuo tempora funeri
Et fastidia praeparas,
Tanto supplicium longius extrahis.

Iam felicior aurea
Aetas terga dedit; quae super, hispidam
Tormentis faciem gerit.
Restagnant oculi; turpe manus tremunt;
Nasus vergiliis madet
Et, quam dissecuit ruga, binominis
Totum frons caput occupat.
Restat febris adhuc continuae gelu et
Talpis addita surditas.
Post grando, pluviae, nix, tonitru, vapor
Et quidquid miserabilis
Limoso veniens e stomachi lacu
Tempestas coquit imbrium:
Eheu quae cerebri fulmina senties!

Ad Paulum Waltenhofium.

Narcissum dehortatur a philautia.

ODE XXVIII.

Mater venustas plena ferociae
Crinita flavi verticis annulis
Suas honoratura doteis
Quam fragili male fidit aevo!

Dum floret, omneis despicit altior
Quocunque morbo, seque licentius
Procatur et vivo renidens
In speculo sibi nubit ipsi.

Sed stulta formae copia mutuae
Quid praeter umbras gignere mutuas
Posset? quid Iphis ex Ianthe
Nupta sua generavit olim?

Utcunque soli, Paulle, tibi places,
Amas amantem, non tamen alterum.
Errore quam grato iuventae
Tam sterili vacuoque laudis.

Proli creandae sint duo coniuges;
Sexum requirit mas sibi disparem.
Ne pulcer eunuchus vocere,
Sideream paritura famam

Ducenda Virtus: huic thalamo tuos
Committe vultus; huius in aureis
Optanda nascetur lacertis
Gloria et indubiam secutus

Honor sororem; tunc adeo meo
Dicere versu nobilis, et canam
Fuisse tanti, non fuisse
Degenerem facieque turpem.

Virtutis expers forma quid impetrat?
Qua spe superbit post breve lilium
Perire vel languere iussa
Triste gravis spolium senectae?

Haec bruma vernas, haec subigit rosas.
Ledaea certe Tyndaris angitur
Et moeret intricata rugis
Bisque rapi potuisse secum
Miratur eheu multa putans anus.
Famosa quondam, dum steterant genae,
Et flamma venalis Corinthi
Ingemuit nive sparsa Lais.

Ad Iulium Thamesinum.

Non delectari se fracto et molliore cantu.

ODE XXIX.

Oscines sectos, Thamesine, laudas,
Colla torquatos, oleo nitenteis
Guttur ac vocem, numerosque stricta
Concipis aure.
Utque te credam minus imperitum
Iudicem, iuras: nihil eviratis
Dulcius cygnis etiam Caystri
Reddere ripas.
Non ego mollis cathedrae patronus;
Viva naturae placet et virilis
Vox mihi, non quae Phrygis usta ferro
Fractaque tinnit.

Illa seu nostras imitata chordas
Seu tuam, solers philomela, musam
Implicet questus et amoena flens suspiria libret;
Praefero verae gemitum columbae,
Oris imberbes citharas et emptum
Carmen argento teneri spadonis
Mollius odi.

Ad Canum Virniam.

Tectum et multiplicem agendi modum reprehendit auctor damnato exemplo Guilielmi Orangii Nassavii. Ex Hist. Belg. Fam. Stradae S. I. Dec. I. lib. 2.

ODE XXX.

Tu plaudis tibi, Virnia,
Arcano taciti pectoris in sinu,
Introrsumque reconderis,
Et gaudes habitare in cochleae modum.
Sermo, quem timide iacis,
Secretum redolet triste cuniculi
Talparumque cubilia.
Fors dici cupies alter Orangius,
Stradae portio nobilis;
Namque illum penitus sepositam ferunt

Mentem telaque consili
Celavisse decem cratibus abdita.
Vasto navis in aequore
Persulcantis aquas et volucrum via
Reptatumque iugis iter
Deprendi poterat certius anguium:
Nili et Nassavii caput
Eiusdem populis impenetrabile
Credebatur originis.
Haerebant latebris verba tegentibus
Et, ceu Phidiaca manu
Cordi insculpta forent, praeter Orangium
Nemo gutture moverat.
Virtus haec nimia est et vitium propc.
Malis in medio situs
Dispensare tuum, Cane, silentium
Ut nunquam muliebriter
Pertuso liquidus currere dolio,
Sic nec pectoris aenei
Custodire tenax omnia moenibus.
Nullam mens bona ianuam,
Nullum limen habet; publica regibus
Spectari metuat nihil
Audax in medio stare satellitum.

Ad Nicolaum Feronium.

Quaedam sapienter tacenda fortiter esse dissimulanda.

ODE XXXI.

Bacchus probetur vitreus inspici,
Non tu, Feroni. Provida nobili
Natura non frustra negavit
Perspicuas animo fenestras.

Velanda quaedam nube silentii
Intra senatum. Putria fervido
Secura sunt sub dente verba,
Lubrica destituunt loquenteis.

Miscere sermonem est popularia
Miscere telis praelia tinnulis.
Periculosum crede saevi
Alloquium genus esse belli;

Ne garrientem spicula saucient,
Canat subinde et lingua receptui:
Fors mille fraudeis in reductis
Hannibal insidiis locavit.

Sit praeses oris Sigalion tui;
Cavebis illud dicere Sub rosa:
Quod ipse nequidquam silebas,
Scilicet id taciturus alter.

Non et quibusvis auribus Arcadum
Secreta pandes taedia: pectoris
Clausi sepulcrum vincit omneis
Turis opes violaeque odorem;

Humata sub quo probra, calumniae
Iniuriaeque et dedecus ultimum
Iraeque vindictaeque foetent
Funera et invidiae cadaver.

Ad Arisium Moschum.

Aetatem factis, non annis, extendi.

ODE XXXII.

Hunc senem dices, Arisi, beatum,
Cana non cuius numeratur aetas,
Sed velut conchae lapis aestimatur,
Rarus Iaspis.
Integras parvus lapis iste rupes,
Plurimas unus, pretiosa vincit
Gemma: nam doteis breviore gyro
Contrahit omneis.
Sic dies vitae sapientis una
Mille stultorum superabit annos;
Sic anum prudens fatuam puella,
Uva labruscam.

Esse multorum est et habere corpus:
Vivere ad paucos venit. Huius usum
Sola mens caeco scelerum tumultu
Libera praestat.

Ad Andream Brunnerum.

S. I.

Iephten tragoediam exhibiturus Ingolstadii anno CIↃ IↃC XXXVII.

O D E XXXIII.

Iephten daturo spiritus incidit
Urgere scenam flebilibus modis,
Brunnere, qualem nostra suadent
Tempora deteriora priscis.

Olim in theatrum sex modios salis
Terentiani sparsimus; et molam
Versare cum Plauto coacti
Movimus in podio cachinnos.

Spleni litatum iam satis; ilia
Laboret alter rumpere comicus:
Maior tragoedum cura, maior
Ordo movet; iuvat esse tristem.

Insana, nam quid dissimulo, iuvant
Lamenta; totum Corduba me suo
Pervasit Annaeo, nec Umber
Iam placet aut thymele faceta.

Non est voluptas nulla, dolentium
Audire questus. Huc, puer, ocyus
Affer cothurnum; deme soccos,
Funde merum speculumque Othonis

Maius corusca, quod varias mihi
Antiquitatis vibret imagines,
Rerumque et aspectus locorum
Luminis obiiciat repulsu.

Hic Maspha circum palmiferum caput
Inter comatas erigat arbores;
Hic molle vitrum trudat Arnon,
Mox fluvius lacrymis rigandus.

Pro quantus irae turget et in minas
Despumat Ammon! praelia matribus
Ploranda funestat rapinis.
Tunc pavidis meus ille Iephte

Quaeretur exsul civibus in ducem,
Quamvis rogatus tardior annuat.
Pugnatur: insignem triumphum
Isaciae meruere dextrae.

Bene ominato sternitur impetu
Calcatus hostis. Quam dubios natas
Victor per eventus! honesto
Profuerat tibi Marte vinci.

Ah in reversi, filia, filia,
Fatale patris laberis obvia
Fatale votum! cur repente
Castra fremunt ululata luctu?

Vertuntur hastae; nulla sonat tuba;
Stat muta belli gloria; laureae
Feralis inserpsit cupressus.
Dira tibi stimulos cupido

Foras iturae, Iephtias, addidit.
O nuptialeis interea domi
Futura nevisses in auro
O utinam tibi, sponsa, vesteis!

I virgo frustra nubilis, i dolor
Parentis orbi cumque sodalibus
Erra per Hermonis virentem
Exequias praeitura lucum.

Cum bis in orbem luna recreverit,
Redux ad aram victima patrium
Ensem cruentabis: sed istud
Lege rata peragetur intus,

Ne syrma risus flebile polluat,
Error nocenti tristitiam ioco.
Flaccus lucernas et dolosa
Sanguinei simulacra colli

Fictosque gestus et caput illitum
Odisse fertur: rustica displicet
Imago pompae; sumptuosa
Pauperis ingenii suppellex.

Crudelis intus te feriet pater,
Crudelis autem? quin potius Deo
Instinctus auctore et iubenti
Grande reus soluisse votum.

Ingens in aevum, filia, mitteris;
Tu nascituro nobilis hostia
Dicere praelusisse Christo
Sorte tui pretiosa fati.

Haec acta coram qui referant, erunt:
At non puellis serta ferentibus
Prodire morosus negarim;
Dulce decus cumulare vadant

Florum coronis; pars iaciant crocum;
Pars e quasillis expediant rosas.
Ploratur aeternamque famae
Materiem parit ipse lessus:

Heu nulla linquis pignora, Iephtias
Praerepta caelebs! heu sterilis cadis
Omneis Galadinis per annos
Virginibus lacrymanda virgo.

Sed iam decoro cerno madentium
Submissa fletu lumina deiici:
Moerore spectator liquescit
Multa putans animosque miscet.

Ad Maciem.

In die natali.

Cum aestivis diebus Eberspergae moraretur.

ODE XXXIV.

Soror Galeni, vivida sanitas
Tibi dicati corporis, huc ades;
Huc Gratiarum quarta, divis
Iuncta tribus, Macies, sonoros

Molire passus. Ostia pandimus
Dilecta priscis vatibus ac Deo
Spirante facundoque plena.
Flecte meum subitura limen,

Huc flecte currus. Nil vetitum tuis
Videbis usquam legibus: omnia
Ex arte respondent magistrae,
Molle nihil tenerumve tactu;

Non nidor ex abdomine, non adeps
Cubilis ullo fumat in angulo.
Consurgit ex tophis ab imo,
Inque cavum sinuatur arcum

Ingressus antri; caetera pumice
Ornantur albo; cardinibus crepat
Abiegna motis porta; passim
Calva iacet solidumque saxum est

Pulvinar ingens. Querna vel ossea
Vel nulla sedes. Ipse ego corneus
Et paene tralucens futuri
Anticipo cinerem sepulcri

Praelargus umbrae. Non ego nescio
A te probari tale palatium.
Invise: iam carmen subactis
Disposui geniale chordis;

Neu terrearis turbine cimicum
In me ruentum lege ferociae:
Mordere si possunt, acutos
Et poterunt hebetare denteis.

Intra: quid haeres? tu Polyhymnia,
Tu dulcis olim Terpsichore mihi,
Nunc maior ipsamet Minerva et
Delicium gracilis poetae.

Ad Paulum Rivernam

Stoicae sectae.

In funere Alberti Rivernae, carissimi filii primogeniti.

ODE XXXV.

Consolatio Stoica.

Paule, ne fallas animi dolorem:
Vince; si totum caput irruenti
Offeras nec te maculosa signet
Lacryma, vinces.
Fallitur tantum gemitu paternus
Moeror incluso minuique fingit;
Interim pelli negat et medullas
Obsidet imas.
Mater, amisso velut orba foetu
Tigris obstanteis furit ire contra,
Mater iratis metuenda funus
Imputet astris,

Dumque ploranteis oculos resolvit
Ac supra ripas sinit evagari,
Vana leniri putet et tepentem
Cedere luctum.
Tu pater, tu vir meliorque coniux
Nec nihil nostris madefactus undis
Maius in mortem subitosque casus
Robur habeto.
Si vel abiectum genus atque sexu
Molle solarer vel ineruditum,
Tecta plebeio quoque mitigarem
Vulnera panno.
Diluit fletus mala, non trucidat.
Strenuis quondam generosa cincte
Corda praeceptis age, Paule, toto
Mergere fato.
Umbra ne turbet reditura somnum,
Incuba Stoae placidumque dormi,
Qualis Alcides latus audet accli-
nare leoni.
Haec vigil tecum: Quid enim mearum,
Caelites, rerum stomachatus unquam
Subtraho vobis? patet omnis arca,
Insuper ipse.
Vestra sunt, quae nunc mea dico, vestra:
Venit a vobis soboles et uxor;
Dos, opes, fundi, focus, ara, vestrum
Omnia munus.

Utimur: sed si data qui dederunt
Unico reddi voluere nutu,
Antequam cogat rigidus satelles,
Reddimus ultro.
Lex diem cunctis statuit supremum:
Ergo mortalem genitum sciebam;
Ergo me proles mea non fefellit
Fida parenti.
Quo sub occasum fluet omnis aetas,
More torrentis rapidi praeivit.
Per tuos maneis tumulumque, fili,
Sponte sequemur.
Qui mori non vult moriente mundo,
Stultus aut vitae nimis est avarus.
Hanc, Deus, testem tibi me resigno
Nudus ad aram.
Tolle vel dona; refer aut omitte:
Qui nihil contra meditetur, adsum.
Damna seu iustum pariter capaci
Annue lucrum:
Lancis in parteis utriusque vergo.
Vis, ut haeredem generis relinquam?
Opto: si mavis, cariturus omni et
Fortiter orbus.
Talis audiri solitus, Riverna,
Fata terrebis; dolor involucrum
Rumpet et tristes inimica vertent
Agmina curae.

Ipsa quantumvis levis erubescet
Torva Fortunae facies sinistrae:
Teque migrabit quatiens relictae
Limina portae:
Mene contemptam? gemuitne leti
Pressus aerumnis oculumve flexit?
Cedo; quid surdis Sipylum flagellis
Verbero saxum?

Auctoris Melancholia.

Quum e campis redux audiret Brisacum a Duce Vinmario occupatum.

ODE XXXVI.

Horatianam da citharam, puer,
Unco refixam parietis alteram
Vocalis argenti, nec illam,
Munus arundineum Menalcae.

Relinque buxum! quam propior modo,
Boeote, tangis, diripe postibus!
Nescis tot exploratus annis,
Quas lacrymans animique moestus

Amem camoenas? Tum foribus quoque
Clausis memento ducere pessulum;
Nolis apertum me gemente
Tristia vestibulum patere.

Lessum dolori molior: Urbs nisi
Custodiatur praesidio Dei,
Vallumque turritaeque frustra
Excubiae statuentur urbis.

Ergo Brisacum, Teutonici Iovis
Tarpeia rupes, decidit in manus
Brenni! Puer, quis fila solvit
Et numeros male feriato

Turbavit ungui? nil sibi consonat.
Fideis reducat natus ad Aufidum:
Me taedet insani laboris:
Fer cyathum et citharam repone.

Ad Germanos.

Cum sub ipsa Bacchanalia Suecus Germaniam vastaret; et Turca occasione belli civilis in Hungariam Austriamque irrupturus timeretur.

ODE XXXVII.

Audemus armis quaerere perdita?
Non ille certe, qui prope dolium,
Spumantis ad fumum lagenae
Et patriam sedet unctus offam:

Haud amovendus, dum sibi canthari
Pernaeque constant, et Cereris vitrum
Insigne nodis et capacis
Struma scyphi nova vina fundit.

Haec bella passim cerno madentibus
Pugnata mensis; bella sed heu nimis
Pudenda nec multum Gothunno
Aut Geticis nocitura verpis,

Ni verioris militiae seges
In tela crescat: qualia novimus
Vibrasse Marsos et valentem
Sistere Pulydamanta currus;

Aut quanta noster torserat, a nigro
Qui monte nomen fulmineum tulit,
Priscique Sueppermannus aevi
Bis gemino satiandus ovo.

Heu surge tandem peior avis nepos:
Vides, ut Istrum barbarus inquinet,
Ut cuncta subvertant Alani:
Et solidi nihil ensis audes?

Insurge in hastas: non acipenserem
Mappisque fusos hostis apros neque
Crateras imbellemque thyrsum
Aut vitrei timet arma Martis.

Ad Aquilam Romani Imperii.

O D E XXXVIII.

Surge Romani Iovis et trisulci
Fulminis custos aviumque Caesar:
Praeliaturas acies minatur
Ala rebellis;
Vulturi Sueco sociant frequentes
Signa bubones acuuntque rostra.
Totus hostili legione circum
Texitur aether.
Stringe iam notos, neque differ, ungueis:
Arma concussa sonuere nube;
Sistit in caelo veterem tibi Phar-
salia campum.
Pelle Finlandos age, pelle corvos;
Ora Stymphali vacuetur Hunnis:
Milviis ningat lacerisque Lappis
Fluctuet aer.
Victor optantem redeas Viennam
Alitum sacra comitante turma;
Impleat Mavors spoliis volantum
Castra Quiritum.

Tres Heroes

Ab auctore in exemplum bellicae laudis propositi et Germanis contra suos hostes decertaturis imitandi.

Heros I.

Georgius Castriotus Scanderbegus,

Princeps Epiri.

O D E XXXIX.

Exempla verbis praefero: scindite,
Obscura somni scindite nubila,
Umbrae triumphales, et armis
Elysiam reserate noctem.

Desueta pridem pectora Teutonum
Formidolosos tundere Bistonas
Exsuscitaturi sepulcris
(Sic Superi statuere) vestris

Prodite manes, rumpite vincula
Fatique leges: tu prior omnium
Regnator Epiri Molossis
Et Macetum celebrate genti:

Qualis ruebas in Geticos canes!
Minore velox Semifer impetu
E monte decurrens paventeis
Labdacidas agitavit orno.

Hic ille bellis clarus Achaicis
Est Castriotus: cuius acinacem
Contempsit hostis, sed tremendam
Saepe manum validique sensit

Pondus lacerti, cum medios fremens
Globos secando dux equitem simul
Equumque consertos in unum
Divideret penetrante summa

Et ima ferro; sessor et unico
Insessus ictu sordida quadrupes
Cruore porrecti per arva
Continuum subiere letum.

Suismet idem moenia moenibus
Portisque portas fregit aheneas;
Et saxa praemunita saxis
Obruit Aemoniasque late

Vastavit urbeis. At patrios lares
Quantus tueri! Thrax acie ferox
Aequante flaventeis arenas,
Quot Libycis iacuere campis,

Parvam (pudendum!) non numerabilis
Croiam premebat: iam laceris famem
Muris et obsesso pavorem
Intulerat mala Fama civi;

Accessit astus frausque periculum
Motura donis; illecebrae volant
Ad summa valloram et doloso
Ingenium leve ludit auro:

Sed expeditis cuncta Georgius
Perrupit armis: Arma, ferocior
Deliberata morte miles,
Arma para, freme miles arma!

Praecedo vel sic. Haec ubi gloriae
Severus emptor, vendere laudibus
Vitam paratus pandit arcem
Perque Getas piceamque nubem

Et foeta caeco Marte tonitrua
Fusumque aheno sulphur et igni
Torrentis horrendos fragores
Relliquiis comitatus exit

Damno minantum. Sic Libycus leo,
Quem dormientem saltibus aviis
Clausere pastorum catervae,
Prima fames ubi suscitavit,

Miratur et, quanquam undique ferreas
Sepes tuetur, turbidus emicat
Viaque facta frangit Afri
Oppositas animosus hastas.

Quos ille pugnax disiicit obiices!
Importuosae se super agmina
Effudit in morem procellae,
Quae decimo revoluta fluctu

Immugit astris. Fertur ad ultimum
Urgente tristeis milite ferias
Demens Amurathes superbum
Dentibus instrepuisse coram

Bassis ab ira collacrymantibus,
Fissisque labris et digitis sibi
Cessisse praemorsis, dolore
Inque fugam rabiemque verso.

Tantum supremis icta periculis
Virtus, honestum dum petit exitum,
Pulcerque desperantis ardor
Cordis habet stimulique acuti.

Unam duello fortior altera
Necessitatem saepe necessitas
Absorbet: et probrum timenti
Difficile est metuisse letum.

Heros II.

Ioannes Austriacus

Caroli V. F.

Navali pugna et victoria ad Echinadas contra Selimum Secundum Turcarum Imp. celeberrimus.

ODE XL.

At non marinis Austriacum tubis
Late sonandum terruerant Getae:
Quamvis aduncis plena rostris
Sylva sagittiferumque pontus

Vectaret hostem. Christiadum phalanx,
Io triumphe, sparsit Echinadas
Tabo Gelonorum: caduca
Sanguineus rotat arma vortex.

Circumsonanteis vix maris alea
Tentata naveis miscuit ac viros,
Cum barbarorum vis repressa
Et domiti cecidere fastus.

Unita virtus nec numerum timet:
Multo tremendus remige Concanus
Fugatur a paucis et horret
Aequorea fluitare valle.

Quis, Luna fractis livida cornibus,
Sub nube moesta tunc animus fuit
Classem pharetratam videnti
Ad gelidum properare stagnum

Tetri Charontis iamque aliis regi
Velis et aura non simili? Senex
Instat per obscuramque Lethen
Frusta vehit reditura nunquam.

Ac si veneno Thessaliae nurus
Te polluissent, diceris indiga
Pelvis canorum tinnientis
Funereo rubuisse rhombo.

Cum molle Nereus interea fretum
Enaviganti sterneret Austrio
Summoque donatum tridente
Obvius exciperet quadriga:

Hoc Baetis, hoc et masculus Adria
Tybrisque novit: qui viridi sedens
Tapete riparum hinc Iberos,
Hinc Venetum cecinit leonem.

Tunc Roma septem subsiliens iugis
Pictusque rubris membra coralliis
Triton iocoso per fluenta
Aere strepens Aniena lusit:

Tuscaeque conchis versicoloribus
Plausere Nymphae; tunc Zephyri pater
Eurique festivoque currus
Hippotadis sonuere nimbo.

Heros III.

Ioannes Hunniades

Terror Turcarum

Dictus.

ODE XLI.

Et tu ferocem, Pannoniae decus,
Vultum sub auras, Hunniades, refer.
Quo stante vivo tuta nunquam
Odrysii stetit aula regis.

Regnare toto creditur aethere
Per sola notus fulmina Iuppiter;
Sed te Musulmanni sciebant
Vivere funeribus suorum.

Expergefacti. Te capulo tenus
Fixis superstans hostibus alterum
Iovem probasti; tam profundo
Corda metu glaciante Thracum,

Ut et fugaceis exanimaverit
Incussus imis visceribus pavor,
Et mater infanti molesto
Turca tuum minitata nomen

Terrore fletum provida sisteret.
Qualis cometes, sanguineum genus,
Si forte stellarum coorta
Seditione tumultuosum

Invasit axem, territat omnia
Late minaci fronte palatia,
Magis tyrannos. O salutis
Stella tuo memoranda civi

Ortuque felix Hunniades iubar!
O triste Turcis omen et ignei
Fatale salve Martis astrum!
Quod toties Othomannus omni

Horrere visus vertice Bospori
Sese cavernis turpibus abdidit
Pallens, ut exsternatus anguis,
Cum subitae tonuere nubes.

Ille, ille caudae multiplicis draco,
Quod iactitabat, sed capitis draco
Unius, illisis cerebri
Procubuit super arma nervis,

Qualem trisulca terrigenam iuba
Laetum et Pelasgos mille volumina
Spirasque per saltus trahentem
Explicuit Capanea pinus.

Isto, Quirites, se probet aemula
Ductore virtus et gladios velut
Ad enovaturam retusos
Exacuat rediviva cotem.

Ad Wilibaldum Ehrenmannum.

Se deinceps D. Virginis vatem et encomiasten fore.

ODE XLII.

Est et hoc nomen, Wilibalde, tanti:
Me suum Virgo iubet esse vatem;
Virgo cantanti Galilea molleis
Applicat aureis.
Illa versuro lituos in hostem,
Mitte sectari modo castra, dixit,
Strage deformes alio loqueris
Tempore pugnas:
Nunc tamen mitis nihil inquieto
Debeas Marti. Sit oliva lauro
Nexa, non cornus; volucreis capillis
Detrahe cristas.

Sin et in praesens animum furentem
Tanta bellorum stimulat cupido,
Nostra permistis quoque fixa signis
Adde tropaea.
Noster es, nostris agitande flammis,
Nos canes primum: celebris sequetur
Tillias magnam meditata famam et
Arma virumque.
Iam fluant sacri fidibus calores,
Ipsa te chordas quatiente blandum
Inseram numen numerosque dulci
Arte iuvabo.
Haec ubi: gratum iaculata lumen
Astitit coram; simul evoluta
Nube crinalcis radios ab omni
Parte retexit;
Utque ferratam manibus tenentem
Repperit pennam gladiique acumen,
Et tubae cornu galeamque et hastam excussit in auras.

Ad Divam Virginem.

Delectari se eius laudibus canendis.

ODE XLIII.

Quem, Regina, tuo semel
Afflaris Zephyro, non aliis velit
Ventis ille vehi super
Undas Pegasei fontis, ubi sacram
Venae laetitiam bibat
Et facunda redux carmina temperet.
Nec, cum Pieriam chelyn
Arguto fidicen pollice moverit,
Formosam Lalagen canet
Vultumque ac niveae colla Licymniae
Aut nigras Glycerae comas:
Sed doteis potius, Virgo, tuas lyra
Emirabitur aurea.
Et nunc sive caput sole serenius
Seu lunae timidum iubar
Subiectae pedibus dicet et igneas
Zonae sidereae rosas;
Nunc, ut virgineo castus et integer
Partu detumuit sinus,
Matris non solitae nomen et oscula
Laetis humida lacrymis
Vagitumque Dei; tum liquidum melos

Caeli et non rude gaudium;
Nunc formam Pueri: sive nitentibus
Gemmanteis oculis faces
Infusumque diem crinibus ac genas,
Mali fragmina punici,
Et costi madidos unguine dactylos;
Seu quae plurima serior
Aetas bis geniti Numinis edidit,
Narrabit fide Teïa
Vates partheniam vectus in insulam.
O ergo facilis veni,
Nec te, Diva, tuis subtrahe laudibus,
Quas si dura mihi neges,
Non opto lyricis vatibus inseri.

JACOBI BALDE S. J.
LYRICORUM LIBER II.

Celeusma Marianum

sive

Laudes divae Virginis

ex ss. litteris.

Allegoria.

ODE I.

Regina, — nam quo nomine te vocem? —
Cui mille naves laudibus asperae
  Honoris in portu quiescunt,
    Mille novae subiere pontum

Trans claustra Chinarum et Iapones feros
Encomiorum non popularium
  Gazam relaturae superbam,
    Omne fretum tibi, Diva, servit

Remisque velisque et super aethera
Late refuso gurgite gloriae,
  Qua Sol supinos quaque pronos
    Tollit equos abeunte curru.

At illa navis, quae Galileidos
Inscripta sacro nomine Virginis
Favoris aspirante vento
Oceanum penetravit immensum,

O quas profundo fertur ab aequore
Reversa merceis, quos cumulos opum
In Nazarenos, unde primum
Solverat, evoluisse portus!

Electa sicci cinnama corticis
Myrrhamque et ingens pondus aromatum
Crocumque nardumque et fragranti
Balsama deproperata rivo:

Non tale quidquam protulit India,
Non ex Sabaea decidit arbore,
Nil tale Medorumque messis
Aut Cilices oluere nimbi.

Sed et genistis pendula Punicis.
Ardore miro mala rubentia,
Ne pressa marcerent, in ostro
Virgineae iacuere prorae.

Cedros comanteis e Libani iugo
Et propter amnem tot platanos sitas
Summoque divulsas Sionis
Monte quis enumeret cupressus?

Divina totis litoribus Ceres
Plenae per oras sparsa crepidinis
Surgebat in grandeis acervos
Non aliquo minuenda dempto.

Fluxere conchis vina capacibus,
Peculiaris vina notae, botro
Expressa Cypri, qui Calenae
Chrysolithos superabat uvae.

Pro quantus auri fulgor et ignium
Dives marinorum irrubuit sinus!
Advecta cum gemmis eburni
Copia quam pretiosa dentis

In Regis aulam sectilis et torum!
Collata tecum se Salomonia
Classis fatetur, Diva, vinci.
Quas variis opulenta ripis

Natura sparsit, colligis omnium
Complexa doteis; totus in unicam
Defluxit aether: parva pulcri
Est facies quoque magna mundi.

Milo Crotoniates Senex.

Humanae imbecillitatis monitor.

ODE II.

Quisquis aetati iuvenile fidis
Et tuos iactas temere lacertos,
Robur exemplo tenuare cani
Disce Milonis:
Qui bovem pugno violentus olim
Cernuum vulgo metuente stravi,
Ipse me mirans penitus solutis
Langueo nervis.
Nempe tunc nullam tenui securim
Nudus armorum; manus ipsa ferrum,
Ipse ferratus fueram nec ullo
Ligneus ictu.
Dexterae suppar humerisque totum
Venter absumpsit, mea bella, taurum:
Indus occisum Phaethon', sepultum
Vidit Iberus.
Nunc ubi vires, ubi tantus ille
Frater Antaei? pudet esse notum:
Publicae quid iam cumulata prosunt
Munera luctae?

Strage famosus rapida leonum
Iam lupos vito: pudor heu senectae!
Terret assuetum vacuare silvas
Obvia vulpes.
Saepe dimensum virideis ad annos
Corpus expendo, nec in hoc Milonem
Cerno quaesitum: mihi saepe multa
Mentior ipsi.
Forsan a memet tacite recessi.
Credar immotis pedibus stetisse,
Vir manu pressa retinens inexpugnabile pomum?
Erro figmentis dubiaque vulgi
Laude deceptus: neque me iuvenco
Ulla luctantem maculisve pardi
Sparsit arena.
Quid rosas semper querimur fugaceis?
Quercus in nigro sua fata luco
Sentit et tandem ruitura toto
Vertice nutat.
Fortis est, qui se negat esse fortem:
Aut suas certe meliore vireis
Lege dispensat propere sequenteis
Cautus in annos.

Paean Boicus

ab auctore cantatus,

Cum intra octavum diem omnium Sanctorum Monachii victoriae Pragensis memoria iteraretur.

ODE III.

Haec illa lux est, quae pepulit metum
Et atra belli nubila candidis
Discussit astris, cum sub uno
Imperii Latialis ictu

Fortuna staret. Torva Bohemia
Albi minaccis concutiens iubas
Leonis in flavum ruebat
Sanguineo metuenda rictu.

Qua belluosi stella cubilia
Praesignat horti, verius imminens
Pragae cometes, dira motis
Signa tubae cecinere castris.

Clivo rebellis miles in edito,
In valle noster: quanquam adeo palus
Tardabat uligoque putri
Crassa lacu mediique pontis

Obex, morantem transiliit pedes.
Hac est eundum, dux prior increpat
Adversa sustollens in hostem
Maximus Aemilianus arma:

Tum vero crebris icta tonitruis
Mugire tellus, fulminei Ioves
Stridente torqueri metallo:
Vox, gemitus, ululatus, irae

Miscentur una. Sic geminus ruit
Torrens ab Aemo, quisque suam rapax
Spumare brumam: donec alter
Per scopulos per et arva victor

Cursu feratur iam sua libero.
Mars tela telis et manibus manus
Et scuta scutis mistus aequat.
In galeas aliena surgunt

Caduntque cristae cornua proximae.
Proh quantus ensem stringit in agmine
Bucquoius et, quamvis laboret
Vulneribus, fodit ora ferro!

Immane nixus quot cuneos secat
Supraque toto vertice Tillius
Intorquet hastas! non tot Haedi
Caurus agit pluvialis imbreis.

Iamque omne bellum nomine perdito
Fit vera strages: tantus amor necis.
Stat miles in rupem et minanti
Terga negat faciemque praebet.

Nudata letum scandit ephippia
Passimque nudat; caesa cadunt velut
Armenta neglectisque Parcis
Tres Furiae secuere fila.

Io dehiscunt undique copiae
Et turpe mordent degeneres solum.
Sublimis ad Boios volat Victoria pulvereamque pennis

Inscribit auram. Quid iuvat aereas
Praeferre parmas? Omnia proterit
Virtus Anhaltinumque fracto
Detrahit exanimem caballo.

Turnus superbi nominis ambitum
Iactare visus denique repperit
Maioris Aeneae lacertos.
Verte pedem, Friderice, retro,

Rex, heu caducae fabula gloriae.
Campum petebas ceu Megalesia
Romana spectaturus inter
Artificis simulacra ludi.

Discede Circo: seria (non vides?)
Hostile spirat praelia classicum,
Frustraque nitenteis reverti
Mergit equos equitesque Molda.

Ergo incitata cornipedis fuga
Sese paventem protinus abstulit
Per plana, per saltus, in Urbem
Non alio rediturus anno.

Soluta laevo crure periscelis
(Pudor!) Britanni perditur in via
Favoris ornatus: repertum
Ludibrio diadema multo.

Iactent feroces se numerosius
In bella fastus: spes crepat improba
Tandem sinistrorsum et triumphat
Laurigero bona caussa curru.

Illam ministris auxiliaribus
Circumdat aether et, medias licet
Feratur in flammas, obumbrat
Aligerum clypeata nubes.

Ad Matrem amabilem.

ODE IV.

Quisquis o mitis tua teque Mater
Non amat, tristi niger est veneno
Et soporantis furiale virus
Suxit echidnae.
Illum et in saltu fera saeviorem
Tigris a veris catulis removit
Lacte depulsum timuitque dirum
Pascere fetum;
Illum et insani timuere fluctus
Ore spectantis prius excitati;
Illum et horrebit venientem ad umbras
Ianitor Orci.

Ad Othmarum Dandiram,

Adami Dandirae f.

De posteris primi Adami.

ODE V.

Si verum excutimus sinu,
Ex quo fatidica primus in arbore

Suspendit genitor gulam,
Heres stultitiae non dubius nepos
Infelix patrimonium,
Maneis quisque suos ac furias habet.
Ipsis debitus in suas
Sectus particulas as pueris datur.
Hinc iam cymbala, patrii
Iuris signa, petunt et quatiunt nolas.
Dulce est desipere in loco,
Factis quisque suis clamat Horatius.
Raro vertice non scatet
Seu cornutum aliquid seu bene mobile
Et par auriculis Midae.
Frustra dissimulas Dandira Dandirae
Et dici fatuus fugis:
Ah non te fugies, sive Borysthene
Seu defluxeris Isara.
Fatis res agitur: fata nepotibus
Instant; desuper ingruit
Convulsis cerebrum debile tegulis
Urgens imbricitor Notus
Ventosumque caput Gorgone sibilat.

Ad Carolum Wetteravium

In magni principis obsequia et aulam transiturum.

Propempticon.

O D E VI.

I quo vocaris, Carole; sed prius
Politiori fac patientiae
Immane votum: disce blandum
Ferre iugum et lepidos dolores.

Est aula pontus. Spes tua naviget
Vicina ripae; qui pelago nimis
Fidit quieto, larga praeceps
Immodicis dare vela ventis,

Calumniarum saepe Cerauniis
Illisus eheu cum gemitu ratem
Ad saxa non vitata franget
Tristius Emanuele Sosa.

Sparsae natabunt ludibrium trabes
Ridente portu, quo male solveras
In altum, et eluctata raro
Frusta suum dominum revisent.

Quod turbulentum senseris, edoma:
Menteis hiulcas gloria transilit,
Fastidit imas. Vive nulli
Asperior, tibi durus uni.

Sit magna famae cura, supercili
Sit nulla: fastum palpebra nesciat.
Utcunque sors mutanda ludit,
Non cupias cecidisse semper

Ad vota talos. Purpura, quam geris,
Mutat colores. Sidera nunc micant,
Nunc nube subiecta teguntur,
Perque vices variatur annus.

Felicitatis pars puto maxima est
Felicitati fidere parcius.
Qui non latens latere mallet,
Ille potest sapuisse dici.

Nescis? in aula sunt vitrei gradus:
Scandes deorsum crebrius et cades
Sursum repentinoque terrae
Terga dabis resupina motu.

Sed temetipsum dispice, caetera
Permitte fatis: rodit inutilis
Exulceratum cura pectus
Seque dolor cumulat dolendo.

Caelum minatur fulmina? sustine.
Praesens voluptas allicit? abstine.
Fortuna blanditur? recede.
Vana minax fremit arma? ride.

Places? favorem cautius occupa.
Iaces? triumpha tutus in otio.
Levaris? exulta modeste.
Deprimeris? patiare flecti.

Insultat hostis? dissimula. Dolet?
Gravare noli. Plura quid impero?
Virtute stabis: sola virtus
Et facit et faciet beatum.

Votum

Parthenii Sodalis.

Ex solenni formula: Propono firmiter ac statuo, me nunquam te derelicturum neque unquam aliquid contra honorem tuum dicturum aut facturum etc.

In gratiam nobilissimi adoleccentis

Sebastiani Venatoris

Carol. Andr. Venatoris f.

Cum in album sodalium B. V. referretur.

ODE VII.

Iungentur lepori canes
Et pardi capreis et timidi latus

Asternent ovibus lupi;
Pisces aerios transilient Notos
Et supra iuga montium
Balenae choreas cum vitulis agent;
Cervi subter aquas sua
Deponent liquidae cornua Naiadi,
Quae saltus per et avia
Sylvarum volitans pennipedes apros
Laxis retibus induet:
Haec possunt fieri, Virgo, meum decus.
Ut te vel tua deseram,
(Sic me, Diva, iuves) haud fieri potest.

Exclamatio

In funere divitis, cum sepeliretur.

Carmen extemporale.

O D E VIII.

Adeste, magni carceris incolae,
Parvoque claudi discite carcere.
Hanc vestra libertas Seriphum,
Hos Gyaros subit exul orbis.

Post fata cunctis sufficit angulus
Et parvus asser. Turrigeris ubi
Innixa Maurorum columnis
Ac minio variata moles,

Aut lata per quae iugera milvius
Volans citatas tot stadiis tamen
Lassavit alas? Nunc avitis
Nomen ubi fluitare bullis

Sparsum et cruenti sanguis originem
Foetens tyranni? Nunc lituis ubi
Elisus et rumor vapore
Astra super populosque vectus?

Venter pusillus, grande negotium,
Quo iam recessit? Quis leget ostrea
Gaurana pransuro? Ligatae
Quem veteri saturabit uva

Fuligo testae? Pomiferis ubi
Autumnus implens arboribus nemus?
Funesta creverunt Adami
(Insere nunc Meliboee) poma.

Ingratus heres caetera possidet
Te flente ridens; ille palatii
Metator insultat sepulcro,
Calve, tuo titulosque calcat.

Fert ille torqueis et Tyrii vomit
Spumas aheni: te redimiculis
Cingent inornatum lacertae.
Heliadum bibit ille crustis

Tandem solutis Caecuba clavibus
Mappamque tingit: te nec aqua, cinis,
Lustrare dignetur. Quietem
Sub placido capit ille cygno:
Te saxa pressant. Ille reconditae
Talenta gazae promet et intimae
Avarus immigrabit arcae:
Funereo tibi nec triente
In os reposto. Si lacrymas dedit,
Cum dulce pondus, carum odium, extulit,
Credantur emptae vel Charontis
Immemorem redolere Lethen.
Pro fluxa rerum, fluxa potentia
Opumque ludus! somnia, somnia
Emissa per rimas eburnae
Mox iterum revocanda portae.

De Ioanne Babyla,
Suevo quinquies viduo.
ODE IX.

Credet hoc quisquam? Babylas maritus
Coniugis quintae, simul occupatam
Litibus secum rapuere tristeis
Fata sub umbras,
Ducit et sextam vetulus iuvencam.
Unde tam diros precor hausit igneis?
Esse dicamus super omne regnum
Maius amoris.

Qui maris fluctus semel enatavit,
Non bis accusat mare: sed madenti
Veste suspensa Galateae ad aram
Abstinet undis.
Nesciunt stulti sibi non nocere.
Quinta quem nullis domuit lupatis
Uxor, in poenam dominas meretur
Ducere centum.

Ad Paulum Rivernam et Canum Virniam, Stoicos.

De moribus et natura sapientis.

ODE X.

Sub porticu cantata.

Frustra querelis conterimus diem:
Iam nunc inaneis mittite, Stoici,
Rixas locuturumque verba
Pieriis socianda chordis

Audite vatem. Quis sapiens? Sibi
Sat ipse solus; quem neque dimovet
A iure libertas, nec ensis
Purpurei violens tyranni.

Regnare dicas, qui posuit metus,
Hic sceptra sumpsit. Nobile cum Dei
Templum sit orbis, digna templo
Pectus erit sapientis ara.

Nec Rhenus illi gurgite patriam
Signat nec Ister: Roma sit Ausonum,
An Sconga Boiorum, profunde
Dissimulat generosus hospes,

Mundi inquilinus: moenibus ac domo,
Quam sol eundo circumit, ignea
Contentus includi lutosa
Urbe negat brevibusque muris.

Nullius idem sollicitudinis,
Quo natus anno, quo genitus patre,
Vulgo requirenti fatetur
Luce palam sine fraude tantum

Se nosse recte vivere. Vivere
Non esse solo vescier aethere,
Sed laude virtutisque fructu
Egregiam satiare mentem.

Ut quisque caelo decidit optimus,
Est eius annus; tempora, crastinum
Ignorat hesternumque mane,
Cum Superis hodieque vivit

Et puncto in uno totum agitat sui
Collectus aevum, linquere sarcinam
Et ferre mortalem paratus,
Quamque piger cupiisse multa,

Tam curiosis luminibus vigil,
Ut temperatum pectoris alveum
Concinna tranquillo voluntas
Naviget insideatque vento.

Non ira fluctus, non amor excitet,
Frangatve remos impatiens dolor,
Aut incitatae vela mentis
Destituat timor in Charybdi.

Hic liber est, qui se sibi vindicat,
Suisque semper nobilior bonis
Caduca, quae late patentem
Trans animi iacuere ripam,

Indigna curis grandibus aestimans,
Quocunque casu perdita, quam parum
Segmenta tonsae sparsa barbae,
Restitui spoliatus optat.

Iam qualis inter prospera? Nubilus:
Rebus secundis, si nimiae fluant,
Oblatrat infigitque dentem.
Fluctibus exagitatus inter

Adversa tanto laetior exilit.
Fortuna mollis pugnet an aspera,
Haud curat utriusque victor:
Ferreus in vitream cadendo

Frangit gementem pondere; ferreae
Luctator obstat laneus ac rudes
Consopit ictus et fatigat
Arte pari iaculantis artem.

Hac ille tutus non premitur malis,
Sed maior uti gaudet et ultimam
Exspectat inconcussus horam,
Qua Superi voluere lege.

Si certa capti mors animi fuga est,
Cur expavescat compedibus Geta
Solvendus? Auctorem sequatur
Me quis et ad populum silentem

Citatus Adsum clamet et irruat
Festivus umbris seque petentibus
Reddat, nec accuset neganteis
Plura Deos iterare lustra.

Nulli querentes secula corripi
Calumniantur fata protervius,
Quam qui merebantur recondi
Ante diem properante fato.

Heic fila solvo. Quid mihi, Virnia,
Quid, Paule, dices magnificentius?
Iam nunc quiescamus sub alno:
Cras aliam feriemus oden.

Ad D. Virginem.

In Silva Quietis, vulgo Waldrast, altissimo Tyrolensium montium iugo propitiam.

Cum auctor ad eam inviseret.

O D E XI.

Diva, quam circum spatiosa late
Hinc et hinc crescit nemoralis arbos
Et supra nubeis procul acta ramis
Sidera verrit,
Ut libens dignas habitare sedeis
Cerno sublimem! Nebulosa quamvis
Saxa praecingant, amor egit altum
Visere montem,
Cui Therapneae metuant Amyclae
Terga conferri viridisque Cynthus,
Quaeque famosos agitata pascunt
Maenala cervos.
Verticem supra mediusque caelum
Inter et terras humileis iacere,
Arva despecto penitus remota
Proximus astris.
Heic moror. Vos, o socii, redite
Indices voti. Stat in hoc recessu
Emori; nam quo tumulo reponam
Dignius ossa?

Spirat ex antris pietas et horror
Conscius Nymphae. Locus ipse gratum
Terret ac mulcet Superique per praecordia fusi.
Sive nimbosas quatit Auster alas,
Sive brumali Boreas minatur
Ninguidus cornu, niveae tenemus
Virginis aulam.
Hinc ut avellar? prius ima valli
Incidet rupes pedibusque dorsum
Et caput iunget, prius ipse fontem
Deseret Oenus.
O Quies semper memoranda Silvae,
O tuum vere meritura nomen,
Da frui fessis aliquando vera,
Silva, quiete.

O D E XII.

Fuge, dilecte mi, et assimilare capreae hinnuloque cervorum super monteis aromatum.

Cant. 8.

Miserarum est nec amori dare finem,
Nec amantis tamen aestum tolerare
Propiorem, nec amando cruciatam satiari.

Fuge proles Genitoris sine matre:
Libani qua sacra vestit iuga cedrus,
Age praeceps salientum fuge ritu caprearum.

Fuge praesens mea lux: nam nimis uris.
Flagro qualis liquefacta pice taeda,
Simul igneis agitatos leve venti iaculantur.

Age proles Genitricis sine patre,
Fugienteis cata cervos imitari,
Super altos redolentum fuge monteis Zephyrorum,

Ubi nardo socialis crocus halat,
Ubi spirat Solymeae nucis arbos,
Ubi thuris bene largus generosi fluit imber.

Fuge, sed respiciens huc refer ora: —
Iterum saevit ocellus: — fuge tandem
Neque velox neque tardus; fuge ritu caprearum.

Mercurius Monacensis

Rerum novarum praeses.

De Alberti Wallensteinii, Fridlandiae Ducis, eiusdemque sociorum tragico et fatali exitu.

ODE XIII.

Ocius gressum celerate cives:
Nuncius Maia generatus adsum,
Cui per infernas superasque lucet
Semita sedeis.

Huc recens Egra venio per auras
Lapsus; ut ventos agilis secarem,
Addidi pennas tunicatus et talaria plantis.
Bis nimis raptim properantis angues
Sede concussi cecidere sceptri;
Bis reclinatus medio galerus
Vertice fluxit.
Imus ad fontem ducis: inde mira
Maior audiri referam duella:
Omnium nostris onerata monstris
Tinniet auris.
Ordiar; linguis, populi, favete:
Cuncta Fridlandus violens ab imo
Imperi pessum solio daturus,
Credite, vixit.
Ordinem fati seriemque pando:
Pone se Pilsna timide relicta
Multa volvebat nocitura moerens
Solus in arce:
Proditis ergo moriemur armis?
Mene deceptum reditu Galassus
Lusit et vanus titulos honoris
Caesar ademit?
Sunt tamen vires, quibus ima summis,
Summa miscebo metuendus imis.
Est adhuc nervus gravidaque nummis
Miles in arca.

Largus argenti super arva sparsi
Colligam plenis aciem maniplis,
Quanta ferratae crepitare nunquam
Coepit aristae;
Quanta Medorum neque visa campis,
Sive captivam bibit Amphitriten,
Seu diem densis glomerata turmis
Abstulit orbi.
Austrios Boiis, laribus penates,
Patribus natos furibundus una
Caede confundam penitus revulsa
Stirpe nepotum.
Inter haec noctem roseus supremam
Vesper emissis revocabat astris
Sole sub terras abeunte serae
Tempore brumae,
Quando (sic Divi voluere) pulcrae
Lucis heroes animaeque magnae
Dulce coniurant tacitoque claudunt
Pectore foedus:
Fida Butleri manus et valentis
Certa Gordoni penetrare aënas
Tegminis squammas celebrisque comi
Leslius astu.
Iste Fridlando catus obsequenteis
Duplici nutus simulare vultu
Clam cruentandis epulum paravit
Funebre mensis.

Huc Thyesteae properant ad aram
Victimae: pingui bove maior Ilo,
Terskii venter, Nyemannus audax,
Kinskius acer.
Iamque bellaceis animos movebat
Vena diffuso calefacta vino
Et voluptatis stimuli subibant
Martis amorem,
Cum Geraldini subito caterva
Lene suspenso pede venit et, qua
Flexa postico via dimovetur,
Irruit aulae.
Vivat Augustus, fremuere, Ferdinandus et regnet: simul ense tota
Solvitur stricto scelerum quadriga et
Sanguine rorat.
Ilo, dum contra furit ire ferro,
Membra concisus; reliqui nocentem
Spiritum venti trucis instar efflant
Qua data porta,
Sic quoque audaces et adhuc protervi;
Haesit in vultu moriente terror,
Qualis aspecta facies timetur
Torva Medusa.
Vasa cum fractis crepuere vitris;
Multiplex una sonus e cadentum
Vulnere et mistus rediit cruore in
Pocula Bacchus.

Mox ad Albertum. Caput addituro
Devero fatis, dolus anne virtus,
An Deus certe bene fortuitam
Praebuit hastam.
Talis infestum Garames leonem
Vadit exultans iaculo ferire.
Dum timet, gaudet tamen ira magni
Conscia voti.
Ter pede illiso tremuere postes:
Ter pedem illisum repulere postes.
Cessit insultu patefacta late
Ianua quinto.
Heic supra lectum residere visus
Ille Germanae Catilina Romae,
Qualis immani iacuisse fertur
Cacus in antro.
Proditor! (sed mox gelat horror artus:
Stant comae, muti pavor errat oris)
Tunc Romanum malesane perdes
Funditus Orbem?
Dixit: et contra meditatus ictum,
Qua potest, tota latus hausit hasta.
Ille singultans animam stupentem
Eiecit ad umbras.
Vos io mecum celebrate ludos;
Aura communi sonet icta plausu;
Laeta festivum freme turba lessum:
Bestia vixit.

Caesarem quondam male Roma caesum
Vidit a Bruto: bene nunc vicissim
Tota servato videt Egra caesum
Caesare Brutum.
Omnis hoc semper patitur tyrannus:
Aut enim ferro perit et veneno
Aut metu, iudex suus ipse poena
Dignus utraque.
Mercuri, quo te celerem repente
Proripis? motis secat ecce claras
Brachiis nubeis liquidaque corpus
Remigat aura.
Sic vola, sic saepe redi novarum
Arbiter rerum; tibi prona semper
Auris et nostrae citharae vacabit
Longior usus.
Vatibus felix ego dicar olim,
Cuius obtuso licet et strepenti
Barbito lusit fidicen decora
Pleiade natus.

Ad Divam Virginem.

Propempticon venatorium

Pro Sigismundo Lecanta Radagisio.

ODE XIV.

O quae Maenalia Virgo potentior
Venatrice dea collibus accubas
Umbrosis et in omneis
Exerces pharetram feras,

Silvarum studiis asperioribus
Nutritum iuvenem protege, qui canes
Cras educet in aprum
Maiorem Calydonio.

Quot iam stravit equos bellua dentibus!
Rostro vastat agros et sata proruit.
Deflent damna coloni
Et brutam metuunt famem.

Sed Lecanta modum ponet et improbam
Crudelemque gulam fortior Hercule,
Cum venabula sumpsit,
Toto funere porriget.

Multum, Diva, tuis, ut memorat mihi,
Fidens auspiciis, queis etiam tigrim
Barbatumque leonem
Ausit cominus aggredi.

Non is sollicitis ambit Oreadas
Dianae precibus, nec gelidis vovet
Eluctatus Amyclis
Aram ponere frondeam.

Discedant veteres Taygeti deae,
Flavas sparsa noto Nebrophone comas
Et famosa Lycaste
Et Theron iaculis minax.

Illi tu potior, cui viridem solet
In silvis petasum sternere praesidi,
Mane et vespere pronus
Et cum stat medius dies.

Fonteis cervus amat, iuniperum lepus,
Vulpes antra, favos ursus, aper iugum,
Summas caprea rupeis:
Te, Virgo, Radagisius.

Ad Marquardum Nasturtium

inter iudices adlectum.

Urna Minois

sive

Iustum iudicium.

ODE XV.

Veto duellum iudicis ac rei,
Quod iste ferro debilis, hic ferox
Absolvit argento: quot enseis
Heu similis male fregit hasta!

Evolvo Sphingem: pollicitis veto
Vendi favores, munere calculum.
Submovit ostracismus olim
Iudiciis Ephoros iniquis.

Pix omne munus: casta manus picem
Non tangat unquam: quisquis olet rubrum
Stillantis unguentum metalli,
Tartareum grave foetet hircum.

Illime nomen pulcrius est scypho,
Quem limus Hermi proluit aureus.
Praetoris in parvo salino
Pauperies animosa splendet.

Quo pondus urget nudaque veritas,
Examinatis caussa Lilancibus
Pendens feratur: tum quiescat
Triste forum pelagusque raucum.

Et huic mari stent littora, quod bona
Tot liberorum rapta querentium
Plenasque pupillis carinas
Et viduas inhiante naveis

Demersit alto. Providus arbiter
Scrutare caussas, inspice sanguinem,
Incide venam, nosce morbum et
Semina principiumque litis.

Nec Manlianum iudicium probo
Nec Laelianum: Di medium tenent.
Clementiam terrore muni:
Atticus et Cato misceantur.

Quod Theta figis, cum gemitu leges.
Ne rumpe funem neu propera caput
Obnubere abruptamque cursu
In medio iugulare caussam.

Humana cervix et Scythico foro
Digna aestimari. Funera condimus
Labore nullo: sed profectos
Difficile est revocare maneis.

Quondam in catino Symmachus exsilit
Formidolosa piscis imagine;
Terretque convivas et atris
Anguibus exagitat tyrannum.

Ergo videntem cuncta vereberis,
Marquarde, qui ius dicet ab iride.
Connivet interdum, sed ultor
Supplicio graviore pensat.

Maria Aegyptiaca poenitens.

In gratiam gen. Domini Iuliani Weitenhofii, qui eidem Divae in memoriam defunctae coniugis, Mariae Wasliniae, aram posuerat.

ODE XVI.

Tristis voluptas, flebile gaudium,
Fuliginosas, o lacrymae, genas
Et pectus ubertim lavate:
Illa ego sum Veneris probrosae

Exusta foedis terra caloribus,
Rigate vultum: currite, currite;
Aegyptus in me sicca squallet:
Vos, lacrymae, meus este Nilus.

Paean Parthenius

Boicarum virginum, quae pro defendenda castitate contra Suecorum irruentium furias viriliter decertarunt.

ODE XVII.

Non sola iactet Roma Lucretias
Castum cruorem fundere prodigas
Ferroque transacto decorum
Magnae animae reserare pectus:

Et nostra vidit Tarquinios suos
Ac vicit aetas; digna legi cano
Tropaea nympharumque bella
Strymoniis memoranda peltis.

Non una nostris Hippolyte stetit
Famosa terris impatiens probri
Turmasque et impermissa tangi
Agmina Penthesilea duxit:

Contra severum nuper euntibus
Hunnis pudorem certa resistere
Vulnusque tractando superbum
Ausa mori iuguloque sanctum

Praeferre florem, credite posteri!
Nativa casti frigora pectoris
Nivesque sinceras in ipsis
Virginitas Alemanna flammis

Servavit; ipsos Cloelia Teutonum
Ad Boia portas Anglipolis tuas
Tranavit amneis perque castra
Attonitum patefecit Istrum

Stridente dirum in littore Porsena,
Non et sequaci. Sic Pholoe nemus
Deprensa Fauno vel fluentum
Obiicit occuliturque cannis.

Sic saepe visum Nais in aequore
Tritona torquet lubrica flexibus
Et vincta iam iam se lacertis
Solvit aquas facilis subire.

Nefas inaudax! o bene Lappia
Delusa mollis! retro age barbare,
Armate retro cede leno:
Disce alias habitare thermas

Profundiori territus alveo.
Suam sequestro gurgite filiam
Iam Rhenus exploravit olim
Patrius et reperit Sibyllam.

Quo vero cantu prosequar aut tuas,
Landsperga morum nobilis, aut tuas,
Formosa Landishuta, pugnas
Foemineo statuente sexu?

Pro quanta vestris sive ferocia
Seu vis puellis! quam rigidus pudor
Iusteque saevus, dum retundit
Tela manu bene pertinaci!

Minor leaenae pro catulis furor.
Nos immerenteis luridus opprimat
Gothunnus haerentemque scindat
Immerito capiti coronam?

At non Lacaenae degeneres sumus,
Servire natae: qui voluit diem
Vixisse supremum, neganti
Audeat applicuisse vultum:

Sternetur, obtruncabitur, occidet.
Itum est in enseis; triste procantium
Reiectus horror; mille quamvis
Circumeant, stat amara virgo

Et ceu furenti turgida Libero
Incontinenteis terribilis manus
Avellit. Insultus repressi,
Dum reprimi potuere saxis

Pugnisque et ore et dentibus ac pede
Non facto ad unguem legis Ionicae,
Sed Christianae; per minaceis
Haec gladios animosa vadit;

Haec Daedaleis fidere brachiis
Labique praeceps; illa sequi comes
Mortisque et aurae; nulla cessat
Debile sollicitare ferrum.

At dirus hostis Thermodoontiis
Pares puellas, lilia messuit
Cruenta collo; quae cadebant,
Stante tamen cecidere vultu.

Ad Virginem Matrem

Puerum Jesum in sinu tenentem.

O D E XVIII.

Virgo, nescio quid micas
Claris plus solito laetitiis, simul
Strinxit te roseus Puer.
Amplexu veterem non ligat arctius
Quercum centimanus frutex.
Haeres illa tuo nexilis, hic suae.

Ut suspensus in oscula
Materni Zephyrum sugit anhelitus!
Tu cedente premis gena
Dilecti faciem totaque myrrhei
Stillas ore bibis Dei.
Una est, una anima est Filius ac Parens.
Vitae, Virgo, tuae Puer:
Vitae tu Pueri dulce coagulum.

Pecunia serpens.

ODE XIX.

Caerulae qualis maculosa squammae
Mulcet ac pulcro ferit anguis ore,
Talis aurato micat et nocet pecunia collo.
Tecta formosum simul in metallum
Repsit, humanam faciem superba
Induit regis titulosque circum,
Caetera serpens.
Serpit in vulgus; sed enim venenum
Quis sub argento radiare credat?
Quis timet nummum tua mentientem
Ora, Philippe?
Allicit fallax oculosque visu
Multa speranteis pretiosus urit.
Mox et arcano nociturus igne
Gestit haberi.

Ast ubi paullum manibus fricari
Coepit aut ruga caluit crumenae,
Virus effundit tacitaque dipsas
Cuspide mordet.
Unde mutato color ore flavet
Et sitis crescit velut albus hydrops,
Quam nec infuso vagus error Hebri
Eluat auro.
Ipsa sedandas alit unda flammas:
Plus semel poti sitiuntur amnes,
Splendidis semper novus in procellis
Aestuat ardor.
Saepe discordi quatiens tumultu
Turbat emotam furor ille mentem.
Nescit insani quid agat vel optet
Pallor avari.
Alba fecundo velut ales ovo,
Incubat gazae; neque dimovetur,
Quamlibet fulmen iaculatus aether
Irruat ollae.
Spe lucri natos geniumque fraudat,
Servus uxoris tolerat flagella,
Vapulat gaudens dominaeque figit
Basia doti.
Denique immensos sceleratus arcae
Infodit census, ut habere possit,
Quod supra functi saliens sepulcrum
Rideat heres.

Pensiles horti

Visendi Monachii

In Aula Serenissimi Alberti utriusque Bavariae Ducis.

O D E XX.

Alberte, iuxta me comitem sinis
Impune terram despicere et frui
Novae superstantem columnas
Pensilibus Babylonis hortis.

O aura frondens! o Zephyri domus!
Huc devoluti coelicolae nemus
Sublime noctu saepe visunt,
Cum lepidae coiere stellae.

Hic ipse stellis fragrat olentibus
Floralis aether: en topiaria
Lucent in alto; flamma vernat
Et roseos calathiscus igneis

Hians odoro laxat in aere.
Hortante Maio iam tremuli sinus
Vitale connivent et udos
Rore lavant oculos amelli.

Regnat venustas discolor: hic nives
Luctantur in culmum, hic temere iacent;
Illinc comanti germen ostro
Induitur gremioque matris

Abire gestit; plurimus emicat
Onyx in herbas; areolas virens
Partitur insignitque buxus.
Sparsa nitent asarota circum.

Quam pura vivae prosilit e cavo
Aurora lymphae; fons medius toros
Persultat humorisque lucem
Irriguum iacit in duellum.

At non et arbor nulla canentibus
Demittit aureis. Vidi ego sibilo
Crispante ramos colla ramos
Flectere et alloquio moveri.

Sentit poetas mitius arborum
Genus sacri non immemor Orphei.
Agnoscit ex illo Camoenas
Nutibus et foliorum acuto

Susurrat imbri. Connubialia
Vidi Lyaeum tendere brachia
Vitesque desponsas ad ulmum
Viminibus viduam ligari.

Hic otiosis mollior Africis
Gratum teporem Iuppiter annuit;
Hic somnolentus spirat Eurus
Imperio gracilis Favoni.

Sed et calorem proxima decipit
Frangitque soles bruma sub algido,
Apelle multo plena, multam
Cornibus obiiciens Dianam.

Utcunque stricto dente Canicula
Incensa mordet vel Leo flammeus
Irrugit axi, temperato
Frigora conciliantur aestu.

Non prata Cydni, non nemus Antii
Aut Tusculanum praetulerim gelu
Sacrumque Praeneste et supinam
Tyburis Hesperidumque villam.

Et vos beatis cedite Thessala
Tempe viretis, tuque sororia
Ad fratris extincti sepulcrum
Sylva Padum fateare vinci.

Ad Arsacium Mamirodam,

Musicum testudinis peritissimum.

Quum festo die s. Caeciliae auctorem ad symphoniam invitaret.

Lyra Pythagorae

Sive

Animus temperatis affectibus concors.

ODE XXI.

Quid iuvat vatem citharas amantem
Mortuam plectris animare buxum?
Verior nostro lyra, Mamiroda, in
Pectore cantat.
Illa, si nescis, gravis ac sonora
Constat undenis fidibus movendis
Lege naturae, nisi docta virtus
Temperet arte.
Spe, metu, votis, odio, dolore,
Gaudiis, ira variamur omnes.
Corpus his nervis animusque certo
Contremit ictu.
Inter argutas resonare chordas
Est amor princeps. Age nunc et artem
Disce ludendi: capies magistro
Certius usu.

Digna si speres, cupias honestum,
Oderis culpam, metuas timenda,
Diligas Numen, modereris irae
Laetus et insons,
Mulceas ipsos homines Deosque
Orpheo maior pecudesque et ornos:
Totus astrorum chorus explicatas
Arriget aureis.
Sin ames pravum, fugias petenda,
Peior adversis, hilaris protervus,
Saevus irasci, timidus dolere,
Turpiter audax:
Dissono vae quam vitiata cantu
Corda stridebunt! tua quale carmen
Musa disperdet Stygii Camoenis
Apta tyranni!
Cum ferox raptor spoliasset Aetnam
Iamque de nigro revoluta curru
Tristis infernas Cereris subiret
Filia sedeis,
Ante consistens Hymenaeus Orcum
Hac lyra moestam voluisse sponsam
Fertur et Maneis hilarare; sed Pro-
serpina flevit.
Nuptias, eheu! miseranda nostras
Rapta clamabat, resonare malim
Antra Vulcani Siculaeque rupis
Nubere fabro.

Artificiosum simulacrum pusionis

In aditu horti pensilis Albertini.

O D E XXII.

Puelle, seu te progenuit novus
Fictrice vivum Pygmalion manu,
Sive ipsa praegnantem rosarum
Postquam uterum dea Flora solvit,

In huius horti deposuit toro
Matremque ut ipso munere disceres,
Priore custodem remoto
Pensilium dedit esse florum,

Vincis capillis Earini comas
Et ore Nisum. Sangarius tibi
Suaque deceptus figura et
Latmius Idaliusque cedunt.

Tam delicatae verus imaginis
Optet vocari Praxiteles pater,
Suosque perlustrans Amores
Pinniferum Citherea credat.

O, ni loquelae fata tibi, puer,
Usum negassent, quae mihi panderes
Arcana stellarum recepta
Auribus et Satyrorum acuta!

Nam scis et audis, qualibus area
Dilecta noctu ferveat incolis;
Vides Napaearum choreas
Institui saliente Luna.

Sic perge dulcis sidereum nemus
(Et istud audes) ingredientibus
Ad limen arridere; perge
Sic teneri nive pollicis prae-

libare floreis, pulcer ianthini
Pincerna veris. Te Zephyritidum
Fratrem coronabit quotannis
Et violae linet aura succo.

Ad Rochum Callirabium.

Cum auctor aegrum inviseret.

ODE XXIII.

Mortem aequo animo subeundam esse.

Haec dico vates: Qui moriens sibi
Occurrere audet nec timet ultima,
Mortem lucratur; ille maneis
Laetus adit sociatque dextram.

Et tu sepulcrum, Callirabi, times?
Heu! cerno luctus degeneres notas.
Flevisse natum nemo culpat:
Tunc miserae velut imperito

Vitae sub ortum Di veniam dabant
Fatumque ocellis aequius uvidis
Ignovit ultro; sed pudendis
Nunc lacrymis tua tingis ora,

Postquam dolendi continuo puer
Probatus usu totque malis senex
Extrema defles; et relinquis
Cum gemitu moribundus orbem,

Aeterna quo te secula tempore
Aetatis immenso accipient sinu.
Gaude reformari labore
Letifero properaque in auras.

Te morbus aevo parturit alteri.
Esto, putrescat corpus et obstetrix
Primaeva nascentis severo
Vincla secet peritura cultro:

Tunc liber infans exsilit in diem
Hauritque coelum; tu quoque fasciis
Ad astra membrorum solutis
Bis genitus volitabis Aeson.

Ad Divam Virginem.

Multae filiae congregaverunt divitias: Tu supergressa es universas. Prov. 31, v. 23.

ODE XXIV.

Patriis Virgo citharis canenda,
Si quid indulges aliis, sonoras
In tuae laudis segetes ituro
Annue vati.
Non parem felix habuisse Mater
Unicum Sarae, geminos Rebeccae
Et Liae natos utero triumphas
Fertilis omneis.
Cur tibi stellis oculata Rachel
Comparo lippam? nihil illa ploret,
Quam Deo plenam voluit Deus ridere Parentem.
Pulcrior quae te simulasse pulcra
Fertur Hesthera: neque enim videntem
Aureo quamvis speculo recepta
Aequat imago.
Vix suum toto valuere vultu
Mille dilectum retinere nymphae,
Qui tui sistit tibi crine colli
Saucius uno.
Vera mansuri Sulamitis aevi
Liqueris Sponsi teneros in igneis,
Iam tuos omnis super axe novit
Collis amores.

Debora vates animante maior
Castra Baraci: pariter Iahele
Fortior ditem Sisaram trabali
Figere clavo.
Qualis exultim quatiente flavos
Curribus pictis Pharaone campos
Pompa procedit medioque fulget
Terror in ostro,
Tale munitae speciosa formae
Arduam Regi faciem coruscas:
Aspici gratus decor ille toto
Militat ore.
Casta Iudittae manus et ferire
Docta cervices Holoferne caeso
Laureis vinctum tibi fortiori
Tradidit ensem.
Quaeque Iessidae gladium repressit
Improbi coniux celebrata saxi
Eloqui prudens tibi, Virgo prudentissima, cedit.

Auctoris Exclamatio

adversus Octavianum Caesarem Augustum: quum Schleishemii M. Tullii Ciceronis marmoream effigiem contemplaretur.

Carmen extemporale.

O D E XXV.

Ingratus hic et barbarior fuit
Lictore, qui te, Marce, reliquerat
Lictoris infami sub ictu.
Popilio quoque parricida

Octavianus paene nocentior.
Nunquam curulem presserat auream,
Si non tulisses tam disertam
Consul opem populos et urbis

Supra levato Dardaniae caput.
Sed cum procacis leno Volumniae
Sicariorum fretus armis
Te premeret gladioque servi

Caedi iuberet, num repulit manus
Antonianas Romulei potens
Alumnus ostri? num cruentos,
Qua poterat prohibere dextra,

Collo patroni sollicitus sui
Avulsit enseis? Ille tyrannidi
Crudele connivebat hostis
Imperio caput immolanti.

Heu Tullianae pulcra Philippicae
Praesecta cervix ludibrium foro
Pependit in rostris: feroci
Eloquio datur ista merces.

Ad S. P. Q. M.

Cum in medio foro D. Virginis erecta statua dedicaretur adiuncta sequenti inscriptione:

DEO. OPT. MAX.
VIRGINI. DEIPARAE. DOMINAE. BENIGNISS.
ROTECTRICI. POTENTISSIMAE.
OB. PATRIAM. URBES. EXERCITUS.
SEIPSUM. DOMUM. ET. SPES. SUAS.
SERVATA.
HOC. PERENNE.
AD. POSTEROS. MONIMENTUM.
MAXIMILIANUS.
CO. PAL. RHENI. UTR. BAV. DUX.
S. R. IMP. ARCHIDAP. ET. ELECTOR.
CLIENTUM. INFIMUS.
GRATUS. SUPPLEXQUE. P.
M. DC. XXXIIX. VII. IDUS. NOVEM.

O D E XXVI.

Videtis, ut se nubila dividunt?
Quamvis aquosam evolvere fasciam
Minentur austri, mitigato
Pura tamen subit aura coelo.

Io revulsis solvite vinculis,
Captiva, cives, solvite gaudia!
Et magnus et maior sacerdos
Et proceres bona verba dicant.

Haec Diva, vestri gloria principis,
Posthac et urbem et templa tuebitur,
Quae nuper Arctoum dicatis
Depulit a laribus tyrannum.

Infusa postquam Balthis inhorruit
Ac se minacem miscuit Isarae,
Heu, turbulentis Boia late
Fluctibus insonuere saxa

Totoque Mavors intonuit foro.
Num sera credet posteritas locum,
Quo stamus, implevisse Suecos?
Hic epulans ululavit Hunnus;

Hic fulgurabant arma Panerii;
Hoc castra clivo fixerat Hornius:
Et solis Hebronus sub ortum
Bistonias agitavit hastas.

Rex ipse fictum risit et aureos
Sparsit dolosa per populos manu
Gustavus imbreis, corda veris
Callidus exonerare monstris,

Terrere vanis, dum placide iubet
Ludensque saevit: non tamen exsule
Peior Palatino; favillae
Et cineri niger ille totam

Devovit urbem; ter penetralibus
Suppostus aulae, ter refugus nefas
Elusit ignis terque cassam
Flevit atrox Fridericus iram.

Auferte Fatum, nec leve garrula
Fortuna nomen iactet: ab aethere
Refulsit improvisa virtus,
Virgo faces Nasarena, Virgo

Avertit enseis, Virginis est opus.
Virgo canatur, dicite Virginem,
Nuptaeque et innuptae puellae,
Et patrium geminate carmen.

Salve cruentis aspera regibus,
Clemens benignis, tu mihi carior
Faustina castrorumque Mater.
En Pario tibi caesus altam

De monte (supplex obsequium ducis)
Erexit aram nec Latiis minor
In astra consurgens ab imo
Grande secat obeliscus auras.

Stas laeve supra marmor in aureo
Fulgore vestis; crine humeri latent,
Caput coronatum triumphat,
Luna pedes subiecta lambit.

Aurora mundi prospicis alteram
Mundi minorem. Sol Puer insidet
Ulnis renidenteisque blando
Ore tibi radios propinat.

Huc advolantum exercitus ignium
Formosa noctu deferet oscula,
Sedem fatigatis quietam
Sideribus dabit una cervix.

Huc et tabellas (auguror) aeneas
Ceramque vulgus ponere gestiet
Taedasque lucenteis vovebit
Turba sacri studiosa vultus.

Tunc prona curvo poplite civitas
Emissa tectis ad sonitum tubae
Sternetur et clamore summas
Laeta fremet feriente nubeis.

Ad Gervasium Summaram

Alsatam exsulem.

Epistola Lyrica.

Amicum turbine Vinmarianae tempestatis eiectum Brisaco solatur et in Helvetia Soloturi suam calamitatem deploranti respondet.

ODE XXVII.

Si nostram potes eminus
Exaudire chelyn, Summara, Martiis
Aureis Idibus arrige.
Solers Threicii carmine barbiti
Retro vertere flumina
Ausim et Danubii non novus accola,
Rheno mergere tibiam
Summasque in scopulis Helvetiae casas
Campo nectere Boico.
Cur desideriis me stimulas tuis,
Importunior Africo?
Frustra Vinmarii iussa Damastoris
Accusas tibi mollior,
Quam Fortuna velit: disce placentibus
Vel sic destitui bonis
Maternoque soli fertilis ubere.
Uvam bis decimam recens
Mutavit Bromius foetaque spiceo

Divulsit capiti Ceres,
Ex quo distineor finibus Alsatae
Nec mustum patriae bibo.
Me, si Fata volunt, accipiat lacus
Trans Moeotida nigrior,
Ultra Sauromatas deferar ultimos
Et canae iuga Phasidis.
Qua convexa patent aetheris atria,
Vastam possideo domum.
Hic sum natus, ubi sum: celebrem loco
In quovis patriam viri
Fortes inveniunt vel faciunt sibi.
Eheu! plus nimio memor
Natalem quereris perdere glebulam.
Transportatus es ex tuo,
Non eiectus agro: crede coloniam
Romani tibi militis
Concessam. Veteres Ausoniae duces
Spretis montibus Italis
Quod vincunt habitant. Corrige tristia.
Caelum, quo tegeris caput,
Terram, quae profugo subiicitur pedi,
Nemo auferre potest. Vale.
Mirum! sponte fides ter recinunt Vale.

Enthusiasmus,

Quem praesentibus sociis auctor passus est in antiquario Sereniss. Electoris Maximiliani, quum Romanas ibi statuas contemplaretur. Anno M. DC. XLI.

ODE XXVIII.

Vobis, sodales, eripior: Deo
Intrante pectus surrigit altius
A fronte languorem comarum et
Ima sacer quatit horror ossa.

Ab usque prisco quos mihi Romulo
Viros Apollo turbidus obiicis!
Hic Brutus inventor securis;
Sic oculos tulit Ancus olim.

Sermone felix Egeriae Numa
Plebem sacratis ritibus imbuit.
Cunctator et velox Camillus
Invidiam domuere factis.

Procede paullum Scipio, Dardanae
Fulcrum ruinae, magnanimum genus,
Victorque victoris dolosi et
Hannibal Hannibali timendus.

Postquam ergo luscus per solidas nives
Ruptis aceto montibus Africam
Infudit Europae frementem et
Nubigeras penetravit Alpes.

A te retractus, quem gravis annulis
Inauspicatas hausit equestribus
Praedator ad Cannas cruorem,
Evomuit lacrymosa rursus

Ad funeratae moenia patriae.
Decisa ferro causa, quis imperet,
Tros anne Poenus, conquievit
Non aliis iterata seclis.

Ah parta bello ni pueri duo
Nugis iocantes ambitiosius
Ni dissipassent; dum molestae
Dux asini Gener instat umbrae,

Lanam vicissim rettinet anxius
Socer caprinam: Roma libidines
Pavit nocentum et in suasmet
Incubuit lacerata vireis.

O ut serenum te subito mihi
Auguste sistis caesariem sacra
Evincte lauru! blanda nullum
Tam tenere diuturna fovit

Fortuna pullum tamque fidelibus
Protexit alis; utiliter tibi
Civile sudavit peracta
Strage nefas; alios cupido

Laboriosi criminis obruit:
Insons opima tu pretiosius
Culpa fruebaris, lucratus
Non titulum, sed opes tyranni.

Astutus orbis praedo Tiberius
Lusit sagaci Troiugenas dolo et
Aequum potestatisque frena
Eripuit sine lite; bifrons

Biceps, bilinguis nexa Quiritibus
Post vincla sensim vertice pileum
Excussit ignarosque fraudis
Ridiculo domuit capistro;

Successor immetabilis omnium,
Haeres bonorum publicus, interim
Latebat altis Caprearum
In speculis trabeata vulpes.

Quae tunc alebas Itala militum
Portenta tellus? ecce Caligula
Nutritus in castris et inter
Arma puer, solitus vir enseis

Mutare cultris et galeam scypho.
Plerumque factis degenerantibus
Obscurus ex claro parente
Prodiit immeritusque nasci.

Cadaveroso cur Latio diu
Umbrisque visis tristius immoror?
Exsangue Ditis, nate Maia,
Coge pecus; properate manes:

Tu stulte Claudi, cuius atrocitas
Illusit amens civibus et sibi,
Inceste Flavi, foede Galba,
Mollis Otho, Caracalla segnis.

Quid Maximinus? Caesar erat tuus
An, Roma, lictor? Naufraga Commodi
Natavit in vino iuventus
Et patrium male fregit assem.

Ventris sacerdos Heliogabalus
Turpique obesus mole Vitellius
Qua dote laudari merentur?
Siste gradum Nero parricida:

Fugit sub orcum territus histrio
Et sulphurata pallidior face.
Quot vero Messallina perdes
Nupta viros? satis unus uni

Non est maritus? Livia, Iulia,
Iucunda mater, lubrica filia,
Scit mons Palatinus, scit aula
Luxuriae monumenta vestrae.

Ut rara sese foemina continet
Assueta nullis vivere legibus,
Simul venenatis perunctae
Illecebris maduere mentes!

Impellor. Evan! te video, Tite
Vespasiani! Qualis in impios
Quantusque bellator ruebas
Isacidas, equitare plena

Per arva visus strage cadaverum!
Sed et Severo et clarior Ulpio
Vix ullus incidenda magnis
Nomina congeminante saxis.

Laudem triumphos? marmoreo tholi
Horum locatas effigies ducum
Mirer sub arcu? nempe strictos
Est aliquid potuisse leti

Tardare denteis nec penitus rogo
Fugisse in auras, sed memores sui
Notas reliquisse et verendis
Semideum loculis reponi.

Eheu! quod Afer candide dixeras:
Laudantur omnes in statuis, ubi
Non sunt, et ardentes, ubi sunt,
Perpetuo cruciantur igni.

O invidendis arcear atriis!
Me talis alta sede lararii
Procul remotum nulla spectet
Posteritas tumulerque totus.
Me gleba parvo condat in angulo
Et absque pompa. Qui latuit bene,
Bene et quievit; post sepulcrum
Non habear tabulis et aere
Macraque vates dignus imagine
Gypsoque et aris. Ah miseri, quibus
Haec vota subsultant: abeste
Caesarei miseranda, larvae,
Rubigo fastus. Splendida gloriae
Me nescientem gloria nesciat.
Sed iam quieta mente Phoebi
Fatidicus furor ecce cessit.

Ad Matrem Virginem.

Cum Praeses maioris Congregationis Annunciatae officio decederet Monachii anno M. DC. XXXVIII.

O D E XXIX.

Cedo: quid refert, ubi me reponam,
Verba cui mandem Mariana campo?
Naribus doctis satis est litatum
Ture Latino.
Ne tamen furtim metuensve probri
Dicar inversis abiisse signis,
Heic palam supplex manibusque puris
Rite precabor.

Diva, quam nostris utinam medullis
Torta per nimbos ab amoris arcu
Cuspis inscribat volitante penna et
Sanguine tincta!
Si tui nobis, bona Virgo, quidquam
Dulce vel carum, tibi vero nostri,
Si piis gaudes precibus clientum
Cerea flecti,
Verge mananteis oculos olivo
Aspici lenis niveasque grati
Luminis stillas placideque totam
Annue Matrem.
Mota, ni fallor, trepidavit ara,
Auxili sedes: caput ecce Nymphae
Largius vibrat radiisque pulcrum
Sternuit omen.
Succuti visae mihi ter comarum
Fusiles palmae: quater ante pectus
Caerulum nodo cohibens amictum
Risit achates.

Ad Maximum Campianum.

Magistratus Romanus.

ODE XXX.

Admote sacris Maxime fascibus
Clamante Iano, disce potentiam
Condire Romanam benignis
Moribus ingenioque nostras

Decente legeis. Si, quibus imperas,
His et minorem te geris, imperas.
Elata frons et plena fastu
Ruga subest animumque vilem

Invita prodit. Tum vigil excuba,
Ne iacta ventis in scopulos ruat
Syrteisque navis, quod monebit
In Siculo Palinurus alto.

Torquere clavum puppibus additus
Raro quiescat: saepe tamen sinet
Dormire proram. Sudat, alget
Verus honor reperitque semper

Curas vel affert. Proxima pectori
Compone primum teque recollige,
Nulloque compones labore
Membra tui sociata regni.

Servit superbe, qui sibi subdere
Nescit quod ipse est; tot dominos habet,
Quot mentis errores. Potestas
Debilior nimio fit usu.

Legem rogabis? quid iubeas vide
Et primus exple: regis enim pedem
Plebeius a tergo sequetur.
Bella suo praeeunte miles

Ductore promptus fertur in omnia.
Nunquam coloni tota bipennibus
Vineta stravissent securim
Ante tuam metuende Baccho

Lycurge visam: consilium monet,
Exempla cogunt. Sic tibi subditi
Solerter explora recessus;
Ne metuas tamen ipse toti

Patere mundo: certius eminet
In corde virtus et proprio sinu
Inventa, quam quaerenda multis
Gaza latens aliena lustris.

Mihi cruentam, mollem aliis manum
Praebere et omneis blandius alloqui
Laudabor, ex aequo modesti
Officio sapientis usus.

Sin delicato mollis in otio
Mandem labores Herculis alteri,
Cogam fatigatos sitire,
Ipse bibam velut Afra serpens,

Non extet usquam bellua tetrior.
Rerum potentes tollite barbarum
Morem verecundosque nobis
Ac facileis reserate vultus.

Oleum thaumaturgum

Divi Ignatii Loiolae

in templo sancti Michaelis Monachii.

ODE XXXI.

Ignatianae gloria lampadis,
Altrix sereni, qua rear arbore
Fluxisse mirandum liquorem,
Cui medicas scit anhelus aeger

Innare vireis? Tu miseris salus
Inempta luces; tu rigidas manus
Pedesque fractos et stupentem
Dulce foves animasque nervum.

Quos obsoleti squammea sideris
Pupilla grata destituit die,
Abstergis exemptoque fungo
Imbuis irradiasque noctem;

Auditur et qui non prius audiit;
Tu viva morti funera subtrahis
Levasque praegnantum dolores
Et facilem sinis ire partum.

Radice quamvis ex oleagina
Sincera glaucae filia Palladis
Non hos in usus bacca fudit,
Obsequii tamen altioris

Sortitus usum cuncta supernatas
Humana, postquam te proprium suae
Loiola secrevit lucernae
Et pretium sibi dedicati

Irrorat ignis. Se pugilum licet
Ceroma iactet vivaque balsami
Virtus odoratumque nardi
Unguen Achaemeniique costi,

Aut quidquid herbae ros Clymeneïae
A sole ducit, tu quoque mitium
Diceris humorum et potenteis
Hippocratis superare succos.

Ad D. Virginem

Auxilium Christianorum.

O D E XXXII.

Pulcrior luna coeunte Virgo,
Cuius in nota statione vultus
Astra respirant metuuntque pelli
Fessa laboris,
Antequam te quis fidei dolosus
Deserat, quamvis Phalaris iuberet,
Expedit vivae cineres opertos
Tangere flammae.

Expedit raucae patulis Maleae
Faucibus mersum sub hiulca ferri
Aut feris cinctum canibus Sicanam
Pascere nympham.
Orbis immanem sine te ruinam,
Diva, momento periturus uno
Duceret nostris pedibusque tellus
Hisceret ima.
Tu reo demis scelerum catenam;
Nube tu celas nivea nocenteis,
Filii fulmen rapidum morari
Callida Mater.

Choreae mortuales.

ODE XXXIII.

Saltemus, socias iungite dexteras:
Iam maneis dubius provocat Hesperus;
Per nubeis tremulum Cynthia candidis
Lumen cornibus ingerit.
In lodice senes non bene pendula,
In ferruginea cyclade virgines:
Sed picta violis grex tener instita
Alternos facimus pedes.
Heic et Pontificum ture fragrantibus
Rus pastoris olens pileus infulis
Et regum Tyriis paenula vestibus
Miscentur sine nomine.

Nullus de tumulo sollicitus suo
Aut pompae titulis invidet alteri.
Omneis mors variis casibus obruit
Nullo nobilis ordine.
Nobis nostra tamen sunt quoque sidera,
Sed formosa minus: sunt Zephyri licet
Veris dissimiles auraque tenuior
Cupressisque frequens nemus.
O dulces animae, vita quibus sua
Est exacta, nigris sternite floribus
Quam calcamus humum, spargite lilia
Fuscis grata coloribus.
Aptos ut choreis inferimus pedes!
Ut nullo quatitur terra negotio!
Dempta mole leves et sine pondere
Umbrae ludimus alites.
Ter cantum tacito murmure sistimus,
Ter nos Elysium vertimus ad polum,
Ter noctis tenebras (stringite lumina)
Pallenti face rumpimus.
Nos quicunque vides plaudere manibus,
Cantabis simileis tu quoque naenias.
Quod nunc es, fuimus. Quod sumus, hoc eris,
Praemissos sequere et vale.

Ad Wernerum Nusium Stoicum.

Gaudium sapientis.

O D E XXXIV.

Quis ergo felix, si sapiens miser?
Dis talis ipsis invidiam movet,
An pauperem dicemus ausum
Triticea saturum polenta

Et caule mensas spernere regias?
Quanquam ille solus prandet in angulo,
Habere convivas fabarum
Nemo magis queat obsequenteis

Fidosque naturam et stomachum et famem
Et quae voluptas nascitur e penu
Inempta, non longe petita
Fruge supervacuoque sumptu.

Mens lactis instar candet et intimo
Fulgore vibrat. Dulce suo sapit
In fonte rivus. Gratiora
Vite fluunt generata vera,

Quam facta pomis vina vel inscio
Expressa Baccho. Laetitiam quoque
In corde vitalique natam
Dulcius experiere cella,

Amice Nusi: quae levis extimis
Natat labellis in nebulae modum,
Moerore non solvit bibentem
Vixque gulam subit et recedit.

Severa durant gaudia: fictilis
In ore risus frangitur hydriae
Ritu fatiscentisque testae
Saxa super putealis orae.

Dirae.

In catarrhum.

ODE XXXV.

Sentina vitae, terrigenum lues,
Seu te gravantem Cerberus exspuit
Triceps et allatrare raucus,
Seu Phariae crocodilus algae

Flevit propinquo laetus in hospite,
Seu viperinas miscuerunt iubas
Unoque certatim palustre
Eumenidum chorus eiulatu

Risere monstrum; labere, rumpere
Innata pestis, rumpere carnifex,
Viscosa pulmonum teredo et
Pernicies Erebique spuma.

Quid in poetas immeritos furis
Heu praedo vocis? Nos graciles sumus
Genusque Divum; nil caducis
Imbribus aut humili pruinae

Ferruminati corporis osseus
Macerque debet: pinguibus ingruat
Limosa tempestas et Austri
Proluvies mala tussientis.

Illis supremum dic adeo diem,
Mortis satelles. Scilicet audior!
Grassatur in memet vel intus
Stare tenax vel aquosus ire

Humore lento per cava faucium et
Ludit medenteis. Quot videas viros
Ab execrata labe tactos
Lassa solo posuisse colla!

Dum cymba vitae se iuvenilibus
Remis adurget, clam ferus irruit
Pirata detorquetque proram
Gutturis Oceanoque mergit.

Frustra timemus iam mare naufragi
Terris futuri: funeribus tument
Portus sepulcrales et omnis
Fossa suum queritur catarrhum.

Te semen orci sidere pessimo
Pomum nefandae prodidit arboris,
Tu peior hydrops vincis atrum
Virus equae graviore leto.

Ad Somnum.

Quum insomnia laboraret.

ODE XXXVI.

Mansuete Mortis frater, eburneae
Dynasta portae, non nisi palpebra
Labente tranquillasque clausis
Per tenebras oculis vidende,

Curas potentem demere mentibus,
O Somne, ramum certius admove
Et hinc et hinc perfunde tempus
Rore soporiferaque virga.

Tu numen almum mitibus influis
Succis in artus; tu grave taedium
Abstergis instaurasque vireis
Mane recens habileis labori.

Iam laetus igneis elicit Hesperus,
Iam nox ephebos ordinat aetheris
In agmen et Phoebo sororem
Substituit propiore curru.

Iamque in pharetras plumigeras avis
Arguta vocis tela recondidit,
Glebisque lassati terendis
Curva boves referunt aratra.

Stat mutus orbis; grata silentia
Exhalat aer: me tamen unicum
Quietis expertem fatigat
Triste dolor piceaeque fesso

Haerere curae. Quid, placidissime
Divum, moraris? si tua vel volens
Vel irretorta fronte sprevi
Dona sciens, (neque enim recordor)

Poenas scelestus iam meritas dedi.
Placate tandem Somne revertere
Et innocenti sparge Lethe
Irriguos vigilantis artus.

Effunde plenis frigora cornibus
Mitique siccum lumen inebria
Caelo reclinatumque corpus
Ossa super line dormientis,

Sed absque rhoncho. Sic tibi Tarquini
Parcente dextra plura papavera
Crescant in hortis; sic opacet
Silva caput chlamydemque et arcam

Natura blandis repleat otiis.
Sic illud antrum, cui deus incubas,
Non turbet umbrarum caterva
Tristis Atlantiadesque ductor.

Sic nulla crudi flamina murmurent
Apeliotae, nulla tonitrua
Stridensve nocturnae volucris
Penna sonet penitusque septas

Offendat aureis: sed fuga rivuli
Per prata gratum mobilis obstrepat
Et lenis audiri susurrus
Sub platano trepidantis aurae.

Pro vota! cuius damnor inertiae?
Totus labasco; vix lubet hiscere;
Piget moveri. Sella lectus
Esto: puer citharam repone.

Ad Cl. Virum Domitium Bascaudum, Stoicum.

Cum de Alberti Wallensteinii, Fridlandiae Ducis, funesto exitu verba fecisset.

ODE XXXVII.

Malo viro nil prodesse.

Non quantum, Domiti, nec quid in omnibus
Possessis habeas, sed quibus arbiter
Qualemcunque diotam
Ornes usibus, interest.

Usu gaza patet: pessimus optimam
In damnum iugulat nec patitur suae
Infelix bona sortis
Gratas spargere copias.

Seu Fortuna neget seu det, ut auferat,
Ex magnis opibus nil iuvat improbum.
Exaudita nocebunt
Votis Numina prosperis.

Hunc nec forma decet nec titulis honor
Nec Bellona bono sospitat omine
Et, si laurus obumbrat,
Perdit continuo comas.

Qui turpi maculat crimine sanguinem,
In Croesi solio pauper habebitur.
Regem et purpura foedat,
Quae bis tincta, bis arguit.

Sceptrum non aliter, quam Stygius gerit
Contum lenta secans flumina portitor.
Pondus nobile mitrae
Indignum caput opprimit.

Eunuchum faciat gloria consulem,
Fasceis ipse suo tergore conteret
Et torquata suismet
Franget colla securibus.

Haustu, Crasse, iaces ebrius aureo.
Vindex Hannibalem perdidit annulus
Et nolens bene perdi
Clarum gemma Polycratem.

His, Alberte, viris annumerabere,
Bellorum vapor ac foeda catastrophe,
Fortunae pila quondam et
Magni fabula nominis.

Implentem tumidis ambitionibus
Seiani stadium nempe et equus tulit
Seiani properatis
Collapsus male passibus.

Panegyris lyrica

De laudibus Virgineae Matris sine macula conceptae.

Carmen votivum.

O D E XXXVIII.

Quam mihi sumo celebrare nympham?
Hanc mihi sumo sine labe Nympham,
Quae malum culpae genialis et concepta triumphat.
Exulis primi procul este Dirae:
Ante naturae chaos evolutum,
Ante libratam statione terram
Pura refulsit.

Ante quam Titan volucrem domare
Sciret Aethonem teneroque plena
Fratre signaret redimita Phoebe
Tempora cornu;
Alta se nondum iuga surrigebant,
Nec cavae valles famulique clivi
Pone lambebant dominis cadenteis
Montibus umbras;
Nullus undanti vaga monstra freno
Nereus cingens cohibebat aequor,
Nec maritali Thetis uda lucta-
batur in alga:
Cum Deus pictas per inane caeli
Tenderet pelleis radiisque densos
Stringeret villos radiata iussos
Astra vocari,
Ipsa tum stellis Gedeone clarum
Vellus admovit, simul ipsa rerum
Adstitit Fabro removere nigram
Candida noctem.
Dicitur vastos speculata campos
Barbaro vecteis posuisse ponto;
Dicitur ruptis ab inhospitali
Rursus Adamo
Dexteram Nato moderante lora
Semper aequali tenuisse cursu
Et supra noxam male fluctuantem
Signa tulisse.

Quando confusis tumuere nimbis
Claustra terrarum pelagique ruptum
Foedus et toto latuit profundo
Naufragus orbis,
Una communi procul a ruina
Nescio mergi fabricata ligno
Montium pinnas super et cacumen
Arca natavit.
In rubo nullis temerata flammis
Mater illaesas rutilare frondeis
Iussit et lumen viridi pudicum accendit in auro.
Virga Iessaeo generata fundo
Fraxinos inter, tamen absque nodo,
Inter et quercus, tamen absque duro
Cortice surgit.
Servat exemptum caput et perenni
Flore conclusus decoratur hortus.
Lilium spinas negat inter ullo
Pollice carpi.
Omnibus lex sit metuenda mortis
Lata, sed non est nocitura sponsae
Regis Assueri: latitans in angue
Pendeat Ammon.
Filiae sacri graciles Sionis,
Ite spectatum niveam videri,
Ite Reginam: liquido coruscat
Semita passu.

Vos quidem multas studiosa gemmas
Turba legistis celebremque mundum,
Sed latet maior penes hanc repostae
Gloria gazae.
Quaeque dispersis sibi sola fulget,
Ista collectos micat inter igneis
Praenitens cunctis Superumque prodit
Publica cura.
Dente non uno facies nec unguis
In manum peccet minimusve naevus.
Tota formosa est maculamque nescit,
Tota decora.
Plurimae zona renuente solvi
Virgines circa glomerantur Agnum:
Una dilecta est thalamique consors,
Una columba.

Enthusiasmus

In coemeterio considerantis mortem ac functorum ossa. Anno M. DC. XL.

O D E XXXIX.

Ut se feroces denique littori
Stravere fluctus! Compositis minae
Velis et humani modesto
Aequore detumuere fastus.

Marcent quieto cuncta silentio.
Non ira venti, non sonus imbrium
Auditur in portu: profundo
Monstra iacent maris ipsa somno.

Huc illa demum spuma superbiae
Frangenda tristeis ad scopulos cadit;
Huc pompa tempestatis acta
In medio crepat et solutos

Effundit utres: protinus omnia
Iniuriarum flamina concidunt,
Subsidit aularum procella
Et tumor invidiaeque gurges.

Quid simus, eheu! sola tacentibus
Mors muta nobis atraque candide
Fatetur ac demonstrat: Hoc est
Omnis homo, cinis atque pulvis.

Omnes subimus non revocabile
Debere fatum; serius ocius,
Ut quemque ducit vel rebellem
Attrahit imperiosus ordo,

Manes sub unum cogimur atrium.
Diu timemus, quod cito desinit,
Et stamus in casum repentem.
Nascimur, ut moriamur orti.

Vitae sub ipso nomine mors latet.
Vix maior annos impulit, et puer
Se mactat infantem, tenellus
Dum tenero sibi cedit ipsi.

Pellit iuventus laeta puertiam,
Praetexta rallam. Vir iuvenem necat
Crescente barba, quam senectae
Iam nimia madidam pruina

Unaque mentum demetit Atropos.
Sic et rapinam vivimus et fugam
Nostri latrones et prioris
Usque gradus spatiique fures

Ac curiosi in secula transfugae,
Qui semper aetatem induimus novam
Ipsique nunquam et semper ipsi
Inque dies alii sequente

Mutamur hora. Vertere, vertere,
Formose Proteu: cum faciem Deo
Iubente pones adque Galbas
Veneris auriculis carenteis,

Deformis unum larva teneberis
Servare vultum pauperis Ibici.
Non heic lupinis aera distant,
Non validae scapha parva navi.

An sis vetusto nobilis ab Lamo,
An usque prisco dives ab Inacho,
Hiems an aestas: infidelis
Scilicet hoc Libitina curat!

Quae dextra sceptrum, quae fuerit ligo,
Quae falx et ensis; forfice quod caput
Rasum coronatumve gemmis,
Unde sciam? Iacet incubantum

Confusa strages, non roseus color
Sublucet ulli, non cutis extima.
Ut flante Cauro tota vernis
Silva comis viduata moeret.

Discrimen hoc, quod cernimus, unicum
Est, esse nullum; cuius enim genae
Pinguntur ostro? quae polito
Frons ebori nivibusque certat?

Quis crine vertex, quae violis comae
Ornantur? eheu! non oculi micant
Fulgore nativo nec usquam
Flamma domi; latebras amoris

Scrutata serpens Idalios cavo
Exhausit igneis. Vah specus horrida
Truncaeque nares: vah ruina!
Oris hiat lacerata sepes,

Gingiva linguae stirpitus erutae.
Praedator hortum vermis edentulum
Vastare repit; vah palati
A colubris iugulata radix!

Ergone tanti forma fideliae
Censeris albae cretaque putrium
Fallax puellarum et caducis
Allita fraus speciosa malis?

Labore quanto femina comitur
Solvenda in atras denique viperas!
Licet venustatis canorae
In speculis radietur echo

Suamque praesens quaerat imaginem
Absentis instar dumque reflectitur,
Irritet aspectu placentis,
Non potitur tamen ipsa semet.

Adeste, quarum vivere nil agit
Praeter videri: Splenia certius
Et lac asellarum pudendae
Functa sua simulacra vita

Fronti admovebunt: turpe rigentibus
Ventosa rugis calva medebitur,
Legem capillis calva ponet.
Musa siles? ubi me relinquis?

Ad Iodocum Wernemannum.

Quomodo sperandum.

ODE XL.

Qui spei sese nimis obsequentem
Praebet, aut servit miser aut, Iodoce,
Serviet: malim mediocritatis
Ferre tenorem.
Prodigus mentis super omne littus
Fertur et largis fluit usque votis:
Cautior sistit sapiensque ripae
Alligat amnem.
Ille vult magnus nimiis haberi
Rebus; hic, rerum quia plenus usu
Sobriam mentem modicis coercet,
Maior habetur.
Pectoris fluctus et utramque liber
Temperat sortem paribusque miscet;
Quae dari poscit, sibi novit idem
Posse negari.

Ad D. Virginem,

Salutem infirmorum.

Cum auctor febri tentaretur.

ODE XLI.

Mater salutis tempus in ultimum
Mansura mecum, quo mediam dies
Inclinat in noctem, tepenti
Pelle nocens stomacho venenum

Aegrique tabem corporis igneam.
Iam flamma mixto contremuit gelu;
Iam frigus alternans calorem
Excubias vice plus quaterna

Mutavit: o quae diceris omnium
Amara morborum eluere efficax,
Si non mei, laudanda saltem
Virgo tui miserere vatis.

Quid in propinquo concinit angulo?
An sponte motae sunt citharae fides?
An febris immigravit illi
Atque ideo lyra palpitare

Audita filis acre trementibus?
Amplector omen: prosilio toro,
Si nec vacillanti labat pes,
Signa patent manifesta rerum.

Ad Hernicum Brandinum astrologum.

Irridet genethliacos.

ODE XLII.

Hernice dic, per omneis
Te precor stellas, mihi cur Hydrochoum
minaris?

Quis Deus alligavit
Liberam mentem rapidi legibus, ede, caeli?
Scilicet alba frontem
Luna vel pallens cerebro terrigenum molesta
Certius imperabit,
Quam sibi praesens animus! Num, quoties replevit
Plenior ora furtim
Igne fraterno, pariter me reparare macros
Coget opaca vultus
Mollium pulpa leporum vel Numida volucri
Vel petasone rapto?
An velut murem catus et bos vitulum minaci
Cynthia iactat orbem
Hinc et hinc cornu? Sed enim cur timidi sub astro
Armipotente Martis
Saepe nascuntur? stolidi sub bene literati
Arcadis et rapaces
Sub Iovis signo? Neque, si quem Venus alma natum
Viderit ex Olympo,
Urget infantem facibus continuo petulcis.
Ius animo suum stat
Semper immotum super altam Babylona vecto.
Displicet ista faecis
Turba Chaldaeae, rabidi cede senex Anubis

Liniger et sacerdos
Isidis, nullum mihi Fatum potes explicare.
Sola fames magistra
Fertur hanc artem malesuadi reperisse ventris,
Callida deinde Memphis
Siderum motus numeris et radio notatos
Disposuisse: frustra.
Si meum Divaeque sibi consona Nazarenae
(Dent superi quod opto)
Astra conspirant, satis est: tunc ego, seu Syenen
Carcinus igne torrens
Seu minax cauda feriat Scorpius expedita
Seu Capricornus horae
Vendicet natalis aquam frigore congelatam,
Risero suspicacem
Hernicum; tunc nec Lycius nec Petosiris obsit.

Paradoxon.

Q. Horatium Flaccum imitari se nonnunquam non imitando.

O D E XLIII.

Possim continuis, si libeat, chelyn
Evincire rosis, natus amabileis
Tactis pollice chordis
Versus iungere: non libet.

Duro molle genus, lenibus asperos
Mutanti numeros, ambiguae vices
Alternaeque Camoenae
Longe gratius accidunt.

Dulce est cuique suum velle, mihi meum.
Huc Flaccum quoque vis impulit ingeni
Et natura: nec illum
Sic Lucilius abstulit,

Ut se desereret totus ad alterum
Factus multisoni carminis artifex;
Nec te, Pindare, solum
Miratur nihil Appulae

Indulgens citharae. Siccus et humidus
Quam diversa canit! quam sibi dissidet
Ieiuno satur! Idem,
Qui nunc Quintilio pios

Affundit gemitus, mox furit Evoe:
Inter vina ruber, Candide Bassareu,
Clamat, candide Liber,
Huc adverte deus tigres.

Quondam saxa trahit suavior Orpheo,
Vix quandoque feram, tam placito sibi
Neglectu piger hiscit
Fumosum prope cantharum.

Proteus Aonius nunc iuvenem senex,
Nunc mentitur avem mistus oloribus,
Verum mox Epicuri
Porcum de grege pinguium.

Ut nil dissimulem, me pariter iuvet
Sic peccare bene et sic temere loqui:
Quale ut lividus alter
Conetur, nequeat tamen.

Hinc plectrum vario, Rusca, volubile:
Ex molli rigidus, postque liquentia
Purae gaudia venae
Totis entheus ossibus.

Quamvis tota penes culpa furentium
Musarum et rapidi numen Apollinis,
Quem possessus anhelo
Nequidquam excutio sinu.

Est hoc numen atrox: illius, illius
Oestro si quatior, non datur impari
Contra tendere sacrum
Torti vorticis impetum.

Sed tu saeve, precor, mitius irrue:
Mentem fatidicam parcius attona.
Mortalis tua dudum
Frangor tollere pondera.

Perbacchatus enim difficiles vias
Flagranti simul ore ebrius abstiti,
Nostrae redditus aurae
Toto corpore langueo.

Ad Virginem Dei Matrem

Pro Sereniss. Principe Ferdinando Maria Francisco Ignatio Wolfgango Sereniss. Electoris Maximiliani Primogenito.

Carmen votivum.

O D E XLIV.

Nam quid vetabit, quo minus offeram
Tibi puellum? Non adimo suae
Matri, sed insontem foveri
Praesidio melioris opto.

Admitte pignus, Mater amabilis,
Et prima vitae flecte crepuscula,
Ut flos tenellae lucis halet
In gremio redolentis Horae

Tuique Nati ludat imagine.
Tum crescat ore et fronte meridies,
Venaeque spiranti sereno
Dulce tremant seniique vesper

Purae quietis provehat otia.
Cor urat aestas, ver animum, genas
Autumnus, albentique pingat
Virgineam nive bruma mentem.

Ad Mauritium Rosam,

Tribunum belli.

ODE XLV.

Qualis intrasti, Rosa, nudus orbem,
Talis exibis; propior nocenti
Hoc tamen furi, rapies sub umbras
Lintea tecum:
Et vacas lucris et adhuc recentem
Adiicis praedam veteri rapinae?
Nec tuum sentis opibus malignis
Crescere damnum?
Quidquid accessit cumulo priori,
Demitur menti: minuit cupido
Parta, non auget. Petis esse dives:
Abiice merces.
Non nocet nullas habuisse gemmas,
Clamat ad stivam residens arator,
Consul agrestem subito vocatus
Ante iuvencum.

Ad Lucam Feronium,

Nicolai Feronii Fr.

Non iactandam prosapiae nobilitatem, sed eius causam virtutem retinendam esse.

ODE XLVI.

Ceras, aviti stemmatis indices,
Et plena fractis atria vultibus
Barbamque maiorum, Feroni,
Parce tuis onerare noxis.

Neu monstra iactes in clypeo sacri
Caelata patris; neu grave tinniat
Calcar peregrinisque late
Icta sonent orichalca stellis:

Quid belluarum nomina fortium
Mentimur orbi, si lepores sumus?
Frustra feroceis magna pardos
Scuta tenent galeaeque conum

Crispant avitae fulmina gloriae,
Si non in Hunnos fulminei ruunt
Pardi nepotes, si columbam
Arguerint aquilae parentes.

Spondes Ulyssen: sis Briareus prius.
Repleta verbis curia quem ferit?
Mucrone linguae nullus hostis
Transfoditur, nec acumen oris,

Sed ensis olim straverit Hectora.
Quos nominamus degeneres, avi
Venasque fibrasque, unde vitae
Pura dies animusque manat,

Totumque Eoum pectoris ignei
Haurire torvis obtulerant Getis,
Et caede facta non inulti
Barbaricas secuere turmas.

Nos vero fortes strenua dicere
Patramus usu mollia; cerei
De ferreis narramus annis
Proelia Vandalicasque strages.

Ad Iulium Orstenam.

De more ungendorum cadaverum.

O D E XLVII.

Refert scilicet, Orstena,
Quo manes pretio sub tumulos eant
Defossi, quibus oblinas
Succis et religes funera linteis
Non sensura Canopici
Heredis vacuam laude superbiam.
Clementeis tenebras petit
Mors contenta loco quolibet; angulus

Iam regale palatium est.
Quae natura parit, functa recolligit
Communi gremio, neque
Distinguit cineres terra novissimos.
Trunco sex spatium pedum et
Cippus cum modico caespite sit satis,
Luxum caetera barbarum
Spirant et nimiae frusta ferociae
Indignantia ferreis
Fatorum tabulis. Quid magis aspides
Et longam cupidi famem
Invitet colubri, quam capulo tenus
Uncta et lota cadavera?
Costumque et casiam et malobathrum Syrus
Membris imbibat omnibus,
Pollinctumque super funebris India
Plenis sumptibus ardeat:
Si non et pretio fama fragret suo,
Frustra spargit amaracum;
Foetebit sub humo tetrius insulis
Eiectantibus ostrea et
Neptuni vomitum putris ab aequore.
Nasum cinnama non movent
In Sullae cineres iacta nec efferunt
Crudeleis animas rogo.
Pauper Fabricius, quem populi favor
Alto pectore condidit,
Et Brutus Deciis additus et Cato

Gypsatusque Britannicus
Haud nardum redolent, turicremis tamen
Praestant mille Neronibus.
Virtus est feretri nobile balsamum.

Ad Sicilianum Bombycem.

Moriendum esse.

O D E XLVIII.

Fatis aguntur terrigenae suis,
Formose Bombyx. Ortus, ut occidas
Cum sole, cur primis repugnes
Auspiciis dubiamque reddas

Necessitatem, quae tamen omnibus
Corona rebus ponitur ultima?
Quod stas, quod is, quod vivis, hinc est;
Quodque itidem morieris, hinc est.

Ad Cascium Gambaram.

Cum illi suos scazontes ad Saturnalia mitteret.

O D E XLIX.

Scazonta, servum cornipedem meum,
Amice Casci, quem tibi destino
Mandata laturum iocosa,
Excipies, ut opinor, ore

Vultuque, qualem rusticus obtulit
Iovi Philemon; ne tamen anxius
Cogas fatigatum sedere:
Mitte supervacuos honores.

Genus Stylitae est. Stat nec ab hoc situ
Discedit unquam. Sic quoque dormiet.
Sed mirus illi flante bucca
Oris inest animique candor.

Cretos eodem sanguine Bilbilis
Habebat olim, cum strueret focum
Et Martialis fel amarae
Incoqueret piperatus offae.

Quanquam iste noster simplicis eloqui
Vitaeque purus malit, ut audies,
De gente Gazea videri
Castalio satus Angelino.

Ut cuncta noscas, istud habet viti:
(Immune nam quid sole super viti?)
Ferocit irritatus instar
Tigridis, asperior leone,

Traxitque ab ipsis has furias avis.
Quandoque lato calce suum ferit
Et me magistrum; saepe flexi
In melius: rediere mores.

Natura quamvis vapulet, hoc erit
Pulsata furcis, quod fuit antea.
Permitte Scazontem vagari,
Insita quo rapiet cupido.

Tunc obsequentem, Gambara, senties
Nec non creandis risibus utilem.
A tabe praeservat lienem
Et nebulis cerebri medetur.

Ut proniorcis claudicet ad iocos,
Porci triennis mane tomaculum
Offer, remissurus Calendis
Graiugenum fugiente bruma.

Laus posthuma

R. P. Iacobi Kelleri S. I.

Olim rectoris colleg. Monac. defuncti anno
M. DC. XXXI.

Ab auctore piis manibus primum impensa

An. M. DC. LX.

O D E L.

Ac si hodie videam, post tot mihi sisteris annos,
Flende piis Iacobe Camoenis,

Non obscura tamen, sed amabilis umbra recurris
Ac nulla ferrugine tincta,
Qualis eras olim nostras moderatus habenas,
Sublimi venerabilis ore,
Et liquida mentis perfusus imagine vultum
Et senii vivacior usu,
Publica cum regeres privata fronte retenta,
Curarum iucundus in aestu;
Cum te non digitus tantum, sed tota probaret
Saepe manus regnare coactum.
Iudicii matura seges, penetrabile rerum
Ingenium doctique lepores
Miscebant aequale decus; prudentia pondus
Et virtus afflavit honorem,
Utque acies belli se protendebat in omneis
Consiliis mens lucida parteis.
Portus eras Bavaraeque pharos spectanda carinis
In pelago luctantibus aulae.
Utraque diffuso fluxit facundia fonte,
Danubio Tyberique probata.
Qui niveus canis ac toto vertice cygnus,
Orantis quoque gutture sedit;
Praesertim nostri prolatus origine coeli,
In nostram proclivior artem,
Verba catenabas regale sonantia gemmis
Pindarico succinctus amictu.
Tu facileis solitus numeros dictare meumque
Auspiciis stimulare calorem,

Audebas titulos et plenum laudibus aevum
Et magnos promittere menseis.
Te duce nequidquam dignati repere montis
Aonii conscendimus arcum
Non lento passu, (neque enim tardare sinebas)
Sed volucri quasi fulminis ala,
Qualiter aerium Capaneus iter arbore mensus
Se victam super extulit urbem.
Stabas inferius, donec de rupe redissem
Concussus praecordia Phoebo.
Ast ego pendenti capite inter nubila mersus
Enavi peregrina viarum.
Mox virgulta iugis hederamque et laurea serta
Et pennam de stante Caballo
Fragminaque ex alto mecum Parnassia ieci,
Ut scires superasse cacumen.
Quo tunc amborum salierunt pectora motu
Laetitiae spirantia flammas!
Sicut adhuc steteram, rigidumque horrore comarum et
Aetheria fuligine sparsum
Protinus in dulci sudorem abstergere Cirrha
Atque alio sudore iubebas.
Accessere boni vultus super omnia et istis
Dona tuos imitantia moreis:
Aut tuba cantatrix Heroum aut fistula pacis
Et ruri testudo locuta.

Heu mihi, quam longis a te nunc passibus itur
Euxini prope littora ponti!
Nam postquam undantis cerebri te lubrica moles
(Praesagum tamen ante procellae)
Sustulit et plenos ducis iam numine somnos,
Lapsa ruit spes maxima tecum.
Ad paucos chorus est Sueco praetore redactus;
Sub cultro stat gloria vatum:
Quanquam Vandalicus tantum non obfuit hostis
Igne et aqua ferroque minisque,
Quantum hirsuta nocet multorum inscitia Musis,
Vastatrix vocalis amoeni.
Nomina cultorum Thebanis comparo portis:
Plura tepens habet ostia Nilus.
Sunt, qui Pierides malint a stirpe recisas
In Graium migrare sepulcrum.
Eloquio Latii praefertur barbara Memphis;
Coniurant silvescere Fauni,
Quod nequeunt ipsi, reliquos prohibere parati,
Ne pulcro certamine possint.
Interea, quidquid sacro de culmine restat,
Manibus his properare decorum.
Sterne, poeta, solo vestigia: funde coronas
Irrigua Permesside lotas.
Te virides luci, te Phocidos antra canorae
Fleverunt, o nobilis umbra.
Te sine Castaliam metus est arescere lympham,
Sicca vado tralucet arena.

Insuper et Daphne bis migratura timetur
Atque alia mutanda figura.
Ad nomen tamen illa tuum suspiria ducit
Ac sese demittit amari.
Ipsi etiam subitis vestiti floribus amnes
Incipiunt ridere per hortum.

JACOBI BALDE S. J.

LYRICORUM LIBER III.

Ad Sabinum Fuscum

Tirolensem.

Invitatur ad contemplationem rerum coelestium.

O D E I.

Sabine, matris pars melior tuae,
Signate grata Fusce nigredine,
Haeremus Halae? scande monteis,
Rumpe moras et aprica mecum

Capesse mollis frena Favonii.
Iam rara vernis nubila solibus
Divisa cedunt et patenti
Aura levis monet ire coelo.

Simul capistrum Pegasus induit
Terramque fixa percutit ungula,
Exsudat et glebae rosarum
Puniceo rubuere Nilo.

Neu te retardet stare Copernici
Aut Archimedis lambere pulverem.
Confunde arenas: scripta dele
Signa Syracosiumque gibbum

Extende coelo. Quid vitrei iuvat
Atlantis usus? quid Siculi senis
Mentita crystallus Triones
Oceanum vetitos subire?

Veros licebit tangere verius;
Lustremus axes: nomen et ordinem
Docebit astrorum Thaliae
Uranie sociata nostrae.

Qua parte primum flectimus orbitam?
Hac, qua frementi murmurat alveo
Pontemque dedignatur Oenus,
An niveo saturatus imbri

Qua flumen ingens Danubius vehit?
Ut obsoletis, despice, cornibus
Argutat obscurus latere!
Degeneris mala fata Rheni

Captumque moesto gurgite sordidus
Deflet Brisacum: totus inhorruit
En campus armis et minaci
Nuda seges crepat icta ferro.

Ningitne, an albis aera liliis
Mavors inundat? Stant aquilae truces
Ad signa vindictamque stricto
Armigerae meditantur ungui.

Sublime motis aura leonibus
Percussa rugit; plena tument Noto
Vexilla crispanturque flexu
Per refluos sinuosa gyros.

Hinc Belga pugnat miles Iberiae,
Hollandus illinc sulphure pectoris
Accendit iras et doloso
Ambiguum coquit igne bellum.

Arctata vastis aequora molibus,
Silvas et urbeis et medios ferunt
Monteis Batavorumque classem
Sollicitam maduisse Gange.

Hic orbis ille est tantulus aspici,
Discordiarum caussa recentium:
Vah bruta deformisque tellus
In minimum tenuata punctum!

At nos in altum provehimur; placet
Venti levantis grata protervitas.
Hac officina prodit aulae
Terror et exitium, cometes

Vapore natus; non procul excubant
Fumosa multo fulmina pulvere:
Pars furva mentum, pars retortas
Rubra iubas, facie Sicambri.

Quae virgo nobis dirigit obvia
Crinale telum, Solis ait soror
Dici; pharetram frater implet
Igne suo iaculisque lucis.

Iam permeamus Mercurii domum,
Volvi procacem iam Veneris globum.
Haec porta Phoebi, quam Gradivi
Castra premunt. Iovis ista sedes

Velata quercu. Summa tenet pater
Effoeta torpens membra senex gelu
Saturnus algentemque zonam
Servat Hyperboreumque tractum.

Enavigemus: fallor, an audio
Per astra carmen? Carmina credidit
Iucunda concentumque moto
Pythagoras resonare coelo.

Quaecunque, certe non inamabilis
Insania haec est: cum sonitu poli
Vertuntur: audis instrepentum
Agmina luxuriare vocum?

Et vero cantant, omnia sunt chorus:
Stellaeque Musae, dum rota volvitur
Et scena picturata transit,
Aetherias modulantur odas.

Quis iste Cygnus gutture dividit
Alisque lessum? flamina quae Lyrae?
Orphea Testudo canorum
Mille rapit thyasos in orbem.

Quam se citato circumagit pede
Praeceps Orion! En nova pyrrhichae
Saltationis vibrat arma
In numerum rutilique flammas

Educit ensis non sine siderum
Risu sequentum, quae bene balthei
Mirantur ingentis ctenam
Et phaleras et acuta coni.

Non ipse Cepheus abstinet et suae
Laetus choreis coniugis annuit
Clangente vultu; non ligatam
Perseus Andromedam relinquit.

At nec Bootes illepidus: gradu
Velit citato currere, ni fera
Retardet; ergo caedit Ursam
Et scutica metuendus urget.

Huc, Fusce, ventum est; ulterius nequit
Audax poesis: provehet altius
  Alata virtus. O venusti,
    O Salii, meus ardor, ignes!

O ludus, o spectacula in aureo
Coeli theatro! O patria, patria,
  Si sic pavimento coruscas,
    Qua facie radiabis intus!

Sed iam fluenteis leniter attraho
Redux habenas, ne Phaethontio
  Errore signemus quadrigam
    Aerium per inane lapsi.

Hinc ex Olympo fertur et Appia
Ad usque terras se via pandere
  Secura Romanaeque suppar
    Nec tumidis inamoena clivis.

Illam penetrans te (quid enim times,
Sabine?) glaucas mollis ad Isarae
  Depono ripas: necte vati
    Serta tuo viridemque laurum.

Ad D. Virginem Aetalensem.

Cum ex Tyroli in Bavariam profectus illac praeveheretur.

O D E II.

Montium praeses nemorumque Virgo,
Cuius Aetalae meminere valles,
Silva cui circum viret et comanteis
Imputat umbras,
Quam tuam laetus propiore passu
Eminus visam venerarer aedem!
Sed viae tardant, neque lentus audit
Currus habenas.
Ergo, quod solum superest amicis,
Quos iter iungi vetat, o et absens
Ter quater pulcris cumulanda votis,
Sic quoque salve.
Tu quoque absentem iubeas valere,
Mutuas ut dum damus atque voceis
Reddimus sacrae per opaca silvae
Insonet Echo.

Ad Pyrrhum Feudium.

O D E III.

Te nemo vilem verset ut amphoram,
Ansamque nullo crimine praebeas,
Qua, Pyrrhe, deprensus per omneis
Fabula circumagaris aureis.

Ignava terror pectora proterit
Movenda quovis murmure civium:
Virile nunquam fama sternit;
Mitte levi trepidare probro.

Quid vana curas nomina non tua?
Contentus esto te potius, neque
Caecos reformida tumultus
Aut strepitum popularis aurae.

Amara rerum non potes omnium
Vitare flexu: plura tamen potes
Eludere ictu. Perge agendo
Fortia displicuisse multis.

Genovefa,

Sancta Virgo Parisiensis,

Desiderio videndi in coelo Christi Mortem sponsum suum nominare solita.

Canebat auctor in solatium religiosi iuvenis

Andreae Frondisii

in supremo morbo ad coelestem patriam adspirantis.

O D E IV.

Vergente vita rapta cupidine
Vitae perennis fertur amabilem
Singultum in has rupisse voceis
Francigenum Genovefa sidus:

Atqui moraris, Mors, mea vita, nec
Promissa servas? Pronubus en Dolor
Et Morbus ornavere sponsam,
Serta fragrant oleoque lampas

Vestalis ardet; non solitis ego
Mollis iuventae torreor ignibus:
Me forma brumae, me pruina,
Me glacies potiore flamma

Letalis urit: Mors, in amoribus,
Mors, in medullis atque oculis natas.
Te, sponse, si nescis, in horto
Pacta mihi mea mater Eva

Dis invidenda carpsit ab arbore
Dotale pomum; te generum sibi
Adamus electum momordit
Et mihi tunc Moriere dixit.

Hac dote felix nubere gestio,
Natura rebus quam dedit omnibus;
Debetur et nobis parentum
Terra levis modicusque pulvis.

O larva verna pulcrior iride,
O umbra puro sidere clarior!
O corpus, o vivum cadaver,
O tenebrae, mea lux, amicae!

Ah quando iunges oscula virgini?
Nam consecravi me tibi virginem:
  Intacta florem servo; nostri
    Nullus habet spolium pudoris.

Nondumne serum ventilat Hesperum
Vespillo? nondum sarcophagi torum
  Stravere Manes et virentis
    Sparsit Hymen folium cupressi?

O nox beata, o ultima frigora,
Primi calores! O mea funebris
  Et nuptialis taeda, luce!
    O thalami tumulique nostri!

Lucente buxo me Solymitides,
Vacciniis me pingite Gallicae,
  Nigramque formosamque nympham
    Flammeolis operite fuscis.

Pallent amantes: non ego palleam?
Demantur ori viva corallia,
  Incingat albam vitta frontem et
    Populeis Libitina ramis.

Festiva ludant carmina praeficae
Dulcemque lessum. Sponse, veni: tua
  Te quaerit exspectatque moesta
    Supplicibus Genovefa votis.

Seu te sepulcri regia nobilis
Late imperantem, seu nova pyramis
Vastove Mausolea monte
Saxa tenent famulique circum

Pectunt lacertas vertice mobileis,
Dorsique spina aut orbibus e cavis
Scrutantur angueis, ut reclinent
Funereum diadema calvae,

Seu fila vitae texta novissimae
Lustras et aevi pensa recolligis,
Seu messe iam poscente falcem
Vectus equo per anhela pestis

Camposque et urbeis et populos metis
Densisque stipas cladibus horrea:
Huc flecte cursum, tot marite
Nominibus titulisque noster.

Neu Franca virgo, neu tenuis, precor,
Fastidioso displiceat casa.
Facunda surdo, pulcra caeco
Non satis est opulenta coniux?

Quondam et tabernas pauperis ingredi
Subterque tectis stramine consitis
Immensa laudabare parvo
Atria posthabuisse ruri.

Ergone solis divitibus nemus
Recludis atrum, quod pede libero
Manes coronati pererrent
Cum citharis choreasque plaudant?

Et nos mereri possumus aureae
Pondus pharetrae; profer arundinem,
Dilecte, figendamque vibra:
Vulneribus patet omne pectus.

Quanquam ipse vulgo crederis osseus,
Dicere nobis totus eburneus;
Dicere frondoso celebris
De Libani properasse saltu.

Amemus; urat mutua febrium
Vis blanda venas. Me bene languidam
Compone somno; necte myrtum,
Necte tuae violas puellae,

In valle qualeis Elysia madens
Ferrugo tingit. Iam morimur: bene est.
Mortem fefelli: necte, Christe,
Necte tuae violae coronam.

Ad Virginem Matrem.

ODE V.

Diva formosis vigilata flammis
Hinc et hinc circum, cui luna suras
Osculo mulcet famulusque sol ve-
stigia lambit,
Prosit hoc vati cecinisse, quod sis
Diva formosis vigilata flammis.
Nil negat Natus tibi; nil negari
Posse fatetur.
Ille suspensus, quoties ocellis
Dulce connives et amoris ignem
Visa suspiras, toties Parenti
Dulce renidet.

Ad Rudolphum Vogtium,

Nobilem Alsatam.

Ut patriae calamitatem moderate ferat.

ODE VI.

Cum vix egentem vomeris aream
Foecunda spicis integeret Ceres,
Cellaeque Lenaeique fontes
Indomito fremuere musto,

Tunc te beatum, tunc tibi candidos
Fulsisse soles credideras, velut
Regnante Saturno videres
Secula praetereuntis auri.

Nunc arva postquam messuit hosticus
Ensis Gothunni et bruta sitis tuas
Vastavit uvas, vae severo
Quam tetricum ruis imbre vultum

Moestoque iam iam lumine flebileis
Rimaris umbras! Desine tristium,
Vogti, querelarum; dolorem
Causa levet patriaeque dulcis

Commune damnum. Corrigere est nefas
Quodcunque luges: procubuit seges,
Succisa vitis, sparsa rupto
Vina cado; iacet arx et hortum

Villasque et agros et sata duplices
Ussere Sueci; caetera subruit
Vicinus intactas amicus
Relliquias Danaum secutus.

Cui vero dices impatiens diem?
Stultum est querelis Fata lacessere,
Culpare Fortunam probrosum.
Si domino caput obligasset

Professa numen se famulum fore,
Citare posses; sed levis est dea
Levisque dici tota gaudet,
Idque negat meretrix negare.

Ibis Gradivum sistere iudici?
Sed omne miles ius capulo dedit,
Hic crimen obiectum refellet
Ense; tubae sonitum diserto

Opponet ori. Qui melior manu,
Victor perorat: nunquam adeo bene
Armata vis et lex inermis
Conveniunt; feret omne punctum

Vagina Martis: perge miser queri
Non audiendus. Consule me tamen
Silebis aerumnas et alta
Mente premes: superatur omne

Malum ferendo. Saepe beatius,
Rudolphe, censu paupere vivitur
Et rebus angustis: quid ambis
Divitias? Satis ille dives,

Quem fortuitis ex opibus nihil
Irritat: ingens est patrimonium
Cupido nullius caduci et
Fervida diminuisse vota.

Ad D. Virginem assumptam.

In eius pervigilio.

O D E VII.

Quae est ista, quae ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Cant. 8.

Quo die terris properans relictis
Tota migrasti super astra Virgo,
Floribus stratum tibi tergus incurvavit Olympus.
Dulce te visa gradiente coeli
Carmen auditum resonare, Qualis
Ista per nigrae loca senta silvae et
Horrida tesqua,
Qualis ascendit Dea? tota pulcra
Gaudiis gemmat liquidis suoque innixa Dilecto volucreis per auras
Floribus halat!
Talis in seram, sua regna, noctem
Luna cum venit, tenuatur Arctos,
Pallet Arcturus positoque ferro
Languet Orion.
Talis electi speciosus oris
Phoebus Aurora lacrymante ridet,
Quando cristatis avibus coruscum
Mane precatur.

Inter has voceis magis elevata
Brachiis Nati superas id omne,
Quod Deus non est, animumque toto
Numine mergis.
Merge: dum dulci maris e profundo,
Quod superfusum bibis, una saltem
Gutta distillet lacrymasque nostri
Temperet orbis.

Sacra Tempestas

Exundantis Oeni

sive

Flavii Pollionis

Salutaris ac vehemens concio

de aeternitate

habita Oeniponte exeunte vere, quo tempore longe lateque fluvius Oenus hibernis nivibus tumens restagnavit.

ODE VIII.

Allegoria.

Ergo, nefasto quo cecidit loco
Fatalis Austri caesa bipennibus,
Arsura flagrabit perenni et
Viva rogo morietur arbos!

Gelboa toto monte cacumina
Implete valleis; vos Libani sacrae
Lugete silvae: me vel Othrys
Vel Rhodope tegat involutum

Mundi ruina; me profugum freto
Malea mergat; me Libycae fames
Raptum leaenae, me recondant
Ventre cavo scopulosa cete:

Vix haec disertus Pollio, cum repens
Pervasit omneis turbine pectoris
Commistus horror: flare venti,
In pluvias resolutus aether

Sonora rostris volvere murmura.
Huc deinde lapsis auctior imbribus,
Qua parte nubeis evocatus
Caeruleas equitavit Auster,

Omnem loquendi vertere copiam
Orator Oeni: nunc subiti ruit
Torrentis instar de nivali
Vertice; nunc medio volutus

Et ire praeceps sistitur aggere,
Tantoque spumat verba ferocius
Allisa ripis, Tulliani
Se medio velut unda Tybris

Templo intulisset: flumina grandium
Sententiarum plebis in obviae
Funduntur aureis cum profunda
Dedecorum scelerumque strage.

Quo more rivos aequoris humido
Eiectat arcu terror euntium
Balaena nautarum, refuso
Mox animi maduere ponto

Haustique miri fluctibus alvei
Flevere culpas et lacrymis aquam
Auxere, nigranteis arenas
Diluvies pretiosa fundo

A cordis imo torquet et eruit.
Ploratus ingens exoritur, simul
Facunda tempestas revulsis
Intumuit per aperta claustris,

Iamque omne crimen gurgite mergitur
Et irreperto litora desinunt
Vado videri; iam teguntur
Culmina turrigerique fastus;

Iam sumptuosae tecta superbiae
Montesque honoris sub pelago latent,
Idemque cum furtis iniquae
Naufragium subiere merces;

Pictaeque vestes et chlamydum fluunt
Cinctus, et omnis gaza pecuniae
Factumque et infectum metallum et
Dimidii periere vultus.

At vero fractis ingemuit Venus
Libidinosae pontibus insulae:
Vis nulla Germanum valebat
Nullus obex cohibere Araxem.

Haec unde novi? cum fluerent nives,
Late sonantem tutus Aquarium
(Nam Phoebus adductum tegebat
Nube cava) speculabar; ohe!

Ad Simonem Lavendulam.

Se in excolenda macie mirum in modum proficere.

ODE IX.

Tantae molis erat denique corporis
Tota destitui mole, Lavendula:
Ipsos exuor artus,
Ipsis exuor ossibus.

O gratare mihi, iam penitus macer
Depono reliqui rudera carceris;
Paullum restat arenae, et
Totus spiritus emico.

Nec porro lanios horreo nec forum,
In quo vaenit adeps, vito boarium,
Securus licitantum
Nullis a Brasilis emar.

Nulla parte mei bellua flammeis
Mentem sideribus protinus inferam;
Ceu Maia satus inter
Umbras et Superos eo.

Iam iam liber io (terra putris vale)
Defaecatus io (congeries vale
Insincera: valete
Ventres) tollar in aethera.

Ad Franciscum Ragusium,

Edmundi Ragusii fr.

Symbola Pythagorae.

ODE X.

Vile ne fiat tibi Numen usu,
Cum nihil maius generetur ipso:
„Ne Deum caeles digitoque portet
Annulus haerens.“
„Fervidam spumis cave laesus ollam
Concites, non est fodicandus ignis
Ense.“ Sopita cineres quiescunt
Tutius ira.
Dura constanti supera labore;
Coepta successu properanter urge:
„Ut nihil faecis bibiturus in cratere relinquas.“

„Urbium nolis minui coronas.“
Legibus pulcre redimitur ara,
Lege firmantur sacra, lege cives,
Lege senatus.
„Publico nunquam gradiere calle:“
Nam minus peccat minus usitatus;
Plebis exemplo via trita semper
Fallit euntem.
Empta cum luctu noceat voluptas,
Criminis serum fuge poenitere:
„Ne quidem gustes epulans nigras habentia caudas.“
„Allium raro, pia farra saepe,
Cor edes nunquam:“ remove dolorem
Laetus et diris iecur ulcerosum
Linque Mycenis.
At nec infamis tibi foeda mensae
Lucra nummorum sapiant avaro:
„Nec manu sumas aliena quondam
Pocula laeva.“
„Impiger cursus cave transilire
Ante suspensam pedibus stateram:“
Triste fas laesum, nihil est iniquo
Iudice peius.
„Laetus arride speculo, nec horre.“
Quod negat natura, velis negatum.
„Invidens hosti tamen abstineto
Vellere barbam.“

„Dis merum liba:“ bene Di precantur
Mentibus gratis cumulantque dona.
„Cum tonat coelum, venerans memento
Tangere terram.“

Ad B. Virginem.

Iturus Ebersbergam.

ODE XI.

Dum me severis fessus in exedra
Exsolvo curis et volucri rota
Per arva vectum cinget Ebers-
berga cavo nemorum recessu,

Tuere sanum, laetitiae parens,
Vultu sereno discute nubila:
Spirare clementeis Aprilis
In Zephyros tenuetur aer.

Quodsi propinquae caerula Doridos
Tentabo cymba, da placido lacum
Sopore sternendum quotannis
Emerita peragrare quercu.

Nec vero gratis: fors habileis agam
Remos amoeno non sine carmine,
Navim salutaturus illam,
Quae titulum gerit institoris.

Dicere nymphis ditior omnibus
Vexisse frugeis aetheriis procul
Campis resectas et trementi,
Virgo, famem pepulisse mundo.

O ergo nostri praeses in aequore
Formosa stagni, vatibus annue:
Sic glauca verbenis et ulva,
Cymodoce, tibi serta nectam.

ODE XII.

Auctor a celeberrima secta Stoicorum desciscit.

Quid mihi vobiscum est, stoae foetentis alumni
Deucalione sati?
Mobile lignorum genus et viventia saxa,
Quae tamen Ogygiam
Amphion nullus cithara traxisset ad urbem
Pondere fixa suo.
Iam tandem deprensa mihi fraus omnis et error:
Pene ligatus eram;
Stupea sed valido disrupi vincula nervo
Ceu putrefacta situ.
Estis, io, rigidi cultores estis honesti,
Usque severa tribus.
Non turgent oculi lacrymis, non gaudia risu;
Non tumet igne iecur,

Nullaque sedatum tempestas pectus inundat:
Omnia pace vigent.
Credite Pisones: at non ego; credite verpi,
Gens inimica Deo:
Credere me tristis vetat experientia rerum
Nec sinit esse rudem.
Auditis? quorum virtus olet horrida caepas
Totaque vita sedet:
Multum vesicae vobis et maius inane est;
Fastus ubique sonat.
Hinc abeo versis aliud mare currere velis
Liberioris aquae.
Qualis in Adriacis Venetum secura phaselus,
Et mea ludet aquis.
Decurrat placidis innubila moribus aetas
Temperiemque ferat,
Non suspecta metu, non importuna tumore,
Non odiosa minis.
Tempus erit, lactus risum cum poscet amicus:
Splene feremus opem.
Tempus erit flendi: veris manabit in uda
Fletibus ora dolor.
Denique verus homo, non truncus inutilis agri
Nec lapis esse volo.

Ludus Palamedis
sive

Latrunculorum, vulgo scacchus. In gratiam nobilissimi iuvenis Stanislai Choscii Hophskae Poloni, quo spectante luserat.

Invitat illum auctor ad contemptum terrenarum rerum sub Fortunae ludibriis, brevitate ac vicissitudine vanescentium.

O D E XIII.

Cur spissos foliis dividimus libros,
Ut magni pateant somnia Socratis?
De nugis hominum seria veritas
Uno volvitur assere.
Chosci, nonne vides, quos variet modos,
Quas Fortuna vices mobilis imputet?
Eheu ludimus et ludimur! impares
Signis, interitu pares.
Adversis validae stant acies viris:
Hinc Tros, hinc Rutuli, versicoloribus
Incincti sagulis. Turrigeri latus
Defendunt geminum boves.
Paullum castra silent, nec tuba protinus;
Miscetur dubius consiliis timor:
Secretosque ducum, quos acuunt, dolos
Dispensat patientia
Et speratus honor; mox, ubi classica
Diduxere sonum, res geritur manu:
Ac ni consideant sub galea comae,
Stent altum rigidae metu.

Dum campus medio panditur aequore,
Decrescunt subitis agmina caedibus.
Vestro, si memorem funera, rustici;
Stat victoria sanguine:
Vos commune malum, vos luitis scelus;
Vestris, quotquot egent, in vitulis arant,
Ex vestris gladium fingere falcibus
Solers vos metit et sata.
Quidquid magnanimo crimine fortiter
Delirant proceres, plectitur ultimus
In pago Corydon; noxa palatii
Exurit sterileis casas.
Aude et tu facinus, vilis homuncio;
Ne semper ducibus victima mugias:
Agresteis etiam quondam animosior
Fungos Gloria respicit.
Tamberlanus erat pastor idoneus
Permutare pedum frondibus aureis.
Iustinus trabeas Ausonii tulit
Armentarius imperi.
Sed quis de medio capripedum choro
Improvisus adest? quam tacito pede
Transmissas camuris non sine cornibus
Obliquat salebras viae!
Parthorum celebrem dissimulat fugam
Ponens insidias. Iste nigerrimus,
Hunc, Romane, cave: sternit et arietat
Hircis laeva tuentibus.

Malit quisque tamen non humili manu
Aiacis, fatui quam trabe ludicra
Cursoris perimi: vulnera saepius
Clava morio dividit.
Nostri bella queror tristia seculi,
Sub quorum clypeis omne genus furit
Stultorum, vitiis laxat atrocibus
Mars impune libidinem.
At regina gradu fertur Amazonis,
Quo se cunque movet, collaque (foeminis
Eheu cuncta licent!) demetit obvia
Alis fulminis ocior.
Non obsistit eques, non peditum phalanx,
Non frendens elephas; Porus et Hannibal
Succumbunt Veneri, cuncta domat Venus:
Una est fortior omnibus.
Non, et quanta valet, semper in hostium
Permittenda globos ire cadentium;
Observatur enim fervida proelii:
Aruns non datur unicus.
Magnas vertit opes sexus iniquior,
Inconcessa petens et nimius sui:
Nam desiderio quem statuit modum
Flammis icta Cupidinis?
Nunquam plena salus, cum mulier regit,
Nunquam tuta satis: quae modo provida
Apparet Tanaquil, mox temeraria
Prodet Fulvia coniugem.

Rex Adraste, pedem tu quoque promove.
Incauto nocuit credere militi
Maiestatis onus; qui residet domi,
Absens plurima nesciet.
Turmas ipse suas duxit Iulius
Epirique potens: ipse pericula
Cingentum medius reppulit hostium
Belgarum leo Carolus.
Dum mandata damus, dum Fabii sumus
Tantum dimidii; dum madidi mero
Unguentisque rosisque otia vendimus,
Iacta est alea Teutonum.
Sed iam tempus equum fraena resolvere.
Lusi: coge meos, Hophsca, triarios
Et thecae modico compositam sinu
Buxum conde Laconicam.
Uno pompa loco ludicra consulum
Lictorumque iaces. Hic capit alveus
Cum gemmis silices et radiantia
Mistis sceptra ligonibus.
Cur mundi titulis captus inanibus
Sub vano, iuvenis, nomine militas?
Cuius spes fragilis, res brevis et vitro
Ampullaeque simillima.
Non, si victor ovas, maior eris cinis;
Non, si deprimeris victus, eris minor:
Omnes in tumulo vile silent genus.
Ludus vivitur et sumus.

Argonautae.

ODE XIV.

Ius sacri laesum refero tridentis:
Per truces fluctus et opaca ponti
Thessalam Graii docuere nautae
Currere pinum.
Huc ovis flavae scabies avaros
Impulit; tanti fuerat timere
Fulmen et spumas et equos et aerei
Flammea tauri.
Ergo telluri locus et sepulcra et
Asseres desunt, quibus inferantur
Ossa! de fundo pelagi petendae
Funeris urnae!
En reos: parcam Lachesin queruntur
Pensa de vili glomerare lana:
Nec colum totam dubitant trementi adnectere malo.
Unus in remi quoque forsan usum
Fregit, ut stanteis agitaret undas;
Alter intextae data vela vitae in
Carbasa vertit.
Di maris, cur non prius obruistis,
Quam reversura Minyae carina
Magna dissecti traherent in unum
Foedera mundi?

Ad Reginam Coeli.

Cum eam Serenissima Electrix

Maria Anna ad eiusdem statuam in foro Monacensi erectam publicis votis festoque symphoniae apparatu sub occasum solis pie deveneraretur. A. MDC XL.

ODE XV.

Descende coelo, filia Principis,
Pulcrosque gressus figere Boicis
Dignare terris: qua vocatae
Austriacas Marianna palmas

Tendit, columnam virgo supervola,
Tecum solutis alma Salus comis
Et Pax ligatis ac verendo
Cana Fides Pietasque vultu

Comesque vadat publica Faustitas
Et plena cornu divite Copia,
Quam naris emunctae Voluptas
Inter eat graviore passu.

Venit: serenum fulgure scinditur;
Venit, canoras iungite tibias
Albaque dignatam videri
Nube super celebrate laeti

Cives patronam: seu rapidus calor
Exurit agros, seu nimio seges
Humore suffocata stertit,
Seu penitus glacialis imber

Messis iuventam stravit et ultimis
Afflixit oris, seu fera cladibus
Bellona vestram, seu veneno
Atra lues populatur urbem:

Quae tecta pestis cunque subiverit,
Morbis et armis Diva medebitur;
Saevumque vel diffinget ensem in
Sarcula frondifluamque falcem,

Vel in feroceis Massagetas retro
Suecosque vertet: mox melioribus
Ridebit astris purus aer
Et Zephyrus recreabit arva.

Tum vero grandeis efferet altius
Ceres aristas mellaque lubricis
Labentur e truncis et omneis
Sparsa ruent peragrare vicos.

Ripas inaudax Isara transgredi
Intra modesti fluminis alveum
Tenebit undas, ni refuso
Lacte fremat tumeatque musto.

Audimus haec, et supplice praesidem
Nondum sonamus carmine Virginem?
Io tubarum clangor aera
Rumpat, io resonent choraulae!

Ordimur: o cui dimidii sumus
Genuque strati fundimur in forum
  Late coronatum lucernis
    Vespere iam numerante stellas,

Occurre votis et Bavaros Duces
Affla benigni Numinis halitu.
  Tu robur afflictaeque scutum et
    Dulce decus patriaeque mater,

Iuditta nostrae pulcra Betuliae;
Tu spes senatus; tu populi salus,
  Ducisque natorumque et urbis
    Gloria laetitiaeque causa.

Te Gotthus hostis, te mare Balthicum
Marisque rector barbarus horruit.
  Cantamus audiri per axes
    Aetherios et utrumque solem.

Te mollis Indus, te Brasili quoque
Noscunt et auri dives Arabia,
  Inops et umbrarum Syene.
    Te ruber Oceanus tepenti

Adorat unda, te canit ultima
Et prima tellus, te colit Aethiops
  Crispum renodatus capillum et
    Ora niger niveusque dentem.

Ad Molardum Bucconem.

Cur a Stoicis secesserit.

ODE XVI.

Musa, quid exhorres? res est vulganda Camoenis,
Ne plureis malus inquinet error.
Prodimus arcanum: pudet ah pudet edere, cuius
Nuper eram pars magna, Molarde,
Inter sessores et nos consedimus illos,
Qui pressa cervice laborant.
Me Bruti effigies et vox audita Catonis
Nil animo servile ferentis
Et duo praebentes Annaei colla Neroni
Impulerant admittere gibbum,
Sic tamen, ut posita Fortunam Fataque supra
Cuncta vehi formidine mallem.
Optabam fronti duplices inducere rugas
Bisque macer torvusque videri,
Inque modum statuae, qualem vel Cecropis olim
Vel cives posuere Quirini,
Altior e populo cornutum tollere fastum
Et tussim iactare sonantem.
Dum Senecam volvo et magnae solatia mentis
Promittit Lucilius, eheu!
Stoicus intravit tacito praecordia lapsu
Et fixis radicibus haesit.

Quidquid conabar, fuerat sententia, saltem
Spuma fuit verbosa loquentis.
Iamque ab Epicteti factus niger ora lucerna
Gaudebam fuligine tingi.
Tunc primum tetricas ausus contingere barbas
Hirsutis sociabar amicis.
Percute, Musa, lyram: retro vestigia torsi,
Cum vidi contraria votis.
Credideram nullo praestantia pectora motu
Turbari subitave procella.
Hi sunt, quos intus iactantior Aeolus Euris
Pulsandos committit et Austris.
Saepe nec in Siculo tam saevum carcere bellum,
Quam vapido sub pectore fervet.
Hi sunt, qui cupiunt terrentque audentque paventque,
Quos odium, dolor, ira flagellat.
In placido regnat formosa Neapolis ore:
Corde flagrat fumante Vesevus.
Quid? quod et in faciem furor exit et intima toto
Ex animi ciet aequora fundo.
Flant Boream nares et pleni sulphure vultus
Fulmineis arsere cylindris.
Tunc lingua in vappa dentesque in vulnere strident;
Tunc crabro circumvolat aureis.

Sunt aliqui tantum propter fastidia nati:
Hac anima septemplice vivunt,
Inter Aristarchos ut sint urtica minaceis,
Et magnum laudentur inane.
Interea raro, quanquam intonuere profunde,
Respondent praeconia verbis.
Vallibus irrepunt alto de monte locuti:
Fraga iacent cedrique videntur.
Fortiter Herculeis invadent omnia rhonchis:
Somnus erunt, quae caetera tentant.

Ad Ludovicum Sonnam.

Inconstantiae rerum humanarum.

ODE XVII.

Alterna mistis gaudia lacrymis
Ubique cernas: dissocies licet,
Rursus coibunt, se sequuntur
Et fugiunt vicibusque certis

Mutant habenas, saepe oculo simul
Sedent eodem. Tu Charitum prius
Trium resolves, Sonna, nodum,
Quam trepidas ab honore curas

Et nexa laetis tristia separes.
Cui dulcis ori risus inambulat,
Mox flebit uxoremque caram
Inter opes puerosque linquet.

Haec fata certe nuper Alonium
Ursere nostrum, qui citharae sciens
Et dives et pulcer repente
Heu viduam iuvenis reliquit.

Peiora narro: filia Scandolae,
Rosina Maiis Idibus edita
Et ducta Maiis nocte prima
Brachia destituit mariti.

Adhuc fremebant carmina nuptiis,
Cum sponsa toto frigida corpore
Ut funus assedisse mensae
Dicitur exanimis reperta.

Albam Voluptas saepe togam dabit,
Quam sumet ater Luctus et induet
Baccisque non istos in usus
Dispositis sua colla cinget.

Nectente florum serta Thalassio
Invisa spinas adsuit Eumenis,
Somnoque mortem Parca iungit
Delicias onerare praesens.

Sic taeda nigros in cineres abit,
Et in cupressum flammea vertitur
Votis tot exoptata pinus:
Sic Venerem Libitina pellit.

Ad Divam Virginem.
O D E XVIII.

Ne tibi servi sit amor pudori
Plurimo quamvis vitio rubentis,
Culpa si Matrem mea te secundi
Fecit Adami.
Ter quater felix fuit illa culpa.
Non nihil certe bona Virgo primae
Debeas Evae: memor usque scis et
Scire fateris.
Inde tam dulces veniunt sagittae,
Corda quae pleno scelerata figunt
Impetu nervi vacuantque totum in
Crimina pondus.
Inter insonteis niveosque vitae
Unice nolis habitare cygnos:
Plus tibi corvi dederunt honoris
Moribus atri.

Ad Florentinum Cedrum
Pedemontanum.
Commendat illi sua Lyrica.
O D E XIX.

Ne sperne nostras, Cedre, superbior
Arbos myricas. Quanquam animo supra
Colleis poetarum in supremum
Phocidos emicuisse montem

Testatur omni Melpomene iugo,
Demitte vultum et sacrifica manu
Attolle reptantem per herbas
Saxaque relligiosa Pindi.

Te serta Flacci molliter ambiunt
Gaudentque crineis lambere conscios
Horroris erectique Phoebi,
Te satura tegit umbra lauro.

Olim et canentem callida patriae
Agnovit Echo: nunc sacer Alipes
Salutat hinnitu et patenteis
Bellerophon tibi cedit alas;

Dum non, in alto stans, pede proteras
Imos negata difficilis via
Nec Hippocrenen solus omnem
Evacues phiala tyranni.

Commune malis, quo frueris, bonum.
Fons vivat orbi. Sic age, Pindare,
Assuesce possessor deorum
Pauperibus placuisse Musis.

Catulliano Mantua passere
Non indigebat, Virgilio tamen
Verona misit. Luna stellis
Cingitur; exuvias ferarum

Diana nullas respuit; Appulo
Spicam offerenti dives opum Ceres
Arridet, et solvunt in aequor
Ionium fluvii minores.

Ad Io. Bapt. Roremundum,

Alsatam sub Sueco exulem in Helvetia.

ODE XX.

Mitte quam calces, Roremunde, terram:
Quaere, quid cernas; oculos in altum
Tolle: non distat magis hoc ab illo
Exsule coelum.
Luna, sol, stellae celeres rotantur
Semper in gyros rapido meatu.
A quibus vivens alimenta sumis,
Disce moveri.
Peste non motus vitiatur aer.
Stante Neptuno pelagus putrescit.
Noxium languent pigra dormiente
Corpora vento.
Bella damnosam prohibent quietem,
Segnium purgant scelus incolarum.
Patrio fixum nocet esse fundo
Arboris instar.
Quin et haec ramos posuisse laeta,
Deiici clivis Phrygiove luco
Gestit, ut velis vaga curiosis
Aequora lustret.

Saxa Getula quoque caesa rupe
Exteri fineis aditura regni
Trans maris Gadeis per aquosa Triton
Caerula vectat.
Te piget cunis aviae relictis
Inter ignotas habitare genteis?
An super non est alibi beatam
Vivere vitam?
Alsatis tantum favet aura coeli?
Mollis hiberno viret herba campo?
Dulce maturi rubet uva Bacchi?
Omnia rident?
Helvetas felix sua sors in altis
Montium claustris etiam beavit.
Mellis et pressi tibi manat illic
Copia lactis.
Spumeis torrens niveus colostris
Mutat undantis vada flava Rheni;
Ductilis lentum natat in tenaci
Caseus offa.
Sed meo pulsus lare cogor, inquis,
Vilis in pagi stabulo latere;
Sacra non aedes ibi, nulla turris
Nullaque Musa.
Sive sub plaustris habites Trionum,
Sive desertae prope belluosos
Africae saltus: ubicunque virtus,
Hic puto templum est.

Ad Ludovicum Ilbium,

Nobilem Austriacum.

ODE XXI.

Sueco evastante Germaniam admonet periculi.

Allegoria.

Vides, ut omni Mars Alemanniae
Incumbat, Ilbi: iam casa Baucidis
Acronianae tota sedit
In cineres Iove nil vetante.

Captiva Boii regia Romuli
Diu sub ictu constitit Attilae
Experta librantem tyrannum
Vulgi animas Senonumque lancem.

Romam requirens Alsaticas novus
Alpes aceto subruit Hannibal
Et iam catenato paventem
Ire Pado Tyberim laborat.

Carthago triplex bella Bohemiae
Resumit armis; Scipio Balthicus
Instat Numantinis, tenetur
Et Tenedos: Priamo timemus.

Portas Viennae claudite, Dardani.
Ridemur: hostem non metuit Dymas
Securus et cratera vino
Iphitus ac Pelias coronant.

Cassandra dormit, laeta Polyxena
Exultat, eheu Deiphobi domus
Dedit ruinam: nec cavebit
Proximus Ucalegon favillas?

Ad D. Virginem.

Cum sub vernum tempus anni M. DC. XLI. *saeva lues timeretur.*

O D E XXII.

Diva prostrato facilis clienti,
Quae pio mulces pia vota nutu
Et preces fusas miserorum avara
Ebibis aure,
Aeris crudum remove vaporem,
Hesperum mortis; placida venenum
Luce castiga radiisque iniquos
Discute soles.
Sic tui laudeis generis tibique
Semper haerentem Puerum canemus
Laeta pallenteis violas daturi
Tempora circum.

Ad Bernardum Labrucium.

Adspiranti ad Cynico-Stoicorum sectam difficillimae rei summam dignitatem proponit.

O D E XXIII.

Si vis, Labruci, vivere Stoicus,
Inquire primum munia nobilis
Moreisque stoae, ne sinistram
Clazomenes tibi vellat aurem.

Sessor futurus perpetuum nigra
E fronde taxi deprime porticum.
Nec, si quis ingenti Liburna
Manlius hexaphorove vectus

Lucullus adstet, vel Macetum deus
Regale spirans praetereat, Iovi
Surges; apricanti rogabis
Cedere dimidioque soli.

Squallore deges obsitus et sciens
Foetere docte. Vestis Achaicae
Lodex abollae: pera, qualis
In scapulis Cynici pependit.

Vis et trinodi fuste nocentius
Prodesse vulgo? sutile dolium
Tuique testam vix capacem
In poplites duplicatus intra.

Clamosus ex hac omnibus immine
Conviciator. Moribus asperis
Accedat impexusque crinis
Et facies cariosa rugis,

Quales anilis simia sculperet
Sidente bucca. Praeterea Ceres
Semesa, flos farris canini,
Musque nigrae parasitus ollae et,

Quae prima dos est, intolerabilis
Contemptus auri. Sin lubet egredi,
Morosus emolire passum
More domum cochleae ferentis,

Claroque solem quaerere de die
Usus lucernae subsidio stude.
Sed cur fatigeris? viator
Currat Aristoteles Athenas:

Multo sedebis tutior et situ
Saxum cavabis; post, ubi spongiae
Affixus in morem cavernae
Senseris intumuisse gibbum,

Stupere disces. Hic labor, hoc opus
Punctumque honoris. Nos faciem malis
Mutamus, alternis beati
Ac miseri patimurque maneis;

Fletus cachinnum, gaudia postumi
Pellunt dolores; spem minuit metus,
Auget cupido; vincit ira ac
Vincitur et redeunt amores;

Cum plebe tristes ac madidi sumus,
Cum plebe sicci; si soboles perit,
Apparet in vultu parentis;
Si pater, ingemuere nati;

Vulgaris est obnoxia fluctibus
Natura et omni vertitur Aeolo:
At tu, Labruci, semper idem,
Semper eris lapidosus Hermes

Et truncus intractabilis; omnia
In antecessum praecipe: dextera
Fortuna cognata est sinistrae,
Saepe bonis avibus recedens

Male ominatos miscuit alites.
Nascetur infans, natus et occidet.
Molesta vivet, dulcis ipsos
Ante oculos morietur uxor.

Sed lacrumari marmoreus vetat
Chrysippus; et Speusippus ab hispido
Zenonis induratus ore
Nec gemitum pede pressus edit.

Inter tonanteis tu quoque machinas
Lapsumque fulmen stabis ut antea
Immotus et perstabis usque im-
mobilior Siculo Peloro

Ceu viva rupes. Seu iaculis pluat
Seu ningat hastis, impavido necis
Et tauriformi cuncta vultu
Despicies metuendus ipsis

Quandoque Fatis. Fortis opinio
Necat dolores: finge proboscidem
In tempus impactam aut equino
Verbere contremuisse coxas:

Dices Quis ohe me lepidus culex
Momordit? Ictu laesus arundinis,
Qua vim luporum pastor arcet,
Scirpus io habet iste nodum,

Constans severa fronte iocaberis.
Nimbo madentis sub scaphii quoque
Paratus impleri vel instar
Andabatae tenebras secantis

Transibis imbrem multa loquentium
Et officinas litis inobsequens
Angore vel cura gravari.
Haec animo: bene mi dederunt

Zenoniani vivere: nil amo,
Nil concupisco; non gemo, non fleo,
Non expavesco; Di beati
Haud aliter super axe vivunt

Divumque rector. Si potes et tuum,
Bernarde, iam nunc propositum cupis
Urgere, rescribes: quotannis
Conveniam et silicem videbo.

Ad Andream Falconem.

Oculorum custodia.

ODE XXIV.

Natura castis solibus imbuit
Rudes ocellos. Prima Venus suo
Infecit igni, prima fumo
Virgineum vitiavit astrum.

Ex quo repertas sustulit Idalis
Damnosa taedas et faciem sibi
Descripsit armandam Voluptas
Illecebris, in amore, Falco,

Ictus periti sunt oculi duces,
Timenda belli sunt duo fulmina.
Et hi suas quamvis pusilli
Scipiadae iaculantur arcu

Frontis sagittas, quam procul avolant
Periculosae missilium faces!
Grassatur a visu venenum
Inque iecur maculas refundit.

Ne plena noctu Cynthia verberet,
Claudis fenestras: splendidius nocet
Diurna quae Propertiano
Cynthia digreditur cubili.

Ad Hieronymum Casanellum.

Terrenis opibus neminem beatum fieri.

ODE XXV.

Ne tuos iactes, Casanelle, census,
Dona Fortunae leviora. Quivis
Divites inter queat esse felix,
Nemo beatus.
Dos, opes, fundi, pecus, aula, fasces,
Nuptiae vulgi bona sunt: sed illa
Inter et temet spatiosus inter-
cedat Olympus,
Meta votorum. Cave summa dicas,
Quae rubro spissus vomit Hermus amni.
Copia rerum miser est, petitis
Quisquis abundat.

Qualis in ponto natat umbra montis,
Ipse mons nunquam comitatur aurum
Et voluptates levis umbra gaudi,
Gaudia nunquam.
Verius gaudere cupis? ligatus
Scinde curarum laqueos: paventeis
Nostra nos reddunt, aliena tristeis,
Utraque vanos.

Panegyris lyrica

Rusticanae puellae Bavarae

miro strategemate pudicitiam suam adversus Suecos defendentis.

O D E XXVI.

Rus ire mens est. Tu quoque florido
Decore simplex, heu sine nomine
Canenda virgo, linque tristem
Sandapilam melioris aevi

Sponso dicatis digna cubilibus.
Quae diva pulcros edocuit dolos,
Comesne venatrix Dianae
Opis, an ingeniosa Clio?

Virtute certe te memorabilem
Ignota reddis. Cum trucis Attilae
Bellona saeviret dolendam
Virginibus meditata stragem,

Procul coactis ire sodalibus
Puella nostri gloria seculi
Restabat in pago decora:
Sed subito Getici tumultu

Praeventa Martis, — pauper et innocens
Formaeque custos quid faceret Pudor,
Ne vi minarum vel protervo
Militiae caperetur astu

Turpi futurus praeda libidini? —
Se se feretro composuit cata
Latere vel sic inter ossa et
Terrificas Amaryllis umbras

Parceque ductum naribus halitum
Avara pressit. Dixerat Hoc toro
Dum casta vivam, cur recusem
Funereum simulare somnum?

Subi cavernam, virgo, subi; neque
Horresce maneis et superos tuos
Sollerter indulge sepultis.
Sunt et habent aliquid beati

Squalloris umbrae: certius effugis
Hostem iacendo; tutior invia
Servaris arca; funus extra
Invidiam furiasque serpit.

Quaeremur: esto. Caprea fervidis
Latrata votis inveniar licet,
Inventor absentem putabit,
Quo propior, minus impudicus.

Lectica mortis nil Veneri facit.
Praeoccupavi fata; necessitas
Absolvet inceptum cadaver:
Possideo sacra iura leti.

Sic conquievit. Vis canis interim
Odora Sueci per scelus omnia
Supinat indagatque cervas:
Una latet; ter operta ligno

Inambulantem non sine murmure
Adesse sensit, ter facie loci
Abire delusum: feruntur
Funera vix tenuisse risum.

Huc, huc resectis labere crinibus
Supraque castam flos Amaryllida
Laetare dispergi: caducos
Huc violae reserate nimbos.

Non bellis absit, non casiae seges
Spicaeque nardi et germina Persiae
Marisque rores et perenni
Forte virens amarantus aevo.

Haec fixa ruri gloria posteris
Miranda surgat. Quid precer urbibus,
Quarum puellae rubra gestant
Dona maris teretesque collo

Candente baccas et Tyrianthina
Iactant severam in cyclade virginem?
At non et audaces procantem
Fallere deposuere serta.

Huc, huc adustis consita carduis
Urtica lappaeque et tribuli, novum
Stipate caepis; necte, Clotho,
Stramen et his propera coronam.

ODE XXVII.

Lyrica sua in silvis amissa indicio volantis spinuli sub arbore populo reperta esse, laetatur.

Sunt vates Superis io
Curae. Vos socii, plaudite: Repperi
Centum carmina victimis
Constatura mihi, qualibus Atticum
Mactat Pythagoras Iovem.
Magna parte mei non ego gaudeam
Inventa? Fugiunt dies,
Soles intereunt. Sub celeri rota
Aevi quadrupedantibus
Velox tempus equis proterit omnia:

Coelo Musa tamen beat,
Vatem Musa suum grata vetat mori.
At tu, spinule, quem vagis
Mutantem nemus ac nubila saltibus
Sectato bene reddidit
Seu fortuna suam seu Deus arborem,
Quaesitam meritis feres
Laudem nec minimarum ex avium grege
Indonatus abiveris.
Quanquam nulla tibi gratia simias
Affandi volucres, neque
Certas flumineis parvus oloribus:
Tantillus tamen et places
Et maior reliquis semper habeberis.
Neu se pica, loquax genus,
Sturnusque aligerum conferat histrio:
Aut quae Bistonium soror
Luget flebilibus questa modis Ityn.
Felix spinule, tu quoque,
In cuius iacuit depositum sinu
Subter florida brachia,
Fies nobilium populus arborum.
Hinc iam serta mihi petam
Lauro posthabita, quando nec Herculem
Prostratis puduit feris
Albenti folio cingere tempora.

Ad Virginem Matrem

in foro Monacensi.

O D E XXVIII.

Mater illimi generasse partu
Laeta maiorem Genitrice Natum:
Huc ades, qua te simulat columnae
Stantis imago.
Semper intersis populo benigna,
Quem foro multum medio tueris
Aureum lucens et amicta pura
Veste diei.

Ad Infantem Iesum

in Bethlemio specu.

O D E XXIX.

O nate in usum laetitiae Puer,
O Matre pulcra Parvule pulcrior,
Eburna cuius colla, vivae
Labra rosae violaeque crines

Et bina gemmae lumina flammeae
Palam latentem virginea Deum
Sub nube produnt, o venustas
Clara Patris liquidique vultus

Innube verum, quis, Puer, impetus
Ab usque coelo quaeve potentia
In vile rupis traxit antrum
Ad pecudes stipulasque bruma

Heu flante nudum? Quid dubium taces
Udisque fletu nictibus absilis?
Celare sperasti paternum
Posse genus genitumque Numen,

De luce lucem? Scimus, ut Africum
Eurumque et Austros et Zephyros super
Auriga mundi tam per igneis
Quam medias equitaris undas.

Tu vasta ponti, scimus, et arida
Terrae replesti: frugibus uberes
Risere campi, squama flumen,
Penna leveis agitavit auras.

Tu, cum sereno secula fuderas
Ex ore, longis tractibus aethera
Metatus astrorum decenteis
Diceris explicuisse turmas

Fulvisque Solem, sed niveis genas
Signasse Lunae purpureas notis.
Tu mentis aeternae figura et
Candor inocciduique pulcri

Caligo lucens. Nosceris, o Puer,
Nec emicantem dissimulas Patrem,
Ah digne non isto cubili,
Digne Puer meliore lecto!

Ad illustrissimum dominum,

Lidvinum Piccolominium.

Dies Alcyonii sive laeta vita.

ODE XXX.

Ite flantibus Notis
Nautae Columbi Noniique Blasci:
Ultimum licet fretum
Laborioso permeate sumptu,
Nobiles Promethei
Iovis secundi. Primus ille praedo
Nubium sacros manu
Detraxit igneis miscuitque limo:
Vos nivalis invia
Secreta ponti fluctuante pinu
Abditosque gurgites
Lustratis auri gloriaeque fures,
Longa post pericula
Ipsimet olim belluis futuri
Nereoque victima.
Sed tende velum gens avara poenae:

Grata me iuvet quies
Et innocentis blanda cura plectri.
Tutius domestica
Per stagna puppis ambulat Minervae,
Quam remota Tethyos.
Cur rubra ponti verberatur unda
Remigum tot ictibus?
Cur transtra sudant et frequens Iberus
Caerulum ferit bovem
Superque vino fusileis procellas
Exta porricit, nisi
Ut sternat aequor turgidasque gemmis
Grandibus puerperas
Piscetur audax imminere conchis?
Dulcis hic furor sitim
Accendit, haec ad invias cupido
Vota ducit insulas
Impletque veris vana corda monstris,
Haec rudi docet trabe
Spes ferre fluxas et timere mortem.
Stulta plebs amat sui
Causas doloris limpidumque toto
Axe gaudium fugit,
Ignara dono turba lucis uti.
Non et Indicis ego
Dignabor oris applicare cymbam:
Vixerim beatior,
Si memetipsum navigare pergam,

Proximi sinum maris,
Simque ipse Tiphys, clavus, aura, portus,
Ipse solus omnia.
Nullis gravabo mercibus saburram
Litorumque brachia.
Nec indigebo: pauperes requirunt
Multa, divites habent.
Inops fatetur esse, quisquis optat.
Non rubebo murice,
Nec erubescam, qua foras lacerna
Prodeam: quid interest,
Pictusne tauri sordido cruore,
Purpuraene sanguine?
Uterque pomi lividus veneno
Arguit reos color.
Abeste curae, squalor, ira, luctus.
Solis in tenerrimas
Iucunda sensim vita stillet horas,
Ut quod est satis velim,
Quod plus recusem; non acuta pectus
Lancinet molestia;
Non urat ulcus invidi, nec uram:
Fata quo loco sita
Sinam iacere corruente mundo
Semper integer meus.
Mecum, quod albo narrat ore Fama,
Liduine, si facis,
Magnetis usu commove Tridenti

Ferrei notas stili:
Ego Monaci literas et orbem
Arte dividam pari.
Sic sensa mentis excitata cuspis
Indicabit eminus.
Aut, si poeta non tacere mavis,
Thespias fides age,
Simul colorem prima sparsit Eos,
Itala feri manu:
Mox nostra respondebit ad sonantis
Isarae vadum chelys.
Utrumque dulcis alloquetur Echo
Et monebit Alcyon
Fori tumultum posthabere Musis
Otioque Pindari.
Mens pura semper vivit in sereno.

Ad illustrissimum D.

Philippum Brevanum.

Cum auctori antiqua numismata monstraret.

ODE XXXI.

Utcunque gleba subter Achaica
Crepat refossi lamina Caesaris
Detrita Romanisque nummus
Squalidus eruitur sepulcris,

Nostrate gaza carius aestimas
Placetque gemmis gratior omnibus
Concisus in vultus minutos
Materiae veteris tyrannus.

Flammatus, inquis, sic oculos Nero,
Sic Hadrianus, sic pater Aelius,
Sic antecedentes ferebant
Ora Titi Solymis timendi.

Bos Iulianum cornibus indicat,
Phocam securis. Quam bene barbari
Fastus et atroces in auro
Stant animi! iuvat intueri

Rubiginosas saevitiae notas
Vinctaeque laurum frontis et asperi
Stellas renidenteis capilli
Et trabeam volucremque conto

Supervolantem. Quadriiugos agit
En Nerva currus victor et aetheri
Sublimis immittit triumphum!
Ipse sedet minioque pictus

Iucunda plebis iurgia digerit
Spectante Roma: tristis et aspici
Depressus horret signa Dacus
Ante Iovis feriendus aram.

Haec curioso nuper imaginum,
Philippe, visu multus obiveras:
Inscripta mirabar metallis
Signa quidem faciesque prisco

Horrore fractas, te potius tamen.
Ex quo loquentem prisca Boethium
Gracchosque et antiquum Catonem
Ac Fabios mihi consulares

Audire visus, nil pretiosius
Desiderabam: pectore in unico
Se tota spectandam vetustas
Exhibet historiisque ludit.

Verendus annis iam propioribus
Sisti sonantem Dis animam bonis
Fers in senatum, viva Scauri
Effigies Thraseaeque magni.

Namque et benignus candor et inclytae
Magnaeque mentis copia fulgurat
Ruptura per quascunque nubeis
Consiliis agilique telo

Sagacitatis. Tu bene perspicax
Ventura tangis pollice Delphico,
Doctusque coniectare verum
Luce frui potes obserata.

Ad Ioannem Tarandam.

Iuvenem se scribendis satyris operam dedisse.

ODE XXXII.

Ille ego primis iaculator annis
Certus audaci satyra ferire
Punicas aureis inimica tandem
Peila recondo.
In suas traxit Iuvenalis olim
Fervidum parteis rabieque sacra
Imbuit venam velut acta taedis
Volsca Mimallon.
Robur et vireis animosque et iras
Flaccus addebat sale maceratas,
Persius bilem stimulavit et Lucilius atram.
Cui lacessitus timide peperci?
Quem tuli nostros male provocantem
Zoilum nervos? quot ad usque restim
Paene coegi!
Semper armatus gradiebar instar
Hystricis retro meditantis ictum
Omnibus membris in arundinetum et
Spicula versis.
Nunc in obliquum celereis iambos
Et Lycambeo madidos cruore,
Nunc in adversum redeunte penna
Vulnera fixi.

Mitius quondam furit orba tigris
Ante speluncam, minus Ursa maior
Iam bipes saevit, minus icta calce
Vipera mordet.
Flevit ultrici furiale Muffo
Taurea caesus vomuitque flammam;
Saeva per crassas micuere Nelli
Fulgura nareis.
Risit iratus Maracipsa moestum
Vique seposti stupuit doloris
Et femur supra posuit trementis
Vincula surae.
Vappius nostros ubicunque vultus
Nunc quoque incurrit, fugitivus horret,
Atra ceu tristi Nemesis sequatur
Terga flagello.
Dum novum morti speculatus hostem
Cote liventeis acuo sagittas,
Ecce vindictae subito resedit
Dira cupido.
Defluunt arcus subeunte molli
Pectoris costas animumque sensu,
Et repentinum lupus, o Taranda,
Mutor in agnum.
Non libet duros iterare caestus,
Languet exermi genuinus ore:
Rixa cum primis calet orta verbis,
Cedimus ultro.

Semen irarum removere velox
Nil Volaterris modo, nil Aquino,
Arduis totum sed enim Sabinis
Debeo plectrum.
Quod cano, flos est vel amica Virgo
Vel nemus sacrum riguique puris
Fontibus colles et amans sororis
Gratia nodum.
Vivo me plenus, nihil appetendo,
Neminis sternax, et utramque sortem
In sinu porto, neque iam timendus
Vitor ab ullis.
Inter admissus socios cuivis
Laesus ignosco, licet immerentis
Saepe latratum caput obstrepens calumnia pulset.
Candidus morum quoties amaros
Audio risus! quoties ad arma
Tardus irritor veterem monendus
Stringere versum!
Abnego ferrum tamen et duella.
Omnibus coecum videor cadaver,
Quod viri iuxta puerique pronum impune supinent.
Hic manu nasum trahit, ille barbam
Vellit ac crineis maciemque magnae
Consciam famae pavidus tueri
Cominus audet.

Qualis Androcli leo mansuetus
Fertur Albanos habitasse monteis
Arva securo grege caprearum
Praetereunte.
Scilicet probris oneratus omni
Dormiam vulpi, patiarque plebis
Improbae maneis tacitusque nulli
Iusta reponam.
Surge, Samsones imitate vates,
Et Philisteos super ire momos
Hinc et hinc uno geminas tumultu
Sterne columnas.

Ad Didacum Walorscium.

Humana vita laboriosa navigatio.

O D E XXXIII.

Delicatum et timidum senem irridet.

Res est seria vivere.
Si nescis, pelagus, Didace, navigas:
Naulum, seu veheris, dare,
Temet sive vehis, pendere cogeris
Vectigal domino maris.
Haesuras animo pende molestias:
Quo te cunque feret Notus,
Mortis pende metum; disce malis miser

Occallescere nauticis:
Semper vita fuit triste negotium.
Ipso quin adeo, licet
Ad litus cinerum ieceris anchoram,
In portu tumulaberis,
Tecum et fracta ratis, corpus inutile, et
Membrorum lacerae trabes,
Rostratum caput ac remigium manus
Sentinamque uterus trahens
Cum prora et vacui puppe cadaveris.
Scribetur super asserem:
Hac fossa situs est nauta Walorscius,
Unus quem superaverat
Squalore ac macie terribilis Charon.
Is contemptor opum fuit,
Sed vitae pariter sordidus Euclio
Aevique insatiabilis.
Quum fatum tacitis passibus ultimum
Aegri reperet ad pedes,
Questus multa Deos ingemuit rapi
Immaturus, et annuam
A duris petiit coelicolis stipem,
Accepitque biennium.
Atqui lustra senex bis tulerat novem
Curvo vertice depilis.
Tandem disperiit non sine lacruma.
Ergo, o quisquis amicior
Huius saeva freti litora praeteris,

Viso fragmine funebri
Urge flebiliter risibus heic situm,
Et moto male caespite
Obstructis tumulum despue naribus.

Ad exules Alsatas.

Mala quaevis fortiter ferenda esse.

O D E XXXIV.

Ergo aut supinae saxa Tiroleos
Hirtasque rupes, nobilis Alsata,
Aut inter errabis propinquos
Helvetiae miserantis agros,

Heu ipse quondam gentibus horreum
Commune natus, cum licuit super
Pendentis auctumni racemis
Ducere purpureum liquorem

Ad rubra labris vina crepantibus!
Arante Suevo iugera patriae,
Metente Burgundo, sedebas
Ipse tui placide quietus

Spectator anni: pro miseras vices
Et fata rerum! ne Cereris quidem
Lacuna pallentis recocta
Fruge sitim lutulenta pellit.

Iam non in umbra sub platanis anum
Rangensis urit vinea pauperem,
Nec Tusculanae dulcis uvae,
Qua propior sua cuique vitis,

Accendet ullas flamma cupidines.
Eheu Saguntum et dira Numantia
Famesque letumque et cruentus
Ante oculos populator errat!

It torvus exul Vinmario fugam
Mandante, qualis colle Lucretili
Depulsus, aut qua valle primum
Cornua circumiere nata,

Taurus reducto pascua ruminat
Linquenda visu. Stat prope candida
Coniux et armenti magister
Attonitus: nemus omne mugit.

Ne vos, Quirites, lacryma polluat,
Neu questus oris foemineus sonet;
Frenate fontem: nemo vestro
Inde bibens gemitu fruatur.

Casus iniquos et Niobe docet
Vinci ferendo posse. Miser sui
Victoris ictus lambit ensem
(More canis sibi vulnerato

Medentis) et sub verbere supplicat.
Nescimus eheu degeneres pati!
Contraque Fortunam triumphos
Ex populo reperere pauci.

Haec tota si non irruat in caput
Corpusque verset, qualiter arduus
Versavit Entellus Dareta
Ante bovem super arva fusum,

Nondum peristi quisquis es Alsata:
Resume vires, extrahe spicula,
Contemne proscribi: memento
Omne solum patriam esse forti.

Tuaene lato vis Ithacae focum
Praeferre mundo? Rumpere pertinax
Adversa servatos penateis
Fer per aquas cineresque tecum.

Hoc creber Anglus sole Britannico
Diductus, hoc et dux Telamonius
Tentavit Anchisaeque sanguis
Per Tyrios Rutulosque sparsus.

Quisquam paterna destitui gemis
Tellure? Nunquam vir bonus exulat.
Vindemia? Sed dulce mustum
Intra animos fluit atque venas

Liquens honestum volvere turgidas.
Haec summa: Virtus quem comitabitur
Abire compulsum Brisaco,
Exsul adhuc retinet Brisacum.

Ad Simonem Russum.

Utopia.

Sive somnium de felicitate mundi.
Anno M. DC. XLI.

ODE XXXV.

Portor in regnum genialis aevi,
Vallibus pronis ubi complicatae
Imminent silvae reteguntque magnos
Iugera campos.
Quidquid optarunt avidi parentes,
Quidquid in primis habuisse votis
Fertur indulgens Epicurus, unum
Fluxit in hortum.
Sponte se tellus aperit viretis
Laeta nec durum patitur ligonem.
Arva naturae manus elaborat
Absque labore.
Omnis in frugeis veneremque turget
Gleba foecundo satiata rore.
Uxor Autumni gravidis tumet vindemia mammis.

Illa maturo redimita serto
Pinguibus quamvis fluidam racemis
Provocat Lesbon Rhodiumque solem et
Molle Tarentum.
Quodque mirabar, manibus vel ore
Palmes incisus minui negabat:
Purpuram sectae nova semper uvae
Induit uva.
Aequor undanteis Cereale ventis
Commovet spicas tumidosque messor
Navigat culmos resecatque flavas
Falce procellas.
Fontium vidi genus insolentum
Vitreis audax pedibus salire
Et super laetum vitulante lympha
Pascua ferri.
Implet exundans alibi paludem
Immemor trunci favus: unde centum
Stagna nequidquam minuenda crasso
Nectare pallent.
Trans lacum mellis riguosque saltus
Edito clivus tumulo superbit
Arva despectans virideisque tollit
Vertice cristas.
Consitus cedris locus ac cupressis
Arduum dextro caput iliceto
Iactat obversum gracilique coelum umbone salutat.

Quo simul pennis (agitare pennas
Mobileis somnus dabat) evolavi,
Colle devexo lepidae tuebar
Regna Napaeae.
Rauca mugitu sonuere saxa,
Quae sub umbrosis habitata silvis
Buculas servant placidique fessos
Sideris hoedos.
Quo vagos laetus fero cunque gressus,
Viva pinguntur varioque prata
Flore pubescunt oculusque vernat
Plurimus Argi.
Spina securo simul ungue tacta
Mitis eiecit rosa facta bilem,
Nec sui Cypris potiora liquit
Signa doloris.
Pervios vento subeunte ramos
Musici cantu strepuere luci.
Addidit flexus liquidamque vocem
Daulias ales.
Cuius intentus veteri querelae
Tereum toto resonantis agro
Ceu tuis solers, Ariadna, filis
Ducor in aulam.
Nixa centenis Nomadum columnis
Tota surgebat domus in smaragdos;
Lucidi vultum referebat auri
Laevis imago.

Obviae dicta Charites salute
Sericam mensae posuere mappam:
Mensa berillis solidoque scintil-
labat ab Hermo.
Larga successu superante votum
Vina fluxerunt, maduere nardi;
Anser et circum volitavit ora
Tosta coturnix.
Russe, vis finem? Fueram beatus:
Quando me Morpheus abiit relicto,
Heu simul divum citharis canorus
Vanuit aer!
Qualis humanae fugit umbra vitae!
Somnium laeti vigilamus omnes.
Obruunt mentem peritura vano
Gaudia fluctu.

Ad Bernardinum Graffam.

Amnestia.

O D E XXXVI.

Lethen bibendum suadeo, non Styga.
Oblivionis ducere poculum
Et, cum remordentes lacessunt
Invidiae, pepulisse sensum
Iniuriarum, fortiter utile est,
Pulcre severum. Foemina tristius
Irata vindictam veneno
Incoquat hippomanesque saevum

Medea tentet. Parce tenacibus,
Vir, prima clavis figere vulnera:
Laesus furentem contumaci
Proposito crucia silendi.

Exulceratur plaga nocentius
Infossa fibris: quam simul eximis,
Simul manum placatus offers
Ore nitens hilarique risu.

Culpatur olim Iuno profundius
Odisse Troas: manserat altius
Pomo negato spreta forma et
Iudicium Paridis repostum.

Tu, Graffa, nolis cruda remandere
Amarulenti semina corticis,
Nolis querelarum feracis
Assiduus meminisse morbi.

Sed aut in udo gramine lividum
Falles dolorem, dum Zephyri tepent,
Aut cordis insanum leonem
Arte mea citharaque sistes.

Hoc more Brutum vicit Iulius,
Hic Ferdinandos evehit ad Deum.
Superbus ignovisse solum
Se stimulat timidisque votis

Indulget amens. Surdus ad aspera
Audire laudeis iam meritas potest.
Dis conferendus calcat orbem,
Qui penitus sepelivit iram.

Ad Paulum Curmionem.

Cum milites abditam eius pecuniam, indicio virgulae magicae repertam, effodissent.

ODE XXXVII.

Quod Suecus aurum portitor abstulit
Raptique lamnas classibus integras
Avexit argenti, sonoro
Astra feris ululata questu,

Addicte lucris Curmio: rectius
Facture nunc, si trans mare Balthicum et
Saevum relegares dolorem
Atque metus gracileisque curas,

Si cum Molorchis laetus egentibus
Malles honesta pauperie frui.
Avulserit pirata nummos
Barbarus abstuleritne, refert?

Quid damna defles? ille beatior,
Non qui capaci plura tenet manu,
Sed cui petenti pauciora,
Imo nihil, videatur orbi

Fortuna prorsus numen inutile.
Offert coronam? ni cupias, habes.
Desiderata qui potitur,
Paene caret. Cupiisse magna

Magna est egestas. Nil pete, et optimum
Aequas deorum. Quidquid id est, tuum
Te, Paule, thesaurum retenta
Mente bona nego perdidisse.

ODE XXXVIII.

Sollicitudo auctoris de nomine B. Mariae Virg. suis lyricis inserendo: postquam in eiusdem sodalitate „Salve Regina“ decantari audiverat.

Saepius Nymphae mihi dulce nomen,
Sed nimis velox metuensque sisti
Conor amplecti roseisque vatum
Stringere vinclis:
Heu meam sortem! toties fugaci
Ocior Daphne properante passu
Vota praevertit celerique gyro e-
ludit hiantem.
Utque deprensum rear et canendi
Gloria plenus Maria alta clamem,
Exserit Tethys caput et vocari
Se mare credit.

Conde, delusus repeto, marita
Conde Neptuni fluitantis aureis:
Maximo frustra titulo superbis
Credula Nais.
Alteram luctor cohibere pictis
Carminum sertis, licet usque tardent
Literae flecti fugiatque nostras
Syllaba legeis.
Quod magis mirer, tamen illa virgo
Mitis incedit, neque contumaceis
Asperat vultus, neque dedicatis
Vatibus obstat.
Adde, quod nostras aliae camoenas
Ambiunt famae celebris puellae
Et suum gaudent faciles petenti
Mittere nomen.
Adde, quod dotem mihi pollicentur
Caecilis plectrum, Basilissa regnum,
Margaris gemmas teretemque baccam et
Germina conchae,
Musa coelesteis hederas, pudici
Pectoris laurum generosa Costis
Et librum forti minio rubentem ac
Pumice rasum.
Clara promisit diadema solis,
Euphrasis stacten, oleique bullam
Casta Walpurgis, grave vellus auro
Nobilis Agnes.

An tuum mater iaculum Teresa
Alitis sacro rutilum pyropo,
An tuae malim volucreis sagittae
Ursula pennas?
Muneris tanti bene reddor anceps.
Me iuvat saltem memorare gratas
Virginum palmas, iuvat annuentum
Laudibus uti:
Una se nullis sinit illigari
Liberam metris Helicone maior.
Una centenas gerit inter intra-
ctabile nomen.
Forte vult cogi. Quid agis, poeta?
Saepe, quod nunquam pudor assecutus,
Coepit audendo violens amator,
Ruris alumnus.
Hoc placet, nolo nimis esse comis.
Vos novercales tetricaeque leges,
Ite, quas olim citharae severus
Sanxit Apollo.
Quamlibet Graii Latiique vates
Rideant, dicam Mihi cunque salve,
O pia, o clemens, o in ore dulcis
Virgo Maria.

ODE XXXIX.

M. P. Wigonis gravissimas considerationes de tranquillitate animi doctrina S. Pauli firmatas Epicteti aliorumque Stoicorum verbosis sententiis praefert.

Si Paulus gladium dedit,
Servi ridiculus quo mihi pugio?
Qui vultus nitidos cupis
Naturae vacuis discere sensibus
Et rebus male splendidis
Fallacis folium demere bracteae,
Wigonem lege: neu mihi
Occurrant solito murmure Stoici et
Simi cochleolas Phrygis
Fumantemque nigro lumine lampada,
Neu cassas cerebro nuces
Barbati pueri spargere gestiant.
Odi torva crepundia et
Pompam stultitiae nominis additam
Et ridenda tonitrua.
Caeci Tiresiae, Pythagorae truces,
Vano nomine Pittaci
Vitam Cecropiis sordibus inclytam et
Ventosum siliquae genus
Incoctaeque fabis vasa scientiae
Et fronteis adamantinas
Contra fata crepant non sine lurido

Fastu nec tolerabili.
Idem degeneres oris et horridi
Culpis mollibus arduam
Virtutem resonant, sed vitiis tument.
Irritarier ignei et
Sopitam faciem fingere callidi
Aetnam mente coquunt: simul
Intra tabifica bile nigrantia
Vindictae canis appetens
Exercet rabiem viscera Sirius.
Calvi, cedite, Stoici.
Non et Wigo meus talis ad aethera
Fertur: per nebulae globum
Pura luce micat, lenis et efficax
Et verbis placide potens
Verum grande monet; certius arguit
Errores praeeuntium
Accenditque facem pone sequentibus.
Contentus medio tamen
Riparumqae memor semper et Icari
Nec rerum nimius fluit
Nec stillat modicus nec volucrem polo
Cursum dirigit altius.
Veras, inquit, ama divitias, Dei
Mens immane capax, opes
Te dignas et eo, cuius imaginem
Iam divis propior geris.
Cur larvis inhias? quid cupide vaga

Vilem spargeris in pilam
Frustis, qua recidit, dissilientibus?
Felix, qui nihil aestimat,
Nil mortale petit, perpetuum suus,
Nunquam subditus infimis.
Voto deme tuo, quod cupis additum;
Brutas siste cupidines.
Intra te melior pars Asiae iacet
Et cum litoribus maris
Europaeque sinum claudis et Africae
Dives censibus integris,
Quos olim stabili iure fidelius
Pendes ipse tuus tibi,
Quam Fortuna daret fallere pervicax.
Paucis accipe plurima:
Si quid maius habes, quam quod es, omnia
Uno sub radio tenes:
Sin illud minus est, pauper es omnium.

In Puerum Iesum

Et eius Virginem Matrem.

Carmen Seculare cantatum Calendis Ianuariis.

ODE XL.

Formosum, pueri, dicite Filium,
Matrem virgineam dicite, virgines,
Dignatosque sonari
Summis tollite laudibus:

Hunc laetum foliis vertice consitis,
Nam palmae virideis assimulat comas,
Fragrantemque racemis
Et myrrha bene flebili.

Illam nexilium stemmate siderum
Ornantem et roseis tempora taeniis
Et stillantis inunctam
Nardi divite spiritu.

Hic vobis, pueri, chrysolithum dabit
Candentemque novo nomine calculum;
Vestris illa, puellae,
Ridens annuet osculis.

In funere Principis ser.

Ioannis Francisci Caroli,

Utriusque Bavariae Ducis,

serenissimi Alberti f. primogeniti.

ODE XLI.

Ibam te meritis, Carole, laudibus
Exornare: sed heu versa (quid ominer?)
In luctum subito dissiluit mea
Abruptis fidibus lyra.

Vix ingressus iter prata subiveram
Oetingae veteris, quum mihi nuntius
Fatum triste refert et velut hostica
Aureis cuspide vulnerat.
Quos non tunc gemitus pectoris edidi?
Ergo flende iaces? nec cithara queas
Admota tumulum rumpere floridum et
Surdis manibus eripi?
Multis ah nimium flebilis occidis,
Nulli flebilior, Carole, quam patri.
Is totam solita luce carentia
Frontem in lumina contrahet.
Nam quem non moveat nomen et indoles
Tam cari capitis? cui pudor et fides
Et morum facilis temperies decus
Rari miscuerunt Ducis.
Virtus ipsa fleat: fige tamen modum
Moerori, genitor; desine funebris
Iam nunc tristitiae et pone tumentibus
Tandem litora lacrymis.
Praemissus placito filius ordine,
Non amissus obit, nec revocabilis,
Seu luctum ingemines, seu querula chely
Tentem fata recludere.
Ac, si vera sequar, non redeat libens:
Felix ille diem nunc alium bibit
Et laetus pluvias atraque nubila
Sicco ridet ab aethere.

Ad Septemviralem Exercitum

Serenissimi Ducis Bavariae.

Ut d. Ignatium Loiolam
In auxiliarem patronum militiae eligat.

O D E XLII.

Quo praeliamur, Teutones, auspice?
Divisa cuius nomine tessera
Praefertur in castris tribuni?
Quis gladios acuit retusos?

Martinus armis Pannoniae favet,
Se Ludovicis Francia devovet,
Iacobus Hispanis triumphum
Visus equo iaculator albo

Terrere Mauros annuit: o tibi,
Quicunque pugnas, addere praesides
Divos memento, nec cruenta
Sacrilego gere bella ferro:

Sed expiatam coelitibus manum
Committe fidens, neu Capaneus tuos
Velis adorari lacertos.
Impius haec male culta iactat

Contemptor olim numina fulmine
Punita fixo, quod medius poli
Excepit incumbensque scalae
Ogygias super usque turreis.

Quod si patronum quaeris idoneum,
Germane miles, deiice Bistona
Scutis Gradivum: maior illo
Cantabricis oriundus oris

Loiola fausti plenior ominis
Dux eligatur. Scimus, ut edita
In arce decertarit ipsi
In media quoque visus ira

Laudandus hosti. Sive patentibus
Conferta campis agmina rumpere,
Seu murum inaccessasque cauteis
Egregio superare saltu

Deliberasti: provehet insitae
Virtutis igneis et patulas viam
Monstrabit ad portas sequenti.
Ille truces animos calore

Suique flamma pectoris imbuet
Contraque nimbos sulphure fusileis
Ac tela persultantis Hunni
Marmoreas dabit esse fronteis.

At non volucri grandine saucios
Curare nescit vulnere tardior
Et ipse quondam Pompelone
Genua ducis feriente saxo.

Ergo ferocem quisquis anhelitum
Thorace presso vel galea trahis,
Moturus in Suecos prius Bel-
troniadem venerare supplex.

O cui recepto sidera militant
Ensemque Orion commodat aureum,
Postquam sacramento solutus,
Emeritum, tua bella, ferrum

Cristasque et iras ponere laetior,
Sacrata magnae cingula Virgini
In monte Serrato dicasti:
Si veterem propiore vultu

Dignaris artem, da modo frangere
Superba Finni cornua, da fugam
Cedentis ex pugna videre
Tergaque pulvereosque tabo

Foedare crineis. Sic Gedeon meis
Scribere signis, sic spolium tholo
Virtutis appendam, quod omni
Teutoniae memoretur aevo.

. . . .

Consurge miles: sat precibus datum;
Intende nervos, consere dexteram,
Invade prostanteis Alanos
Et gladium cave ferre siccum.

In lacta vergit Cantaber omina;
Secunda coelum praelia sospitat:
Tu rite promissum tropaeum et
Munera cras referes ad aram.

O D E XLIII.

De spinulo suo.

Quod nec psittacus audeat
Nec phoenix patrii de cineris rogo
Heres ipse sui neque
Iunonis volucer gemmeus impetret,
Audes, delicium meum,
Me turbare canentem imperiosius,
Siren rustica, spinule,
Ales nequitiae dulcis et ingeni.
Seu furatus amygdalam
Pennis, cum repeto, stridulus emicas,
Seu rostro digitum adpetis
Infusum citharae nec sinis ultimas
Primis iungere vocibus;
Et quandoque tuam protrahis eclogam.
Seu te gurgite proluis
Et mox unguiculis molle fricas caput,
Ut collo redeat lyra
Et plumae veteris temperies metri

Concinno super aequore;
Quanquam pectine dum comeris, annus est:
Tantum forma negotium,
Fluctus tot subigis, rursus ut excites.
Huc, o noster, ades nihil
Virgati metuens carceris ostium:
Non captivus enim domi,
Sed saltu teretes per radios vago
Lascivis in arundine.
En florem milii: corripe semina,
Ruris innocuas dapes,
At secura necis grataque fercula.
Sic vivas avibus bonis.
Post, cum non rigido candida pollice
Pennam vulserit Atropos,
(Parcae et vestra secant stamina, si vetus
Smyrnae fabula creditur)
Componam violis mollibus et sacris
Funus Pieridum rosis.
Addam perpetuum serta virentia,
Donec Melpomene soror
Parnassi riguis collibus inferat.

Ad Iulium Tamerinam.

Ephebo aulae conditionem et officia sectanti animi demissionem commendat.

ODE XLIV.

Quando sors montem tua scandit altum,
Ne tamen valleis animus relinquat:
Tutus in plano, Tamerina, vives,
Tutior imo.
Qui serit iacto per inane plausu
Aeris campos, stolide laborat.
Auream messem licet ex novali
Speret honoris,
Fallitur: nunquam levis aura semen
Tale maturat; lolio remistum
Dedecus crescet vel egens opimae
Laudis arista.
Certius falcem iacit imperanti
Terga submissus. Metet ille pulcras
Gloriae cristas, cui nulla toto
Vertice surgit.

Ad serenissimum Principem

Albertum Sigismundum,

Utriusque Bavariae Ducem.

Cum electus Coadiutor in episcopatu Frisingensi renuntiaretur.

ODE XLV.

Laus vitae pastoritiae.

Et ante Phrixi nobilis aureum
Vellus sorori non bene subditum
Balantis increvit per agros
Cura gregis numerosa censu,

Secura vitae. Nulla beatior
Pastoris aevo nullaque tutior
Fortuna, quam Pax et serena
Pura Quies comitatur aura.

Non Martis illum classica, non fori
Terrent severis limina iurgiis.
Urbs solitudo magna; totus
Orbis ei nemus explicatum.

Stat in viretis curia mitior
Curasque pellit litibus invia.
Evincit umbrosum cubile,
Herba tenax, redimitque somnum.

Hic solis arcum vitat et imminens
Telum retundit, dum rota fervida
Declinet a fagis et altos
Vesper equos moneat relabi.

Ipse in lacertis vel salicum iacet
Vel lene sacrae propter aquae caput,
Nullo lacunari gravatus
Nec subitae metuens ruinae.

Dapes inemptas, fraga rubentia
Spumansque presso lacte coagulum,
Hoc praebet uber, ista tellus
Sponte sua nec avara doni.

Sylvanus unum numen et unicum
Et exiturum cum grege candido,
Simul liquenti cana rore
Arva madent animosque tollunt,

Qua pinguis humor praefluit Isarae.
Hic iam calori cedere, iam pecus
Mersare pellitum secundo
Amne iuvat pavidaeque foetum

Praeferre matri. Clarius interim
Ventis loquuntur flantibus arbores:
Quercum salutat prona quercus,
Contiguam soror alnus alnum.

Aves amico foedere consonant:
Exercet omnis filia carminis,
  Quod matre nidorum docente
    Mane novo didicere rostra.

Si vera lactant gaudia, talibus
Priscos opinor deliciis avos,
  Quanquam tenerent summa rerum,
    Ad pecudes potuisse cogi.

Pascebat agnos alter Adamides,
Vocalis Abel gloria sanguinis,
  Ducebat ad fonteis, decora
    Quem nimio facies Rachelis

Amore torsit; cuique deus sua
Semper cupido est. Ille binominis
  Gener Labani cordis aestum
    Aestibus opposuit diurnis.

Formosa merces! o quoties sibi
Desponsa flagrans praemia dixerit,
  Cum sera nondum nox subiret,
    Ite domum, saturae bidentes!

Quin ipse Moses ludere fistula,
Moses avenam scindere disparem
  Norat suos pavisse felix
    Et soceri Raguelis hoedos.

Dicam et Davidem saepe sub arbuto
Distenta caprarum ubera regiis
Pressisse palmis: ille canna
Maenalium tenuare ventum

Solers amoena scilicet ecloga
Fallebat horas, non ideo lupos
Arcere segnis, tam leoni
Quam rapidis metuendus ursis.

O ergo magni nominis infulam
Sumpture Princeps, cum tibi fertilis
Frisinga silvarum comantum et
Irriguo pecorosa saltu

Pastoris ingens annuerit pedum,
Alberte Sexti, pasce tuas oves:
Neu sit pudori languenteis
Impositas humeris tulisse,

Neu viperinum pellere vividis
Morbum scatebris. Hoc quoque Carolomannus sub exemplo perennat
Et patriis celebratur oris.

Illum Menalcas et Corydon adhuc
Thyrsisque cantant; illius inclytum
Florere nomen Celta vidit
Siderei foliis in horti.

Dum stant virentis Taygeti iuga et
Nullis Amyclae collibus invident:
Illum Palesque Panque et omnes
Arcadiae sonuere montes.

Sed et tuarum germina cedrinis
Laudum Philagnes et titulos libris
Iam notus incidet, regenti
Parthenios tibi qui sodales

Praelusit olim; forsan et Italis
Cantatus odis serta merebere
Romana supremusque Daphnis
Purpuream dabit ire lanam.

Ad Iosephum Castulum.

Fastidire se, quae vulgus appetit.

O D E XLVI.

Est et nescio quid viti
In rebus nitidis, et phalerae movent
Et cristae mihi taedium.
Delectant aliquos cymbala gloriae et
Splendens murice pagina,
Ut ne vota quidem dissimulent sua.
Gratos clam iuvat alterum
Venari titulos et resonantia

Famae murmura tinnulae;
Laudari fugiens non renuit, cupit
Atque, hoc ni facias, furit
Solers insidias pulcraque retia
Claro tendere nomini.
Frons atrox patulis obstat honoribus
Nec lenocinium foras
Mittit cauta sui: totus in intima
Mentis sede latet procus.
Sunt quos non dubiis utile cladibus
Delatoris onus levat.
Observant alios, ut faciant nefas
Formosum pueriliter:
Buccis res agitur non mediocribus
Argutoque silentio.
Gaudentem populo vendere classica et
Coeli non humileis minas
Nullis dimoveas conditionibus,
Aeternum cochleam suae
Haesuram cathedrae. Fervidus imperi
Plureis fascinat ambitus.
Huc fingit faciem, navigat huc cliens
Ventorumque rogat patrem,
Ne praeter gracileis ullus Etesias
Salso spiret in aequore.
Naxon rector, io, sic placide subit
Clavum vertere callidus;
Portum tangit, io fata, bonae spei

Votorum reus. Hinc ligat
Malum et pampineis carbasa floribus;
Ara in litore sternitur
Mactaturque caper victima Libero
Inter festa celeusmata.
Atqui non ego sic: praefero, Castule,
Quernam sedibus aureis.
Tanti sit solium et flebile suspici?
Et claves madidae mero,
Spes ignobilium lubrica mentium?
Et post velivolos metus
Mendicata mari stante triennia?
Fallax cede potentia
Morosisque scatens pompa negotiis.
A curis habitem procul
Nunquam sollicitus sceptra capessere.
Subdi velle placet: regit
Rex Caesarque sui; qui bene paruit,
Tanto latius imperat
Permittitque Deo credulus omnia.

Enthusiasmus.

Auctor prope Cairum conscensa primae magnitudinis pyramide veterem novamque Aegyptum contemplatur.

ODE XLVII.

Vestro, Camoenae, vester in ardua
Tollor supinus munere culmina,
Aurasque paullatim et tenaceis
Scindo vias subeunte vento.

Quis iste currus? iamque adeo super
Praerupta totum despicio novus
Stylita regnum: dulcis io
Prodigii geminata crescit

Tanti voluptas; intuor eminus
Remota longe tanquam oculis prope
Ingesta nostris; cuncta cerno:
Posse datur numerare vicos.

O Tybri, cessa pyramides tuas
Iactare Nilo; Roma nihil nisi
Collata verrucas et arceis
Exiguas habet inque septem

Erecta monteis sic quoque vincitur.
Nil Adriani proficit aut Titi
Magnique Traianique moles.
Conde tuos pudibunda nanos,

Quos intulisti moenibus Ilia.
Immane structis alta Gigantibus
Contemnit Aegyptus columnas
Et trepidis caput invidendum

Immittit astris. Quem pedibus premo,
Subiecta late despicit et procul
Auras ab humano recessu
Mons lapidum fabricatus intrat.

Hinc si sagittam iecero missilem,
Labetur intra pyramidis pedem:
Et quae cadit proiecta cono,
Non feriet tamen umbra campum.

Quocunque mentis lumina quattuor
Intenta mundi coniicio plagis,
Arcana rerum se novarum
Et veterum monumenta pandunt.

En illud alti nominis est mare
Ab usque Erythro rege, celebrius
A Mose factum, cum recessus
Per medios sua castra duxit.

Hinc molle marmor stabat euntibus
Turmis et illinc, nec refluo prius
Suspensa miranteis per auras
Moenia detumuere ponto,

Signum tremendae quam Thetis horrida
Virgae notasset: tum vitrei freto
Labente subsedere muri
Inque caput Pharaonis uno

Mersum ruerunt fragmina gurgite.
Viri sequentes Isacidum ducem
Equique et armati profundis
Fluctibus interiere currus.

En illa magnae rudera regiae,
Quam Lagus auctor, quam Dionysius
Et vanus Auletes et ingens
Incoluit Ptolomaeus olim.

Hic, qua tepentes luxuriant aquae
Et ripa stratos marginibus toros
Inducit herbarumque molleis
Accubitus, Cleopatra quondam

Vixisse fertur. Nil opulentius
Sol huius aula viderat: aurei
Fulsere postes, lata crasso
Trabs ebeni radiabat auro,

Aureum lacunar. Sparsus in atrium
Gressus achates impositos tulit,
Testudo mensas, hae smaragdum.
Tota domus elephante secto

Candebat. Eheu, non iterum fleat
Xerxes ab alto monte volubilis
  Spectator aevi, quanta nubes
    Omnigenumque hominum procella

Passim in plateis volvitur unico
Perdenda seclo! Nunc ubi sunt opes
  Tantae renidentisque bacca
    In pretium iugulata vini?

Ubi procacis sunt Ptolemaidos
Villaeque et horti? gemmiferis ubi
  Laudata venis prisca Coptos
    Et veteris facies Abydi?

Perenne nil est. Arsinoe ferax,
Dives Syene, pulcra Diospolis,
  Bubastis alta, docta Sais,
    In tumulos abiere pulvis.

Chordae sonantes Memnonis et magus
Obmutuerunt. Vos quoque, Tentyra,
  Iacetis in palmis sepulta:
    Vix superest meminisse vestri.

Franguntur aevi dentibus omnia:
Memphis Cairo cessit, et haec ruet
  Et urbs Alexandri per orbem
    Clara tuis, Philadelphe, libris.

Quippe et colossis excidium sua
Decrevit aetas. Innumerae iacent
Urbes supinatis humatae
Turribus, antipodesque silvae

Deiecta cum radice cacumina
Stravere terris. Nulla, Melampodes
Pelusiotae, non caducis
Ulla fides scopulis habenda.

Haec ipsa rupes, cui prope sidera
Insisto, vana Sisyphiis manu
Exstructa saxis, fracta demum
Mole sua Pharios ruina

Insternet agros. Quis furor est levem
Odisse terram et funeribus grave
Onus superstruxisse, peius
Ut iaceas? At enim loquenteis

Audire Boios et videor mihi
Videre portam mobilis Isarae.
O macte vates in Canopo
Tot populos fluviosque latasque

Emense terras. Me subito mea
Mens ex remotis finibus ultimae
Reduxit Aegypti Monacum:
Quam celereis habet illa pennas!

ODE XLVIII.

Illusio poetica.

Quis meum supra caput urget auro
Illitus pennas? quis ephebus astris
Concolor nexam mihi cunque fingit
Ferre coronam?
Ille diductis revolutus alis
Ter quater plaudit taciteque propter
Verticem lapsus posito renidens
Stemmate sidit.
At simul vano manus ausa motu
Tendit in laurum, fugit et cachinno
Lene succusso puer ales eluctatur in altum.
Quisquis, o nequam puer, inficeto
Me ioco ludis, quod habes, habeto
Munus et serva; tamen ista nunquam
Serta petivi,
Non minor vates ideo canendus,
Si, quod attondent folium capellae,
Vile contemnam nec amicta circum
Tempora gestem.

JACOBI BALDE S. J.
LYRICORUM LIBER IV.

Ad serenissimum et potentissimum Principem

Maximilianum,

S. R. I. Electorem, Com. Palat. Rheni,

Utriusque Bavariae Ducem.

ODE I.

Omnia a divina providentia pendere et gubernari.

Unde haec dierum certaque noctium
Vicissitudo? quis vaga nubium
Solemque palanteisque stellas
Et volucreis moderatur horas?

Hyems tepenti Vere resolvitur,
Succedit Aestas et gracilis Ceres,
Quam pulcer Auctumnus racemis
Induit a Borea fugandus.

Quo tanta motu machina vertitur?
Quis gyrat axem? quis refluum mare
Seducit aurigante Luna
Oceani docileis recursus?

Legem sequuntur cuncta. Deus, Deus
Mundo supremus praesidet arbiter
Et vallat, o Princeps, abyssos
Consilio tumidosque librat

Fonteis aquarum. Providus imperi
Fluenta ripis, litoribus freta
Coercet. Immetatus idem et
Acre tuens placideque fortis

Humana torquet, numine consono
Ubique praesens. Ille vel attrahit
Vel frena subterfusa laxat.
Ille vices et utramque sortem

Dispensat orbi, terrigenum metus
Curasque spesque et regna vagantia
Somnumque Chaldaei tyranni
Fatidicum statuamque, quanta

Fulgens metallis versicoloribus
Desiderantem scire superbius
Futura formosoque totam
Terruerat Babylona monstro.

Qui cuncta certis secula fontibus
Argenteumque et ferreum et aureum
Derivat in terras, serena
Ille tuos animose zona

Septemvir annos temperat ac suis
Educit astris. Ille recentibus
Antiqua commiscere solers
Incolumem per acerba rerum

Ac laeta duxit, cum modo prospera
Parcens severe dilueret, modo
Afflaret aura mitiore.
Ille tuos tremefecit hosteis,

Elusit astu, turbine reppulit,
Prostravit armis, obruit ignibus,
Delevit undis et frementum
Scuta virum galeasque mersit.

Aequanda Cannis tristibus Appuli
Wimpfena vici propulit in putreis
Paludis algas luctuosa
Turlaciae monumenta cladis.

Damnata nigris nunc quoque Daniae
Luthera fastis incaluit rubra
Spumante Cimbrorum cruore.
Relliquiae sub opaca noctis

Stagnum remissae visere patrium
Formidolosis horrida matribus
Natisque narravere bella
Et viduis miseranda lectis.

Haec dico vates: Magna sonantibus
Plerumque buccis spes tumidae crepant;
Disrumpit inflatos vapore
Immodico vapor ipse folleis.

Sed ista cursu iam medio: fores
Periculosas vix patefecerat
Ianus Bohemorum, et micabant
Castra tuis Alemanna rhombis.

Pragensis ex quo perfida futili
Vexilla fastu regulus extulit,
Sub Martis alternante fluctu
Quam varios superare casus

Virtus adegit! Qualis in Herculem
Noverca Iuno totque sequacium
Inventor Eurystheus laborum
Incubuit duplicare fessus

Portenta servo: dux eadem manu
Fudisse felix ordine singula
Nessumque stravisti et leonem
Degenerem ignivomosque tauros

Hydramque visasque ore nocentius
Lerna venenum spargere viperas.
Rupta est inaequalis catena
Tot scelerum pereunte nodo.

Quae summa mirer? Grandibus excidit
Antaeus ausis Balthicus, excidit
Terramque maternam negatum est
In Lycio tetigisse campo.

At Cacus Egrae bellua saevior
Toto momordit pectore lanceam
Porrectus immanique iustas
Caede ruens satiavit iras.

Cuius latenti praescius ariete
Olim monebas imperium quati
Fraudeis odoratus coquentis
Dira superciliique nidum,

Sub quo tepebat molliter abditum
Implume crimen, donec in aera
Surrexit ales et tremendum
Rupit atrox basiliscus ovum.

Tunc certa demum, tunc monitis fides
Delata veris; tunc sapientia
Calumniantum per procellas
Largior invidiaeque spissas

Candente nubeis emicuit coma
Vulgoque prendi substitit obvia
Ambabus ulnis. Hac eadem
Difficileis secuisse doctus

Vias reluctantum et cuneos magis
Inclaruisti, semper ab improbo
Livore Fortunaque maior:
Cos fuerant inimica tela.

Dolore fortis saepe premi potest,
Quandoque flecti: non tamen opprimi.
Salicta vix contacta cedunt:
Palma suos levat alta ramos.

Non negliguntur, quos bene negligit
Numen probandos: si modo vulnera
Ferant silentes seque duris
Non metuant aperire fatis.

Revolve mecum tempora, Maxime,
Unaque confer lapsa fluentibus:
Accendit eventu secundo
Oppositus color ater album.

Declivis aetas iam superaddidit
Bis quinque lustris sex trieteridas,
Integra, nec succo nec omni
Flore carens; iuvenile sceptrum

Adhuc fatiges quamlibet improbam
Molem negoti frangere pertinax.
Hostes peremptum iamque dudum
Exanimem voluere: vivis,

Tantoque vivis laetior hostibus
Missis sub umbras. Trudere patria
E sede tentavere: regnas
Inque tuo; spoliare victum:

Victoriarum crevit adorea;
Truncare vafris militiam dolis:
Sed cauta bellatrix aperto
Frenigerum volat ala campo.

Suecus subactum credidit: emines;
Caesum: triumphas. Qui sibimet tuam
Praesagiebant nuper arcem,
Nunc humili tumulantur urna.

Pars fixa plumbo, pars fluvii vadis,
Pars hausta limo: mortibus impares,
Pares catervatim sepulcris
Funeream subiere fossam.

Ex his fuerunt, qui violentius
Nefas professi cuncta paraverant
Miscere flammis: flamma sedit;
Quanta patet, populare terram:

Foecunda turget messibus annuis;
Vastare caesis oppida civibus:
Servata splendorem recenti
Congeminant veterique muro.

Emuniuntur diruta fortius,
Nova exstruuntur; protrahimus focos,
Ornamus aras. Templa Finnus
Sacrilego temeravit ungui:

Formosa celsum plura levant caput.
Tutela magnae Virginis in foro
Accessit urbi. Damna prosunt,
Cum Superi statuere lucrum.

Quidam et profundis morsibus erui
Boiam petebant stirpitus arborem:
Accrevit immortale pomum;
Diminui radios honoris:

Novo coruscas; stare potentiam:
Ultra cucurrit. Ne iuveni quidem
Optabat Heidelberga prolem:
Mira fides novitasque rerum!

Solatur heres bisgeminus senem
Patremque fecit; iam tibi discutit
Curas et aetatem coronat
Viva tener rosa Ferdinandus.

Iam Frater audit; iam quoque Castori
Pollux adhaeret; iam lepidi fluunt
In verba risus; iam pererrat
Parvulus Aemilianus aulam.

Ad Martem.

De serenissimi Electoris aula et munitione excitata Monachii.

O D E II.

Surgamus: umbras vespere Iulio
Sol longioreis proiicit occidens.
Qui saepe quanquam non sagatus
Bella cano tua, Magne Divum,

Ausim et refertas sulphure fistulas
Lustrare tecum et moenibus additas
Turreis coronatisque vallum
Turribus et scopulos minanteis.

Hac exeamus, Mars, ubi fulgurant
Augusta summi tecta palatii.
Quam fama claravit per orbem,
Haec Bavari Ducis aula, sedes

Regnantis ingens, sed domino minor.
Si curiosis in penetralia
Nunc detur accessus, pudebit
Te Rhodopes et euntis Hebri

Altaeque posthac culmina patriae
Iactare parces victus ab aemulo.
Splendore naturaeque et artis
Ingenio variata miro

Intus coruscant omnia; crederes
Terrestre coelum. Sunt laquearia
  Accensa stellis et comanti
    Picta tremunt anaglypta fulvo.

Calcatur album marmor et Itala
De rupe caesum, quod solido rube
  Cruore, ramosis virenteis
    Quod maculis imitatur herbas

Iuxtaque guttis nobile lucidis
Irritat ostrum; sanguineo lapis
  Imbri columnarum renidet
    Lana velut medicata tinctus.

Passim Myronis signa Corinthio
In aere vivunt; plurimus ordine
  Stat Mentor et felix ubique
    Parrhasius simulacra fingit.

Squalent et auro singula regiae
Distincta pulcra lege cubilia.
  Spectator obtusus metallo
    Atque acies stupet icta flammis.

Movi salivam nempe: refer pedem,
Gradive, tun' huc protinus ingredi
  Tumultuoso cum fragore
    Aeripedum? prius arma pone

Scythamque vultum: forsitan offeret
Occasionem commodior dies.
Tantisper extra, donec aer
Lene favet, spatiemur urbem.

Vides, ut altis cespitibus iuga
Immane crescant utque coerceat
Farrago decliveis arenas
Gramineo nemorosa morsu.

Hic mollis aequi planities soli
Iacebat olim: nunc caput extulit
Erecta moles et viarum
E trivio negat una dici.

Calcanda soli semita militi.
Hac calle trito rectius ad forum
Ibatur: atqui stante porta
Nunc remoram nociturus hosti

Obiecit in se flexilis ambitus.
Horti feraces hic olerum forent,
Ni clivus assurgens remosset
Arboribus procul esse iussis.

Queis unda vexit mite gelu locis,
Fontis remoto pumice saxeus
Dependet umbo; dic triumphe!
Quanta tuis, dominator Aemi,

Accessit intra tres hyemes opum
Rebus supellex! durat adhuc labos
Et fossor: ut circum repertis
Stagna fluant latebrosa venis,

Tentatur humens terra ligonibus.
Sed en tonanteis urbis aheneos,
Iam fulmen e pinnis minantur.
Quisque sua statione certam

Servat fenestram praetereuntibus
Torvus videri; vade age et ultimis
Haec nunciaturus Batavis,
Plaude: redux habitabis aulam.

It, torta qualis fune phalarica
Discindit auras, qualis in aere
Succensa cursu taeda longum
Corripuit stimulata sulcum.

ODE III.

Quid est Monarchia,

Nisi triplex suspirium obtinendi, retinendi, amittendi?

Auctor politicam sententiam in aula serenissimi Electoris Maximiliani superne tabulato inscriptam expendit.

Humana si mens arbitrio Dei
Contenta rebus sciret in asperis
Laetisque caste ferre sortem,
Quam placido frueretur aevo!

Nunc rapta postquam pectoris impetu
Permisit omni frena licentiae
Ausura quodcunque est et ausa,
Quam furiis agitatur atris!

Mortalis audax horrida perpeti
Amore lucri prodigialiter
Lascivit impulsusque diris
In vetitam ruit usque praedam.

Suspiriorum quis modus est trium,
Quae finis? eheu! quaerimus omnia
Tristes et amittenda rursus
Sollicito retinemus ungui.

Exempla passim summa petentium
Vesana sudant, cum tamen omnium
Mensura fatorum et movenda
Stare diu neget urna summis.

Seu more teli iacta Cydonii
Seu nixa pennis vota supervolant
Et concupiscentem sequuntur
Usque. Suis poterat quietus

Xerxes et omni tutus ab ambitu
Haerere Medis, ni Lacedaemona
Stultis lacessivisset armis
Plura avidus rapuisse, quam quae

Fortuna posset concoquere et fames
Tanti leonis. Thermopylas supra
Grassatus Aegaeumque pontum
Rupit Athon petulante bello;

Marique, nomen qua Nepheleias
Mutavit Helle, supposito pedes
Velut pavimento choragus
Insiluit, numerum quadrigarum

Aequans carinis: fluminibus sitim
Minatus eheu perdidit omnia
Sceptrumque remosque et flagella
Exsul et ad Salamina victus.

At quem superbi nominis hybrida
Superbiorem Bucephalus tulit,
Post terga contempti relicta
Sede patris Macetumque terra

Et solis extra currere limites
Conatus omnem vertit ad Aeolum
Inflata grandi vela fastu.
Seque sequens fugiensque retro

Iam Bactra Susis iunxerat ultima
Taurumque montem Persepoli: tamen
Ultra tetendit. Sogdiana
Altior inferiorque petra

Devexa mundi trans Arachosiam
Gangemque et Indum quaerere navigat.
Pulsatur exsternata Tethys,
Oceani domus ima mugit.

In puppe prostans ille remugiit
Suique clausos oceani cava
Refudit aestus et procellas
Pectoris immodici vorago.

Fixisse metam debuerat nigro
Cadente Poro; qua fluit ac iacet
Torpetque, debellarat orbem:
Non satiat tamen unus unum.

Habere partem non voluit: pudet.
Servare totum non potuit: dolet.
Eheu, volaturum per auras
Testa premit cohibetque saxum

Ridentis intra sex figuli pedes.
Hic ille parvo funere cogitur
  Devicta Persarum cubare
    Purpureus super arma praedo.

Ferox in omneis nec sibi parcere
Libido novit, nec nisi mortua
  Pacatur. Immensas habenti
    Semper opes mage sunt timendae

Quam respuenti: mole ruunt sua
Maiora iusto. Saepius et ducum
  Enses adoratique vultus
    In mediis crepuere flammis.

Tam dives ullus non puto vixerit,
Qui nollet Iro pauperior mori;
  Nec pauper optabit sepulto
    Ditior occubuisse Croeso.

Coelone tectus non tegitur satis,
Quamvis humetur nudus et algeat?
  Exaggerata si tropaeis
    Dedecus est caruisse terra,

Quam Caesar olim, quam subiit scrobem
Pompeius ingens? insatiabilis
  Uterque possessis, uterque
    Caede madens vomuit rapacem

Honoris umbram: tot coeuntibus
Plagis in unam procubuit socer,
Gener Photino praeda factus
Proram anima fugiente pulsat.

Utcunque dulci gloria perfurit
Venas tumultu, torquet amarius.
Corona tot gemmata curis
Plus aloes habet, anne mellis?

Ad D. Virginem,

Dominam auxiliarem in campo augiae Monacensis propitiam.

Cum ad eam sub adulti veris initium inviseret.

ODE IV.

Intermissa diu redi,
Virgo, Davidicis edita regibus.
Longi dedecus otii
Brumarumque sub hac triste silentium
Compensabimus arbuto,
Iam Veris comites aera temperant
Excussa nive limpidum
Et secum volucres in cavea ferunt
Ridenteis Hyemis fugam.
Sopitae fluviorum evigilant aquae
Pulsis noctibus algidis.
Rumpit prata tepor; luxuriat suis

Emissum stabulis pecus;
Iam florent salices; scissa recens tuis,
Virgo, serviet usibus
Exempto viridis cortice fistula.
Nam cui ludimus alteri?
Aut quae nympha cani dignior altera?
Tu mundi lepor et decus
Blando concilias omnia foedere
Terraeque et pelagi potens
Semper vota bonos ducis ad exitus,
Nunquam credere quae soles
Periuri levibus ludibriis Noti.
O moestis columen reis,
O tranquilla quies et pereuntium,
Quo te cunque vocant preces,
Opportuna salus! Nos quoque caeteri
Templis Indigetes iuvant:
Sed non tanta fluit vis ab origine
Et quandoque trahit vadum,
Apparent mediis tubera rivulis.
Fons, Virgo, tuus effluit
Et vasto pelagus circuit ambitu.
Sunt Divi, quibus agmina
Conspectis fugiunt pallida febrium,
Fractae dissiliunt fores
Obstrictisque cadunt vincula brachiis.
Hunc serpens timet ebria,
Illum funereae pestis anhelitus,

Hic et manibus imperat
  Functosque e tumulo tollit ad aethera:
Metam quisque tamen suam
  Coeli cursor habet certaque limite
Arcto iugera contrahit.
  Tu commune bonum, tu sine termino
Sedi proxima Filii
  Immetatus ager sufficis omnibus.
Cunctis tu Dea publicae
  Aram laetitiae pandis et auxili.

Ad amplissimum virum

Io. Christophorum Targisilium.

Regis et tyranni discrimen.

ODE V.

Regem non solito nomine villicum et
Hortos regna voces, Targisili, licet:
  Nam foecunda coronae
    Sunt alvearia civium.

Cives mella sub his condere seduli
Fingunt Daedalea divitias manu
  Et ceu floribus Hyblae
    Gratis mercibus incubant.

Quantus, nonne vides? urbis apes labor
Exercet! croceum pulcra simul diem
  Sparso rore per herbas
    Mater Memnonis extulit.

Iam tum mane strepunt, iam vagus artifex
Et fervens operarum involitat thymis:
Iam cum coniuge ceras
Stipat non sine foenore.

In censum vigilant omnia: quaeritur
Semper dulce lucrum, cuius odor bonus
Ex re qualibet afflat
Et nareis animas trahit.

Hinc sugunt pretiosum unguen et allinunt;
Quo postquam madidi tecta repleverint,
Plenis annua cellis
Vectigalia profluunt.

Rumpuntur liquidi viscera glutinis;
Perlustrata suas fundit opes domus,
Flavi iura tributi.
Sceptris excutitur favus.

Refert, quis laticem nectaris eximat.
Saevus pastor apes mactat et alveo
Totum diripit aurum
Sternens moenibus incolas.

At rerum sapiens Corycius senex
Iussis in sobolem vivere posteris
Mellis parte relicta
Seponit reliquum sibi

Concessoque Deum munere vescitur,
Seu spumam indomiti frangere Massici
Doctus sive lagenam
Mensis addere rusticis.

Nunc agnoscere te, Targisili, reor
Discrimen gemini nobile villici.
Primum iure tyrannum,
Regem dixeris alterum.

Ad serenissimum Principem

Albertum Sigismundum,

Utriusque Bavariae Ducem.

ODE VI.

Etiam minima curanda esse.

Parvis maxima stant principiis ac pariter iacent.
Primam tolle casam, et sustuleris moenia patriae.
Qui rivus minimo montis aquas haurit ab ostio,
Post multas hyemes cum gemitu pontificum ruit.
Arbor vela ferens virga fuit: nunc maris hospita
Nubeis ingreditur. Se cumulant omnia tempore,
Tam belli mala, quam pacis opes. Qui bene providus
Non spernit modicum, sive sago sive toga, sapit.

Ad Laurentium Adonem.

Hodie vivendum.

ODE VII.

Vivis, an differs leve munus aurae?
Sed spei telam male texis, Ado,
Fila cum vitae Lachesis peractae
Scindit et aufert.
Curta sub terram properatur aetas.
Quae dies non est homini suprema,
Alitum ritu volat et sagittae:
Ultima stabit.
Durat in fatis semel interire,
Durat hoc unum; subeuntis ipsi
In sinu causam geniale mortis
Semen habemus.
Illa naturae sociata nexu
Corpus hoc instar comitatur umbrae.
Vesperam vivis? fit et umbra maior;
Denique vera,
Qualis effosso graditur sepulcro,
Qualis et maneis levis inter errat.
Ter fuit praeceps hiemante barba
Nestoris aetas;
Mansit extremum solido rigore
Curva, nec primum potuit reflecti
Nestor in florem tremuloque fossam
Vertice plausit.

Frangimur tandem puteo frequentes
Urcei. Si sum tibi consul, Ado,
Protinus vives: mala lux sequetur,
Optima nunc est.

Ad Thomam Marinum

a Suecis vulneratum et spoliatum.

O D E VIII.

Non si deorum exercitus insolens
Increvit astris, propterea caput
Subduxit Atlas et gravatum
Questus onus petiit levari.

Ferenda moles, donec in Herculem
Coeli columnam sidat idoneam.
In te resistentem minaci,
Cuncta licet ferat arma contra,

Fortuna nullum ius habet improba.
Nam nec beatum nec miserum facit,
Sed esse congressu repertum
Detegit opprobriisque vexat

Tunc, cum subegit. Cui potuit semel
Nocere, nunquam magnus erat. Potes
Felix haberi, si, Marine,
Quae tua sunt, aliena credis.

Omniparentis Naturae
Iusta querela
Adversus ingratos mortaleis.
O D E IX.

Nuper ad fontem Dryadum sedebam,
Qua virens silvis aperit theatrum
Faunus et ripas sinuosus amnis
Isara plangit.
Heic inumbratum nemus intuentem
Alloqui motis inopina ramis
Coepit humana mihi cunque visa
Maior imago,
Celsa turritum caput, alba crineis
Hinc et hinc sparsos, inarata vultum
Vomere aetatis subigente rugas,
Nuda mamillam.
Scribe, Boiorum, mea cura, vates;
Scribe, clamabat, sacra te monentis
Iura Naturae memorique fago
Sculpe querelam.
Vox erat, qualis resonans aquarum,
Cum suas Ister pelago pruinas
Miscet et primam gelidi salutat
Gurgitis undam.
Stulta gens! semper cupitis negata.
Hic gruis collum petit, ut saginam
Latius tendat; puer iste nasum
Rhinocerotis,

Alter et pennas; alius natatum
Daedalo praefert agilique cerae;
Ille cornicis tria poscit annos
Secula passae.
Seu Rheam dicant veteres Achivi,
Sive Iunonis mihi nomen aptent,
Sive Lucinae gravidas levantis,
Sive Cybelles:
Displicet, quidquid statui. Profanum
Dona fastidit male nota vulgus,
Millies dignum sua, quae precatur,
Damna mereri.
Si petis collo gruis helluari,
Literam motis quoque pinge pennis,
Excuba noctu, patiare telo
Denique figi.
Disce cervinae cupidus senectae
Praeda venantis fieri canumque
Lusus, et saevas hyemes sitimque et
Cornua ferre.
Quae simul iunxi, male separantur;
Siquis accepto bene novit uti,
Dante me cunctis licet esse laetis,
Esse beatis.
Quod genus fingis tibi, quam parentem?
Falsa nimirum lapidum propago
Iacta post tergum gravidaeque lactat
Fabula silvae,

Sparsa Getuli super arva campi
Saxa foecundis caluisse flammis,
Dispares quassa nemus edidisse
Ilice foetus.
Post rates mersas ego Pyrrha vivas
Imbui rupeis; ego quercus illa,
Cuius ex vero cecidistis omnes
Cortice ventris;
Furta mentitur Scythica Prometheus
Valle confixus: meus ignis ille.
O mihi quanti, soboles, stetisti ex
Aethere rapta!
Additus coeli Superumque fomes.
Ne qua pars vestri foret impolita,
Principem limum meliore lima
Ipsa polivi.
Quippe suggestus radiat comarum;
Fronte sublimis facies coruscat,
Os et erectum facili tuetur
Sidera motu.
Nescit, heu, nescit sua vota Momus.
Quisquis optabat vitreis videri
Pectus e costis, sua nolit ipse
Septa patere.
Una, mortales, data lingua vobis:
Unde stridetis subito bilingues?
Integros vitae genui nec ulla
Fraude nocenteis:

Iam quotus primae similis farinae?
Nemo non saevit, timet, ardet, odit.
Mugiunt tauri, video leones,
Terreor ursis.
Quanta vindictae rabies ab imis
Aestuat venis? quid amore peius?
Aut quid humanas cumulante caedes
Tristius ira?
Insuper nullus modus est habendi.
Magna vix pusam puerumque parvas
Regna post cunas capiunt, nec unus
Sufficit orbis.
Sciveram coctos nimio vapores
Sole, dum splendent, oculis nocere:
Hinc nigris auri radios cavernis
Provida texi.
Tecta fossores avidi metalla
Scire scrutantur penetrantque ad imas
Montium valleis procul et feri sub-
urbia Ditis.
Quid furens in me Venus et Lyaei
Thyades peccent, taceo: pudendas
Ipsa speluncis aliaque nocte
Obruo nocteis.
Ut genas servet liquidamque vocem,
Floridus Musae puer e virili
Truditur sexu, Phrygii sub ictu
Victima cultri.

Pro pudor! quo me fero cunque, secta
Troas occursat, Catamitus aulae.
Stant anus hirtae fidibusque motis
Molliter hiscunt.
Virgines ut se violenter ornant!
Nostra vix ullam satiat venustas:
Pulcra concessam maculat veneno,
Foeda negatam
Attrahit fuco. Quota, dic, puella
Non emit vultum? Quota me meaque
Dote contenta est? Colitur forasque e
Pyxide prodit.
Plura lassatam memorare taedet.
Opprimor monstris. Quid enim nepotum
Luxus intactum vitio reliquit
Aut quid inausum?
Cerno currenteis velut astra mensas
Volvier circum madidosque nardo
Flante convivas et odoris imbri
Tingere crineis.
Sordet in Maio rosa: quam December
Protulit, fragrat. Glacies paratur
Ad sitim: naso rubicunda Bacchi
Stiria pendet.
Ore caelato salientis hirci
Pressa Setinis fluit uva prelis.
Quae capri libant, cava sunt et ipsa
Pocula capri.

Faginam nullus sibi sumit ansam:
Plenus auctumno rapitur smaragdus.
Cyprium gemmis bibitur merum, gem-
maeque bibuntur.
Altius tectis pumili Laconum
Marmor attollunt; lacus in cubili
Vitreo fumat volitantque supra
Culmina silvae.
Caedit iratus mare rex flagellis:
Tergus urenti sua tela soli,
Aeoli buccis colaphum minatur
Et mihi fustem.
Quo ruis, curvum pecus, o pusilla
Portio terrae? tibi sic origo
Excidit testae, cinis et favilla et
Ventus et aura?
Heu parum tuto vetitis inhaeres
Meque contemnis, malesana proles!
Cur ad occasum properas ab ortu
Matre relicta?
Testor aequaevam Themin et sequentem
Crimen a tergo Nemesin: Dolebis;
Has time iustas memoresque fandi
Atque nefandi.
Haec ubi moto Dea fata luco,
Tristis in sese penitus recessit.
Ast meum canis rigidus caput cir-
cumstetit horror.

ODE X.

Queritur auctor fertilissimum Aegypti regnum Turcis servire.

In regna mundi prima Pharos venit.
Peculiari nobilis indole
Circum iacentem ridet orbem
Seque clepit pluvio Tonanti

Et usitatis legibus eximit.
Non illa supplex sternere nubibus
Dignetur aram, quae caninum
Ante Deos venerata dentem

Praefert Anubim tergemino Iovi.
Certo sed anni tempore fertilis
Rigatur exundante Nilo
Inque soli gremium solutis

Lactescit undis. Iugera crederes
Remis arari. Spicea mox solo
Se fundit ubertas et agri
Flavicomis strepuere culmis.

Seu magna ventis pabula flantibus
Colonus amnis carpit et aestuat
Fervente Cancro, seu latentem
Multifido bibit ore brumam

Et rursus haustae prodigus evomit
Scisso tumenteis divitias sinu,
Simul recenti sole spira-
menta putris caluere terrae:

Natura vix plus Oceano parens
Indulsit ipsi. Sed quibus influit
Foecundus humor? cui propinat
Omnigenas age Nilus undas?

Ut nulla constant regna sibi diu!
Olim ferendo sub Latii iugo
Sudavit et strictas Canopus
Ausoniae tremuit secures:

Donec revulsam Mars Othomannicus
Praedam tributis apposuit suis.
Heu Delta famosum trigonae
Thracibus asseritur figurae!

Thracesque aristas nil Iovis indigas
Et viva stirpis balsama colligunt.
Europa quanticunque nasi
Non fruitur tamen hoc odore.

Insurge tandem Martia Romuli,
Contende pubes, eripe barbaris
Opima glebae: Turca semper
Possideat melioris usum?

Ad Mathiam Cervum,

Tribunum belli, Alsatam.

Cum Monachium transiens in Belgium tenderet.

ODE XI.

Disciplina castrensis.

Paucos videmus surgere Tillios,
Quibus probetur Mars sine coniuge
Martis vel asternenda scuto
Casta quies gelidique somni.

Plerisque castris agmina vagiunt
Et, qua moventur nocte, puerperae
Portantque portanturque curru,
Sarcina deterioris aevi.

Atqui rigorem militiae Venus
Damnosa foedis mollit amoribus.
Enervat arcus et retundit
Blanda mares animos voluptas.

Testis mearum et Punicus Hannibal
Sententiarum, quem Capuae novis
Ultae cruentavere Cannis
Luxurie dapibusque fractum.

Peltata ni sit foemina, sit procul.
Torvas in armis Turnus Amazonas
De gente Volsca, non puellas
Indecores habuisse fertur.

Omen secundum, qui pius est, habet.
Aruspicinae Thuscus inhaereat,
Chaldaeus astris: proelianti
Auspicium dabit una Virtus.

Frustra volabunt et tibi septies
Plaudent olores, si male conscio
Ferale bubo carmen intus
Occinat inferiasque Dirae.

Adversa paci vulnera militent,
Subiecta palmae lancea floreat,
Urbique decretisque patrum
Laurigeri famulentur enses.

Fatale tempus: quisquis idoneae
Occasioni segnius imminet
Seu fraude seu peiore fastu,
Imperii patriaeque latro est.

Heu quot triumphos perdidit aemulus
Et regna livor! quot lacrymas dedit!
Lugentis Europae puellis
Ploro nefas puerisque notum.

Cunctare velox, ut Fabius: moram
Peritiores aligeram probant.
Matura semper poma carpet,
Qui didicit properare lente.

Duella Cadmi trade nepotibus
Pugnanda: bellum tu gere publicum.
Furens arenae lucta non est
Verus honor, sed honoris umbra.

Fas castra septis undique muniat;
Gemmis et auro sit potior fides,
Famamque percussumque foedus
Quo pretio cave cunque frangas.

Periurus astris victor et impius
Distatne victo? succubuit sibi,
Saxo, quod attrectavit, arae
A Nemesi feriendus olim.

Dux, subiugatis linque iugum, boves
Scindant novales, semina surgere
Permitte, civilis coronae
Triticeum meriture sertum.

Haec, Cerve, fiunt? — Currite flumina
Germana retro! tuque, bicorniger
Natalis abrupto meatu
Rhene, subi cava fontis antra!

ODE XII.

Amor Marianus.

Laedor? an penna trepidante fibras
Somnio tantum potuisse laedi?
Quidquid est, auras aliquid volatu
Movit inaneis:
Et manum nosco moderantis arcum et
Sentio teli leve pondus; haeret
Aureae vulnus calidum pharetrae in
Pectore fixum.
O, ubi nostram sequeris Dianam,
Virginum pulcer chorus ambulantum,
Nuncia gratis bene laesa carpi
Viscera flammis.

Dialogus

Auctoris et Michaelis Anguillae de forma Virginis Matris et Pueri Iesu.

Cum in pervigilio Assumptae Virginis eiusdem aram celeberrimi artificis Suartii manu depictam in aula Monacensis gymnasii contemplarentur.

ODE XIII.

A. Quam sit tota, vides, Mater amabilis,
Collectae species viva modestiae.
Ex ipso licet ore
Matrem discere Virginem.

M. Infans ut bicolor, candidus et ruber,
Membris laetitiam spirat ab omnibus!
Ignorans quoque dicat:
Qui sic pingitur, est Deus.

A. Virgo caeruleis nubibus insidet
Inter pennigeros pulcra Favonios,
Lunae fixa sinistro
Livent sub pede cornua.

M. Erectus gremium molle premit Puer
Exultimque micat; conveniunt bene
Ac miscentur in uno
Maiestas et amor loco.

A. Vesteis virgineas non ego divites,
Sed tinctas viola paupere dixerim
Ullis absque corymbis,
Ut tanto deceant mage.

M. Investis nebula Pusio non eget
Tectus luce satis: sic quoque gratior.
Pubescentibus altum
Crinitur radiis caput.

A. Matris caesariem carbasus integit,
Frons augusta patet. Teutonicam genae
Potavere pruinam,
Ostrum quam bene diluit.

M. At crispata riget Filioli coma
Et sol in facie ridet eburnea.
Malis lilia vernant
Et flammas acuunt rosae.

A. Pondus non tetrici dulce supercili
Arcum supra oculos flectit ianthinum,
Et quam pupula vibrat,
Miti lux oleo nitet.

M. Huius luminibus lacte madentibus
Blandus fulgor inest uvaque gemmea,
Quam permiscuit igni
Electri teretis liquor.

A. Virgo nescio quid non tacet et suis
Florem deliciis porrigit accipi;
Commendare videtur
Insertura volae manus.

M. Infans nescio quid vagit, an annuit?
Certe non dubiis gestit amoribus.
Ex mulcente labello
Apricus trepidat color.

A. Hanc pinxit tabulam Parrhasius Niger.
Veris quanta fluent gaudia vultibus,
Si tam limpida ficti
Derivant in imaginem?

M. Formosi quia sunt et Puer et Parens,
An formosa Parens, anne Puer magis?
Et formosa Parens et
Formosus magis est Puer.

Pugio Traiani

sive

Orator politicus.

Ad informandum principem.

Auctor orationem, quam de pugione Traiani habuerat, ab amicis rogatus Lyrae accommodavit.

O D E XIV.

Nudi loquantur si chalybes, tace,
O Iuste Lipsi: ferrea praevalent
Mucronis et Romana verba
Dura quidem, tamen efficacis

Acuta linguae. Pugio Caesaris,
Effare verum: iam tibi plurimus
Silet senatus, pendet aula
A gladii resonantis ore.

Custos fidelis regibus additus
Miteis et aequos praesidio vigil
Defendo: crudeleis, iniquos,
Degeneres patriaeque noxas

Invado versa cuspide. Nam memor
Pro me vel in me more Laconico
Dixisse succinctum, Gabina
Cum caperet meus arma consul,

Detestor illos, quos hominum cruor
Bis purpuratos tinxit. An ostreis
Vesteis coloratas rubere
Non fuerat satis? Ergo sanguis

Debebat addi corpore civium
Expressus! Odi nomina Caesarum
Noctu senatores citantum
Attonitos spatioque rhombi

Metuque mortis. Thracia caedibus
Inauguretur. Taurica Bistones
Aulaea suspendant ferarum
Terrificis variata formis:

Utatur albis rex meus et sacri
Cubilis ornet fulcra tapetibus,
Quos intuentem nullus horror
Saevitiae vel imago laedat.

Iras tyranni praecipitent equi
Cruore pasti: rex meus et pium
Librabit et iustum dolorem.
Laudo moras, ubi ius ab ense

Ictuque pendet, quas tamen improbo
Prodesse nolim, si noceat bonis.
Est et protervos ac rebelleis
Imperio cohibere virtus.

Scindantur artus immedicabiles,
Ne ducta labes inquinet integrum
Corpus putrescentique serpat
In populum vitiosa membro.

Ardente Roma: Quod libet, hoc licet
Clament Nerones: Quod licet, hoc libet,
Traiane, dices. At nec omne,
Quod licet, hoc libeat regenti.

Sui imperator latius imperat,
Quam subditorum, quam Tanaim Pado
Gadesque iungens. Lege lata
Ipse sibi bene paret auctor.

Vitentur omnes dedecorum proci,
Qui criminosis cunque placent modis.
Mordent adulantes catelli
Deterius catulo leonis.

Laus est venenum, publica blandius,
Privata peius, ficta nocentius,
Letale, si tantum bibatur,
Quantum animo malesanus olim

Pellaeus hausit. Tunc etiam furor
Obest amicis. Tunc subiti Ioves
Nascuntur in mensa rotantque
Fulmina per pateras sonanteis.

Innube coelum frontis amabile.
Quis thura supplex offerat et preces,
Si torva maiestas ad aram
Igne tonat iaculisque stridet?

Non Africanis, non Halyatticis
Europa servit legibus. India
Truncos adoret et per annum
Visa semel simulacra regum.

Sol ipse tristeis ac pluvia graveis
Vultus decora temperat iride,
Ros unde labens et metallo
Concha novo pretiosa stillat.

Currunt ut amnes in mare, sic fluant
Opes in arcam, rursus ut effluant
Et hic redundet gurges. Auri
Larga manus, sed avara ferri

Vagina clarant. Parcite, principes,
Munire vestros excubiis lares.
Ni terreatis, nil timetis.
Pax animi trepidare nescit

Vulgique fluctus tuta natat super.
Molli lupato fortius attrahit
Tranquilla subiectos potestas
Quodque monet, iubet: inquieta

Mandat, nec urget. Lene fluit Tagus
Ditatque ripas; lene super Pharon
Extendit almam Nilus undam
Et tepido fovet ore frugeis:

Immane torrens e nivibus ruit,
Campo sed idem fertur inutilis
Pontesque clamanteisque silvas
Spumeus ac sata laeta sternit.

O quisquis audes esse bonus, meum
Admitte Traianum. Ille metus fugat
Curasque et adducit beatum
Imperium sine fine. Dixi.

Ad Virginem Matrem

Duntenhusanam.

O D E XV.

Virgo, cui Natus faciem venustam
Seque concessit, mihi cunque salve,
Dum precor supplex facioque matutinus ad aram.

Hic catervatim quoque te vocatam
Lene sentiri miseris patronam,
Lingua suspensis loquitur voventum
Cerea signis.
Quem manu mulces, o amica, flecte!
Non opus multis, o amica, verbis:
Mater arride semel, et Puellum
Flexeris ore.

Ad clarissimum virum

Bennonem Segartium

Inter consiliarios adlectum.

ODE XVI.

Deterret illum a more huius seculi.

Odi bilingueis et pretio fidem
Dato paratos frangere vitream.
Virtus in illo nulla, cuius
Prima Deum timuisse non est.

Iustum, Segarti, consilium dabis,
Quod atra nullis sepia fraudibus
Obfuscet aut privata lactet
Utilitas aliena sugens.

Charontis hamum reiice, munera:
Pulcrum rubenteis spernere laminas
Et, cum propinatur toreuma,
Dicere Non sitio metallum.

Qui blandienteis temnit opes, opes
Supra est et infra se tenet omnia.
Hoc Morus exemplo Britannam
Emicuit moderatus aulam.

Ille in faventis culmine gloriae
Intaminatis maior honoribus
Sic se regebat, sic tyrannum,
Ut neque fraus neque vis ab aequo

Regalis unum nec metus aut amor
Moveret unguem. Sol citius suo
Dimotus e cursu quadrigam et
Munia deseruisset axis.

O ista nostro si quoque seculo
Floreret arbos, non veluti pila
Missus per auras huc et illuc
Ambiguo fluitaret ictu;

Romanus orbis; nulla facesseret
Tumultuantis rixa superbiae
Turbas neque aeterno vetaret
Exsilio remeare Pacem.

Procul rapinis et procul ambitu
Fovente liteis quisque sua sedens
Sub vite vel ficu quietam
Exigeret sine Marte vitam.

Nunc insolenteis post Camerarios
Cuniculosis omnia fraudibus
Suffossa quadratoque rupit
Agmine Machiavellus orcum.

Cretata vendit se sapientia
Veramque lucris turpibus immolat,
Pelli leoninae scit improvisa suam sociare vulpes.

Per heu tacendas Achitophel suum
Non unus arteis nobilitat genus.
Argutus incrustare verba
Ingenio potiore vincit.

At non triumphis monstra perennibus
Impune nullo vindice saevient:
Iniuriosae larva mentis
Saepe quidem queat esse tecta,

Sed tuta nunquam. Sol radios dolo
Inverget olim; defluet allitum
Claustris ab omni parte gypsum
Et paries animique stabit

Structura nudi sub patulo Iove
Videnda nullis picta coloribus.
Cum protrahentur purulenta
E trepido Stygis ova nido,

Ut palpitabunt ad medium diem
Et clara coeli spicula noctuae
In fraude deprensas aperta
Luce palam feriente pennas!

Ad Sabinum Fuscum

In Indias profecturum.

O D E XVII.

Ibis, quo iubet unica
Toto circumagens aequore litera,
Sed qua nec violentius
Gaudentem traheret grandis epistola.
O ergo faciem novis
Incoctus rapidae solibus Indiae
Augebis pretiosius
Pulcre barbarico more ferocior;
Bis ferrugineus genas
Fulgenteis tenebris et bis in annulos
Flexam caesariem niger.
Quod ni te Superis ire volentibus
Invito mihi suadeas,
Diris Thessalicam devoveam ratem,
Primum quae potuit fretum
Audax aerisonis rumpere puppibus.
Cedamus: vocat Hispalis.
Per matris lacrymas perque sororios

Imbreis navita nobilis
Ridens vela sui pectoris explicat.
Ah frustra genitrix sinum
Fles percussa manu! quid scopulum feris?
Lamentis quid inanibus
Perdis verba nihil proficientia?
In ventos abeunt preces.
Cursuri pelago lintea filii
Tot suspiria promovent.
Tempestiva gemens flamina sufficis:
Non, si scissa comam pares
Tortis foemineo crine rudentibus
Iniecisse moras, semel
Inspirata Deo carbasa retrahas.
Mens immota sibi manet.
Iam pulsata sonant litora; iam fremit
Ventosi chorus Aeoli
Et frondosa levans brachia Mexicum
Complecti parat hospitem:
Iungamus placidis vota Favoniis.

Ad Eundem.

Auctoris vaticinium.

ODE XVIII.

Quam nihil in certas cautum est mortalibus horas!
Omnia vota natant.
Fusce, redi: vatem si me quoque maxima dicit
Roma, Sabine redi.

Quid reditum moneo? nunquam quo dirigis, ibis;
Huc age flecte ratem.
Sperasti extremos mollire profectus ad Indos
Barbara corda virum.
Fata vetant: orbis potuit Germania curas
Pellere nostra novi.
Non gens dura tibi, sed cerea Principis aetas
Erudienda venit.
Nulla Philippinis obtexerit insula claustris:
Teutonis aula vocat.
Qualiter Aeaciden Scyro subduxit Ulysses
Ad fera bella ducem:
Sisteris aequoreae divulsus rupibus orae
Nec latuisse potes.
Educi latebris prohibebat mater Achillem:
Sed tua nempe cupit.
Flecte ratem: decus Ausonii nomenque mereri
Arseniique potes.
Tu nunc nostra quidem praesagia riseris: at mox
Pondus habere scies.
Sic mihi fatidicus noctu praedixit Apollo:
Sic cecinere Novem.
Anne et ego ludor? Quid enim Caducifer ales
Missus ab axe monet?
Ille ter, ille quater vigilanti sibila virga
Edidit ante lyram.
Et tua subduxit subito mihi mobilis ora
Substituitque virum.

Nec tamen alterius monstrata coloris imago est
Dissimilisve tibi.
Ista quoque incensum corvi nigredine crinem,
Caetera oloris habet.
Num tua sit facies, an non tua, nescio: talem
Turbida vibrat aqua.
Amnis ubi moto resplendent fragmina vitro,
Frons, gena, nasus hiant.
Atque iterum coeunt, iterum divisa resultant,
Ut levis aura movet:
Sed neque constantem licuit pernoscere vultum
Impediente deo.
Cumque oculos propius vellem defigere, risit
Opposuitque manum.

Ad Florianum Wolcium.

Malae conscientiae poena.

O D E XIX.

Nolis beatum dicere divitem
Quemcunque, Wolci, sub nitida cute
Tormenta gestantem profunda:
Omne scelus furit in scelestum.

Iniqua mens a se prius exigit
Poenas nocenteis et Nemesis sibi
Fit ipsa. Nam quo laeta dormit
Culpa toro? quibus aut veneni

Secura mensis assidet? Hinc iecur
Extendat anser Thuscus et advolet
Guttata Phasis, Bacchus inde
Vina senex generosa fundat,

Conviva moestis criminibus satur
Iuxta facetos nauseat hospites
Aut dente moroso gelatas
Triste dapes velut umbra carpit.

Formidat hostem pacis in atrio.
Ut ille desit, non bene conscius
Lictoris instantem securim
Consule se Mario timebit.

Ad clarissimum virum

Ioannem Paveriam.

Laus Adami Firmionis caeci.

ODE XX.

Audi, Paveria. Non adeo male
Caecis esse, iubet credere Firmio,
Felix accola mortis
Et clarus sine lumine.

Seu currum revehit Phoebus ab Indiis,
Seu Tartessiacis fluctibus avehit,
Neutrum sidus adorat.
Formosissimus intimo

Sol est ipse sibi. Mens gerit Hesperi
Auroraeque vices ac quoties libet
  Festino cita motu
    Pertransit duplicem polum.

Haec secum, Vacuo stat facies sinu
Nec fronti vigilat flamma, quid interest?
  Tanto plura quieti
    Libertas animi videt.

Ut praeferre nigris candida nesciam:
Virtus qui vitio distet et utili
  Secernatur honestum,
    Alter Tiresias scio.

Orbeis ille cavos percitus et sacras
Convertisse manus fertur ad aethera
  Eventuraque cunctis
    Explorasse sagacius.

Vates antra petunt et nemorum domos;
Qui Dis cunque sacer lucus inhorruit,
  Densis reddidit umbris
    Obscurum venerabile.

Sic assuesco mori. Manibus integris
Addendus patior iam mediam necem.
  Fatum plenius opto;
    Tantum pars obiit mei.

Ibit sub tumulum corpus et Atropon
Fraudabit solitam vellere palpebras
Supremoque natanteis
Stellas demere funeri.

At liber veteri carcere spiritus
Vivas sese oculo lucis imagines
Vivo fonte fluenteis
Vivis hauriet amphoris.

O spissum radiis ac nitidum mare!
O aeterna dies et rapidum iubar!
O caligo serena,
Lumen nobile gloriae!

Ad Bennonem Altorfium

In funere dulcissimi f. Edmundi. Anno MDCXLI.

ODE XXI.

Quod vetant postes adamante fulti,
Filius nunquam querulo redibit:
Orpheus plectro licet obserata
Limina pulset.
Perdis, Altorfi, lacrymas; resiste
Fortiter, dum se dolor ipse frangat:
Rapta lugenti fuit una, sed non
Unica proles.
Restat Henricus roseusque Benno,
Cuius octavum trieteris annum
Nuper implevit, puer innocentis
Musteus uvae.

Candido primum pede Magdalena
Propulit lustrum, Catharina quartum.
Anna iam sponso celebrique digna
Comitur aulae.
At nec Edmundum periisse dicas:
Corpus hic tantum luteasque (membra)
Exuit vesteis placido daturus
Lumina somno.
Vivit, Altorfi, tuus ille vivit
Et sepulcrali positis in urna
Vinculis felix alium vagari
Vadit in orbem.

Ad clarissimum virum

Arsacium Mamirodam.

Cur priscicrediderint Venerem ex mariprocreatam esse.

O D E XXII.

Unde suos hominum genitrix Cytherea ducat ortus,
Me cogis indagare, Mamiroda.
Argolici natam maris aequore prodidere vates
Ornantque causis fabulam decoris.
Namque et nomen adhuc Aphrodisia servat et tepenti
Mulcetur ipsa filiusque lympha:

Navigat omnis amans et habet sua, quae Favoniorum
Vexilla flabris explicet cupido.
Mittant in Venetum cymbas mare, qui volunt amando
Ludi nocentis crimen experiri.
Forsan et hinc Flacco trabs Cypria dicitur carina,
Quod Diva Cypri navitas gubernet.
Priamides celebrem rapturus adulteram Lacaenis
Tentavit aequor impulitque classem.
Per freta Leander spumantia turbidosque fluctus
Suum natavit invenire scortum.
Si vitasset aquas et litora, non fuisset albi
Europa plorans praeda facta tauri.
An fera caeruleis est luxuriosior iuvencis?
Daturne glaucas inter ulla virgo?
Innanteis mediis Nereidas ardor urit undis;
Tritone flagrat inquieta Doris.
Oceano maius non est neque turpius lupanar:
Impune spernunt Naiades tridentem;
Vivit ibi pistrix pendentibus exsoluta mammis
Cantuque Siren blanda fallit aureis.
Iuppiter ingenuum praedo quibus abstulit pudorem,
Mercede pactas iussit esse nymphas.
Humida sunt in aquis incendia, quod probat bitumen
Salisque thermae sulphurisque foetae.

Mulciber (haec fama est) uxorius ut placeret aegrae,
(Vexabat aegram coniugem catarrhus)
Sollicitus morbum depellere frigidamque tussim
Implevit ora fontium calore.
Durat adhuc multisque locis quibus aestuant cavernae,
Telluris uber flammeum liquescit.
Balnea naturae Vulcania nominamus; illis
Lavat Dione concolorque sexus
Rara vehunt purum iam flumina sordibus liquorem
Illime rara trudit urna vitrum.
Saepe quidem primo Pimplea ferocius scaturit
Geluque castum pollicetur unda.
Foedo polluitur mox crimine molliorque Baiis
Enervat artus foeminamque fundit.
Vertitur in fontem post fata libidinosus Acis,
Incesta Byblis solvit ore rivum.
Fonte vel inspecto Narcissus amavit insolenter
Desideratum se sibi procatus.
Alpheus fugitiva tuos, Arethusa, novit igneis
Antrisque caeca furta sub sicanis.
Denique quid Paphium multis opus explicare partum?
Loquatur ipse nominetque matrem.
Nam mala si corvus ponit malus ova furque furis,
Confecta res est et lupam tenemus.

Illius est infans, cuius bibit impudica moreis
Arteisque easdem possidet nocendi.
Ut Thetis e portu placidissima remiges in altum
Invitat aequor nesciosque mergit,
Sic meretrix oculis ridentibus allicit iuventam
Sorbetque blanda naufragam Charybdi.
In Scylla facies pulcerrima, sed canina saevum
Latrat papilla, latrat umbilicus.
Ceu mare salsa Venus sua gaudia terminat dolore;
Aestu marinos aemulatur aestus.
Innumeros haurit Neptunia nec redundat amneis:
Avara semper moecha dicit Affer.

Palinodia.

Rectius dici Venerem ex limo terrae originem traxisse.

In gratiam Ildephonsi Manirodae, Arsacii Mamirodae fr. de Adami lapsu eiusdemque peccati noxiis effectibus disputaturi.

ODE XXIII.

Lampade si dira tantum Venus ureret phaselum,
Nullis flagrarent ignibus quadrigae;
Forsitan orta salo credi dea posset irreperta:
Extra sed undas illa saevit aeque.
Utque exempla probant crudelius imperat sub axe
Torrente Mauros pauperes aquai.
Desinat obscuris Graium vetus error involucris
Docere pulcri vim genusque monstri.

Verius ac multo solertius, Ildephonse, pandis
Et insitivum fomitem malorum
Non Pelagi bullis candentibus imputas, sed eheu
Luto rubentis pulverique terrae,
Qua stetit effictus nostrum pater omniumque latro
Ausus superbe velle Numen esse.
Antiquas retegis silvas, ubi concupivit Eva
Fatale pomum noxiumque carpsit.
Corporis humani qui nuncvagus obsidet medullas,
Accendit ignem primus esuritor.
Is stimulo culpae lacer ossibus implicatus ardet,
Undantis Aetnae quantus est caminus.
Quod mirere tamen, non nititur evolare sursum
Instarque plumbi semper ima quaerit.
Terra Venus, terram soboles petit, improbus Cupido,
Levi puello cedit omne pondus.
Interea certis habitare cubilibus videmus,
Seu valle prona, colle seu supino.
Illi gratus Eryx Amathusque dicatur et Cytheram
Taedaeque fabra nuptialis Ida.
Iste per umbrosum volitat nemus excutitque mala,
Peccantis heres pertinax Adami.
Malo Cydippen delusit Acontius doloso
Astum nocentis aemulatus anguis.
Mollis adhuc hodie lascivia regnat in viretis,
Lenone serta dividente Maio.

Hic ludit petulans dryadum chorus elicitque saltu
Faunus latenteis capripes Napaeas,
Hic Erycina quatit terram pede quasque laesa tangit,
Rubore spinas imbuit rosarum;
Hic super arboribus suspiria sentiunt amantes,
Alnove glauca populove cana.
Hoc neque dissimulat vel Achaica vel Latina Clio
Floreis amori consecrans et hortos.
Ipsa sub occasum nam funera saepe floruerunt
Ornata miris frondium capillis,
Pyramus et Thisbe testes tibi; nunc uterque morus,
Olim puellus hic et haec puella.
Myrrha patri plus quam licet addere cara lacrymatur
Suumque nomen stillat uda myrrham.
Flavos in campis Hyacinthus et indices Adonis
Leti cruentos explicant colores.
Usque adeo siccam potius Venus asserit parentem
Sororque dici Naiadum recusat.
Sive tamen terrae gremio sata seu maris profundo,
Utroque, quam sit vana, prodit ortu:
Tam cito quippe levis fugit et brevis interit voluptas,
Quam flos in agro, cana spuma ponto.

Equus a s. Iobo descriptus c. XXXIX. et ab auctore cum gratia Dei comparatus ex illo Thomae Kempensis oraculo:

Suaviter equitat, quem gratia Dei portat.

Ad fortissimum heroem

Philippum Mandoram

Ex antiquissima familia Wackermannorum, in Caesareo exercitu militantem.

ODE XXIV.

Adduco pastum sidereis equum,
Philippe, campis, cui nec Ariona
Adrastus, Aethonemve solis
Lucifer aequiparare possit.

Huic cedit alae Cyllarus igneae
Flavique Xanthus pulcer Achillei.
Ut ore fulvum mandit aurum!
Ut virideis agitat smaragdos

Candetque spumis! ut male pendula
Ferocit humectare monilia!
Ceu vile dedignetur ostrum
Impatiens phalerarum et auri.

In iusta densum colla fluentibus
Erecta cervix luxuriat iubis,
Quas non in Argaei pruinis
Aut tumidi nive lavit Hebri,

Sed sparsus altis caedibus in sacro
Iordane tinxit. Caeruleus color
Glaucusque spadicem remiscet,
Quem Pholoe pecorosa laudat.

Mundi lutosas ingrediens vias
Sustollit argutum ad Superos caput.
Non ille pilentis iugari
Aut Cyprio patietur arvo

Versare glebas: non scelerum iugo
Pressus pudendam circumaget molam.
Fastidit indignos labores
Arduus opprobriumque culpae.

Undas et igneis per medios fugit,
Ventis et ala fulminis ocior.
Per summa camporum, marinae
Siccus aquae segetesque fertur,

Ut nulla culmos proterat ungula.
Hinnitus eius viva tonitrua,
Clangorque declamata circum
Colla datus sonitus acuti.

At non locustae more fugabitur
Durante pugna: gloria narium
Terrore fumat, nec sagittis
Nec facibus gladiove cedit.

Hinc vibret hastas ira vel ambitus,
Illinc pharetrae tela cupidinis
Figenda promant aut veneno
Invidiae medicata fastus,

Subit procellam fortior alipes
Fervens fremensque et sorbet anhelitu
Terram volaturusque nescit
Stare loco remorasque damnat.

Nisi antecedant classica, praefurit
Sibique factus buccina turbidum
Laetatur hostilique poscit
Pabula diripienda campo.

In Christianos bella moventibus
Late tyrannis ex stabulo procul
Saevos odoratur Nerones
Aure micans, Decioque dicit

Vah! Maximino vah! simul irruit
Flammis et atrum Ditis Alastora
Contemptor Orphnaeumque stricto
Calce ferit: simul insidentem

Ad astra tollens nubibus invehit
Scribitque gyros. Victor Olympica
Donatur Eleaque palma
Dis etiam Hippomedon canendus.

O digne tali, magnanimum genus,
Equo, iugalem, Mandora, gratiam
Conscende: secure veheris;
Non alio tamen usus olim

Cruenta stravit monstra Georgius.
Neu frena captes: te reget; invia
Permitte sectari superbo
(Nam labor est inhibere) passu.

Ad serenissimum Principem

Ferdinandum Carolum,

Archiducem Austriae etc. Comitem Tirolis etc.

ODE XXV.

Et te canemus nunc tenui lyra,
Olim tubarum Mercurialium
Fragore magno, Ferdinande,
Austriadum generosa cervix.

Quanquam Cybelle patria montibus
Inclusit altis, iam tamen emines
Sublimis Europamque et omnem
Intuitu velut ominoso

Metiris orbem; iam sapientia
Canis iuventae caesariem tuae
Ornavit; in matura tendis
Secula praeripuisse solers

Tantillus aevum: conscia mens sui
Monteis et annos transilit impares.
Sed est et ipsa laude forma
Corporis imperioque digna.

Frontem venustis Claudia Gratiis
Et Mediceo sidere miscuit
Deditque Florentina vivum
In facie radiare florem.

At pectus amplum et contremere igneum
Atque incubantem magnam animam pater
Possedit implevitque venas.
In roseo Leopoldus ore

Sedet videri laetus et aureo
Fulgore praesens. Ille quidem diem
Exemptus humanum reliquit
Alterius speculator orbis:

Tu vero vultu, moribus, indole
Sic vindicatam reddis imaginem,
Nil distet ut vivo sepultus.
O patriae pietatis heres

Ex asse, salve; qualiter imbuis
Commune votum! verba virum sonant:
Scis culmen inclinare civi.
Cum tot avis serieque longa

Possis et alti fulgure sanguinis,
Virtute mavis Ascanius cani.
Sic itur, o Princeps, ad astra,
Dis genite et geniture Divos.

Ad Io. Albulam.

Virtutis Genius.

ODE XXVI.

Virtus aetherei conscia sanguinis
Astrorumque soror non amat, Albula,
Inter serpere fungos
Et declivia vallium:

Semper summa petit; quo neque nubium
Nautam Romulei flammigerum Iovis
Pleno concita vento
Transfert penna satellitem.

Illius labor est nobile pabulum,
Acclinis clypeo porrigitur quies
Accenditque soporem
Belli dulce periculum.

Iam cum sidereis otia fratribus,
Iam cum fulminibus proelia dividit
Lustralique Tonantis
Gestit sulphure spargier.

Supra fata rapax tollere se domat
Formosis humilem sub pedibus metum.
Si Fortuna lacessit,
Constans adiicitur sibi.

At cum pulvereo fumat ab aequore,
Corpus non gelida fluminis abluit,
Sed sudore lavatur
Neglectu Dea pulcrior.

Auri nulla fames, nulla sitis lucri;
Dedignatur humum figere spiculis:
Arcus tota cupido
Metam fertur in arduam.

Promittente necem vulnere gloriae
Migrat cum domino fida comes suo
Heredique superbit
Linqui ceu spolium pigro.

Panegyricon.

De laudibus B. Mariae V.

Carmen votivum.

O D E XXVII.

Unde deducet tuus orsa vates,
Virgo centenis celebrata linguis?
Virgo centenis celebranda linguis,
Omnia cantant.
Hinc tibi circum nemorosa montes
Colla substernunt, ut in astra tollant,
In tuas illinc saliunt aquarum
Murmura laudeis.

Lucus Hermonis, Sabamaea prata,
Collis Engaddi, Balhamonis hortus,
Alta Carmeli iuga te reclini
Hospite gaudent.
Te capillatam velit Aura cedrum,
Quanta persultat Libanitis Austros:
Te velit molli platanum fluento
Lambere rivus.
Posceris flavae terebinthe valli,
Posceris clauso cyparisse campo:
Praeripit celsa tamen arce rupes
Sacra Sionis.
Te petunt saltus virides Phogori,
Te suis palmae foliis Cadanae,
Virgo, scripserunt Amanaeque vertex
Curvus adiri.
Ille Iordanes tibi transeunti
Hinc et hinc late vitreis in altum
Substitit mu is mediaeque cessit
Foederis arcae.
Stantis immotas Hesebonis undas
Pinxit insigni Zephyrus figura,
Quae tuos summo tibi, Nympha, reddit
Margine vultus.
Vena tu vitae puteo salutis
Irrigas siccos medicamque vivae
Lucis infundis scatebram dolore
Mentibus aegris.

Umbra tu crescens et opaca mali
Protegis fessos reficisque vireis.
In rubo spargis iubar ominosae
Herbida flammae.
Scala tu coeli superanda certos
Nexilis fulcri radios ab alto
Ducis in terram solidoque signas
Aere passus.
Seu polo dici Cynosura mavis,
Clara nocturno regis igne nautas;
Seu diem faustum bona nunciare
Nobilis Eos.
Illa captivi patris e fenestra
Missa post tristeis pluvias columba
Ore decerptam rediens tulisti
Pacis olivam.
Hispidi quamvis habitemus inter
Saxa Saniri, tamen ex Olympo
Diceris nobis gemuisse visis
Turturis instar,
Plumeum laeveis bene cuius alas
Pingat argentum, bene praeter alas
Cuius et collum varioque dorsum
Palleat auro.
Nos quidem raucae gemitu palumbes
Candidas coeli volucres fugamus:
Sunt tamen raucae tibi visa dignae
Cura palumbes.

Fixa qui coelo numerabit astra
Et maris guttas nemorumque crineis,
Se tuas iactet numerasse doteis
Falsus Apollo.
Verna post longas hiemes voluptas,
Dulce post nimbos animi serenum:
Grata messori medioque in aestu
Roscida nubes:
Qualis adversi rubet icta telo
Solis et presso sinuatur arcu,
Quae novos lucis variat repulsu
Mille colores.
Ista, suspenso licet orbe, nondum
Floridam densos animam per imbreis
Iris exhalet, tamen ex amico
Vulnere rorat.
Caeteri flores cito proteruntur
Et senes forma pereunte marcent:
Non timet mortem rosa, non aniles
Mystica rugas
Virgo: sed summas quis ad umbilicum
Exigat laudeis? niveis et ipse
Liliis venter gravidoque frugum
Turget acervo.

De Pompeio Magno, Iulio Caesare, Catone Uticensi in tabula depictis ab Alberto Durero.

Carmen Extemporale.

In gratiam clarissimi viri Io. Targisilii, qui ostenderat.

ODE XXVIII.

Partum tueri difficile est, ubi
Collisa virtus ipsa sibi nocet
Molesque iusto maior. Hi sunt,
Hi laceri duo frusta mundi

Damnosa. Canus ferre negat parem,
Calvus priorem; dividitur scelus:
Civilis a belli tumultu
Peliacae tonuere valles.

Per ipsa iuris viscera lanceam
Per et senatum torserat aemulus.
Extrema libertatis umbra
Hoc steterat removenda iactu.

At non eadem mente domabilis
Vultum tyranni sustinuit Cato.
Romana libertas Catoni
Posthabita placuisse Roma

Vitaque fertur; carior altera
Non uxor illi. Marmaricas simul
Nudi peragrarunt arenas,
Ense simul periere fixo.

Audire Caesar qui potuit sua
Manu peremptum, non potuit tamen
Videre servum. Quanta, Iuli,
Funera Thessalicis humasti

Vespillo campis! Rectius alteri
Impensus hosti, Thracibus aut Dacis
Fuisset ulturusque Crassum
Assyriis cruor ille Carrhis.

Palinodia.

Non abhorrere se a quibusdam Stoicae sectae scitis.

ODE XXIX.

Sint infecta precor, quae nuper facta volebam
Et ventis commissa ferantur.
Quod tibi sacrilego, vates, scelus excidit ore?
Tu veterem dimittere sectam?
Et profugus signis magnoque Catone relicto
Ad vilem decurrere vulgum?
Isara, curre retro: quique in mare volvitur Ister,
Summa petat cunabula Rheni.
Scilicet offensus rigida virtute recedis
Et praeceps te semita terret.
Audes laudati studiis contrarius aevi
Antiquos turbare sodales.
Sed quid ad haec Birrus, quid Virnia dicet amicus
Et maior Bascaudus utroque?

Tres istos Thraseae semper conferre solebas
Helvidio par ipse futurus.
Insuper evulgas cani secreta magistri,
Conatu temerata profano.
Ac merito possint tantum conficta videri
Alsaticae ludibria buccae.
Transfuga praeteritos ut damnes turpiter annos
Et Cynica de fraude queraris,
Cui noceas? nulla socii quos deseris arte
Propterea vel voce moventur,
Sed tua spernentes recto convitia vultu
Ut rigido stant aere columnae.
Non cadit in vere sapientem iniuria: cunctis
Ille malis sublimior extat.
Disce Stoae iam nunc praecepta immânia fundo
Virtutem solidare tenaci.
Disce, quod inculcant: Pulcrum est ut marmor ad ictus
Durari tormentaque frontem.
Pulcrum est in lacrymas nunquam subsidere, quamvis
Hinc glacies, hinc torqueat aestus.
Pulcrum est aeternis animos affigere signis
Et nullo terrore domandum
Fortunae tergum Fatisque ostendere pectus,
Quod signet formosa cicatrix.
Pulcer contemptus mortis, quaecunque citarit
Seu velox seu tardior hora;

Posse loqui fastos et semper dicere Vixi,
Vos nati coniuxque valete.
Cur igitur sacris fugi periurus ab aris?
Quis rapidum furor egit in arma?
Me me, adsum qui feci, in me converte, Riverna,
Nodosum, neque desine, fustem.
Peccavi fateorque nefas, quod cum cane gallus
Et serpens et simia plectat.
Posthac si fallam, ruat omnis porticus in me,
Fracta meum sit testa sepulcrum.
Cochleolas Phrygis assiduo versare paratus
Et tineas arcere libello:
Omnia, quae verax ructavit Corduba, lingam
Zenonis iuratus achates
Et, si fata ferant, sparsurus sanguine thermas
Cum Seneca mittente cruorem.

Ad Andream Labienum,

M. Labieni consultissimi viri Stoici f.

Praecepta vivendi Stoica.

O D E XXX.

Disce, quid prosit, Labiene Marci,
Prima dum floreis imitatur actas,
Dum comae vernant per et ora serpit
Umbra iuventae.

Decident olim virides capilli
In nivem cana subeunte Bruma.
Decidet vivax et amoena fissis
Purpura labris.
Cuncta labuntur fugiuntque passim
Sole per vastos fugiente campos:
Cumque Saturno reditura nunquam
Tempora currunt.
Ipsa festinat mora. Qualis unda
Ante se motam pede trudit undam,
Talis impellit nova semper horam
Hora sororem.
Una stat virtus medioque durat
Quo loco gressum solidata fixit.
Causa vivendi perit hac remota
Vitaque mors est.
Mitte cunctari bonus esse nec te
Differ incertum. Properas habere
Multa, quae non es: nec habere te velocius ambis?
Culpa vitetur: fluit haec in omneis
Fertilis poenas subigitque sontem.
Teste se solo reus est eodem
Iudice plexus.
Summa ne quaeras mediis iturus
Tutior campis propiorve ripae.
Semper aut ventos timet aut ruinam,
Quisquis in alto est.

Scilicet parvam Boreas phaselum
Praeterit glaucas prope litus herbas
Ungue carpentem; medioque sternit
Aequore classeis.
Si quid argenti gravis arca perdit,
Parce lamentis onerare coelum.
Quidquid amittes vitii, vocabis
Utile damnum.
Corporis formam patiens videri
Laxat astrictos humeris amictus:
Ut bonum cernas animique doteis,
Exue corpus.
Intus est, quo sis opulentus; intus
Gaza Persarum latet; intus auri
Vena sublucet penetranda: frustra
Quaeritur extra.
Vile Fortunam, Labiene, dices,
Turpe promissis et amore flecti,
Turpe mulcenti placidaeque laetum
Porgere vultum.
Turpe, cum blandam faciem retorsit,
Flere et irasci miseranda questum
More cedentis pueri columnam,
Si caput icit.
Qualis immenso bibit ore dulceis
Nereus lymphas, tamen ipse nunquam
Dulce mutatur sibi semper idem,
Semper amarus.

Talis adversas sapiens procellas
Haurit et sorteis variosque casus,
Frontis immotae facies colorem
Servat eundem.
Pauper infelix habet unde sese
Iactet et fatis velut exprobrando
Maior ostendat nitidum sinistri
Pollicis unguem.

Ad Christophorum Immolam,

Stoicum.

O D E XXXI.

De seipso.

Contemno quaedam et calco superbia
Laudabili: cur, Immola, serviam
Famae volutanti susurros?
Cur timeam sine Marte linguas?

Non est meum, si plebs amat aequior,
Gaudere, si plebs odit iniquior,
Dolere: permistam lupinis
Dedecorum decorumque mercem,

Quae pisculento venditur in foro,
Pari moneta solvo. Quid interest?
Contemnar a vili popello,
An celebrer digito faventis

Monstrandus, Hic est; seu mihi pollicem
Suburra vertat seu premat, improba
Virtute tantundem rependo
Meque mea involuo lacerna.

O D E XXXII.

Cantata feriis natalitiis Christi.

Speculum sine macula.

Ecce crystallus sine labe pura,
Cui suum toto Deus ore vultum
(Filium) impressit speculi nitentis
Captus amore.
Tota iam vere, Dea, tota pulcra es.
Tu quidem Virgo quoque pulcra: sed cum
Mater et Virgo celebraris, es te
Pulcrior ipsa.

Ad Albertum Murranum,

Stoicum.

O D E XXXIII.

Verae divitiae.

Sunt in tabernis ac stabulis opes
Foedumque cellis crimen olentibus,
Et in deorum fulget ara
Et cavea meretricis aurum.

Tam latro nummos quam patriae pater
Fert in crumena, nec magis integer
Ac castus argento sacerdos
Quam fruitur sceleratus augur.

Quodsi potentes illecebris forent,
Alberte, verum divitiae bonum,
Illas haberet sola virtus,
Sola daret; neque sic profanis

Concederentur mentibus ut sacris;
Passim frequenti ridiculum foro
Plebeia mendicaret aera
Flagitium; vacuusque culpae

Iret per omneis plenus opum vias.
Sic ergo tecum: Cur inhio lucris,
Quem magna certatim ferentem
Nunquam animo meliore possunt

Donare, quam sit, sed neque reddere
Ablata peiorem? an vacuas manus
Mens plena non compenset auro
Nobilior? Satis est agellus

Desideranti quod satis; unice
Possessus a me sufficio mihi.
Quid plura quaeram, parva si sunt
Optima, si bonus ipse praesto?

Ad Virginem Matrem

In crypta Monacensi propitiam.

ODE XXXIV.

Te licet, Virgo, decuisset arcus,
Qualis immani Latiae coruscat
Urbis in templo croceisve pingit
Nubibus Iris,
Heic tenebroso tamen in recessu
Parva contentam facilemque tecti
Ara sustentat modicaeque gaudes
Nomine cryptae.
Qui fit, o puri sata luce Solis?
Plurimum gaudes aditu sacrae caliginis pleno, bene quem replevit
Entheus horror.
Testis Oetingae celebrata sedes
Noctis arcanae pretio verenda,
Quaeque famosum nemus Helvetarum
Reddit Eremus.
Anne quod sicut Cedarena pellis
Ipsa sis pulcro quoque nigra vultu
Decolorantis nimios Olympi
Passa calores?
Anne servorum domitura fastum
Nunc quoque ancillam Domini professa
Culmen aularum radiosque et aurum
Sponte remittis?

Forsan, ut nobis adimas pudorem
Et scelus toto fateamur ore,
Amoves lumen nebulaque sepis
Iudicis iram.
Quidquid est, taleis tenebras amamus.
Dulcis obscurae placet aedis umbra.
Prae palatino mihi ridet iste
Angulus horto.

Vaticinium

De Augia Monacensi.

Cum eam ex crepidine propinqui clivi contemplaretur.

ODE XXXV.

Si prisca mecum volvo Palilia,
Quae, cum locaret moenia, Romulus
Dicata pastores quotannis
Iussit agris iterare pastor,

Augia, metam tu quoque proferes
Ultra fluentem longius Isaram
Urbique vicinae superba
Contiguas sociabis aedes.

Succrescit altam semen in arborem.
A fonte quamvis exiguo fluunt
Immensa per terras in altum
Flumina terrificantque classeis.

Altricis infans uberibus lupae
Pastus ferocem stravit Amulium
Duxitque muros quaeque primum
Fratre Remo rubuere fossae.

Urbs parva mundi facta caput patrum
Foecunda pleno sidere floruit,
Quando voluptatem Sabinae
Nescierant mediisque consul

Quaesitus arvis ante boves stetit,
Qui cras Faliscos sub iuga mitteret
Boum Fidenatesque victos
Iungeret et Gabios Latinis.

Orante Pyrrho divite supplicis
Contemptor auri Fabricius fabam
Coquebat et pulteis, colonus
Hic segetes, alibi rebellem

Messurus hostem. Pauperies manu
Subegit orbem; publica rusticus
Dictator e Veiente curru
Iura dabat populisque leges.

O Alba nunquam tota beatior
Scribenda fastis! Di quoque fictiles
Sunt plura concessisse visi
In casula Curibus saligna,

Quam cum Sabaeas Iuppiter aureus
Oleret aras. Sed tibi sanctius
Edico fatum, Boia pubes:
Si modico tua tecta sumptu,

Minore vitam duxeris integram,
Maiore Divum templa refeceris
Tuas in impensas avara,
Virgineae tamen inde Matri

Hinc purpurato prodiga Carolo:
Augia, cresces — veraque senseris,
Cum iam sepultum terra condet,
Alsatiae cecinisse vatem.

ODE XXXVI.

Melancholia.

Semper ego inclusus Germanae finibus orae
In Bavara tellure senescam!
Tristibus imperiis spatio retinemur in arcto
Et curtum male perdimus aevum.
Atqui vincla licet rupto dissolvere nodo
Et clausas diducere turreis:
Graeculus effugiens aliquis Minoia regna
Ceratas sibi sumpserat alas.
Sed neque fallaceis ventos tentare necesse est
Lapsuris super aequora pennis.

Tota mihi quamvis adeo Germania carcer,
Deterius quoque carcere corpus:
Libera mens tamen est, ubi vult habitatque volatque.
In pelago non impedit Auster,
In terris non tardat obex, transcendit et Alpes
Nubiferas ac sidera pulsat.
Accedit Phoebi donum, divina poesis.
Hac fretus velocior Euro
Euri nascentis patriam cunasque videbo
Aurorae rapiendus in ortum.

ODE XXXVII.

Auctor comite ac socio Iodoco Birro Constantinopolim perlustrat.

Enthusiasmus.

Hoc ergo Bizas, quod video, mare
Extrema Thracum ductus ad ostia,
Istamne Constantinus olim
Memnoniis habitavit oris

Metatus urbem? vertere, navita,
Remisque retro pelle Liburnicam,
Erramus in portu: sed alnum
Nec nocet applicuisse terris;

Visamus urbem. Pro rapidae vices,
Fatique cursus! heu volucris rota
Orbisque Fortunae per orbem
Lubricus ac facilis moveri!

Nempe ille tanti conditor imperi,
Iodoce, Romam condidit alteram
Dotalis Aurorae rubenti
In gremio stabilemque fixit,

Ut Turca tanto splendidius suas
Fundaret arceis! Quod poterit fretum,
Quae spuma nitri vos Achivos
Teque Palaeologum lavare?

En quo rebelleis error et impia
In Numen egit seditio! iacent,
Iacent avita sede pulsi.
Qui tumidos prius ac feroceis

Iusto Gelonos Marte subegerant,
Gemunt subacti; quos tremuit nigra
Et alba Thetys, iam flagellat
Argolico rubefacta tabo.

Figuntur altis crimina turribus;
Adversa Soli culmina fulgurant;
Lucent adoratae per arcus
Innumeros simulacra Lunae.

Eheu quot annos pulcraque secula
Dies nepotum perdidit unicus!
Segnis Dragoses quam verendi
Caniciem violavit aevi!

ODE XXXVIII.

Cantata in modum chori.

Cum auctor et Iodocus Birrus in foro Constantinopolitano multa indigna cernere cogerentur.

Isto, Birre, loco sistere lacrymas
Possis et gemitus! ipsa licet silex
Heic ploret Niobe, si videat malis
Tanto plura suis. En miserabilem
Vincti compedibus proluviem gregis!
Squalent funereis corpora sordibus.
Vultus horrifici, terribilis pilus:
Ungues in digitis sunt digitis pares.
Arctati iuvenes funibus in globum
Turbatis feriunt questubus aera.
Captivo mulier vellitur a viro.
Torvae deiiciunt lumina virgines,
Nudarum nimius paene dolor stupet.
In poenis miseras profuerat mori:
Letum continuum torquet acerbius.
O inculta ferae pectora Thraciae,
Seu vos pasta nigris bellua viperis
In litus pelagi faucibus exspuit,
Seu Getula tigris sive nocentior
Rupes naufragiis tristibus edidit:
Certe non hominis vos uterus tulit.
At quam se nitidis gens Othomannica,
Pantherae bipedes, vestibus excolunt!

Pendent ex humeris candida galbana
Ad talos scutulis usque fluentibus.
Omnes imposito turbine vertici
Sudant vile caput tollere celsius.
Ecquis caeruleas ingreditur senex
Indutus tunicas? turrigeram virens
Sapphiro cidaris caesariem premit:
Summae forsan erit Mufftius insulae,
Inter Bistonios nobilior popas.
Ut torrens rapidus confluit in forum
Linguis, ore, coma natio discolor.
Tortis mollis Arabs ambulat et Cilix
Et tortis aliter crinibus Aethiops.
Colchis mistus Iber, Sarmata Teutoni
Et Pelusiacis mercibus Italus.
Hi gestant gladios, hi iaculum manu;
Alter gesa ferens, alter acinacem.
Pars fuscant faciem, pars minio rubent.
Errant heic etiam Suevus et Alsata,
Ambo sub dominis pluribus exules.
Ex braccis prior agnoscitur: has queas
Vaginam potius dicere corporis.
A rhombis varium versicoloribus
Thoracem religat fibula multiplex.
Qui vero Salii per plateas canunt
Scindentes fatuo brachia vulnere?
Acti ceu furiis ad Berecynthiae
Spumant castra deae; scilicet obviis

Vendit ludibrium fraus Machometica
Nec gratis rabies carnificum dolet:
Sanguis post pretium. Fallor, an igneas
Sorberi video gutture laminas?
Os impune calens, aspice, sibilat
Scintillasque vomit; quo, nisi fascino,
Vulgareis oculos decipit histrio?
Hic semet vacuo gyrat in aere.
Auget prodigium fixus ahenеis.
Quos portavit equus, tempora calceis.
Emulgere catus Turca pecuniam
Quidvis incipiet, quidlibet audeat.
Signant Hippodromon Caesaris aeneae
Serpentes geminae: cur ibi plauditur?
Buxo multifori tibia personat.
Deducunt aliquem tympana laetius
Sparsis purpureum floribus. Ultimas
O quis nos Aquilo portet in insulas?
En, Iodoce, virum: qui Venetos tibi
Iactabat proceres seque parentibus
Thuscis progenitum, callidus hoc Sinon
Mendicare dolo: nunc tamen et fidem
Eiurat patriam et Romulidum sacra
Et cultri patitur crimina saxei.
Cur non ut Phinees irruo turpibus
Bacchantem thyasis sternere Zambrium?

ODE XXXIX.

Auctor indignabundus Constantinopolim relinquit et ad Boios revertitur.

Enthusiasmus.

At non sepulti pulvere Thracio
Manes avorum dedecus hoc sua
Post fata sperarunt, nec ipse
Barbaricis, animose Flavi,

Te polluendum credideras notis.
Sacrum profanus scurra palatium
Incestat et servire natus
In veteri dominatur aula.

Mutata cernas omnia. Decolor
Supra fenestras effigies: ubi
Sublimis in coelum tuenti
Sidereum tibi visa signum

Crux eminebat, vilis et ultimus
Planeta summis fulget honoribus
Tollitque inani plena fastu
Cornua supplicibus coronis

Ac ture cultus. Caedibus atria
Implentur et quo dormieras loco,
Praesepe foedatum solutis
Hinnit equis ululantque lixae.

Et efficacem nullus adhuc mnaum
Promittit ultor! nullus atrocium
Contra Gelonorum rapinas
Dardanius movet arma miles!

Ignava quid non imminuit quies?
Sensum malorum perdidimus mali
Doloris heredes; pudenda
Usque iuvat tolerare probra.

Atqui decebat iam Rhodon et Cyprum
Demsisse victis, iam iuga Bospori
Calcare victores et omnem
Hungaria pepulisse Lunam.

O quisquis audes, bella Propontidi
Armatus infer: bella mari sonent
Terraque; miles, stringe ferrum,
Scande ratem, propera dolones,

Incumbe in iras; deiice, deiice
Pinnis iniquum sidus et obrue
Novis vetustatem ruinis.
Se Geticus Sybarita nostra

In urbe iactet, rideat exules?
Sed haec tenaci, Birre, silentio
Cauti premamus, ne catena
Colla dati laqueove circum

Intertrahamur. Qua capimus fugam
Celoce? pontum cras iterabimus.
Me Phoebus in somno quietum
Corripuit simulatus ora

Nautaeque vesteis et docuit sacra
Ex fronde lauri fingere nobilem
Argo; carinam, transtra, remos
Velaque veliferumque malum

Arbos in usum suggerit unica.
Io vehamur; sic placide domum
Per stagna portatura vatem
Pegaseae repetemus undae.

Ad Virginem Matrem.

Kalendis Maiis. Anno MDCXLI.

ODE XL.

O quam te memorem, Dea,
Vitae praesidium et dulce decus meae,
Quae tandem niveo redux
Lunae curriculo pristina languidae
Menti gaudia sufficis.
Iam, quae tarda pigro torpuerat gelu,
Altum vena micans salit.
Rursus tento lyram certaque mobileis

)epectit radios manus
Et carmen tremulum, Virgo, tibi ferit.
[il gratum sine te meae
Respondent citharae: sed simul halitum
'ersensere tuum fides,
Vernant Aoniis continuo rosis
:t fontem prope limpidum
Luctu deposito lenius insonant,
uritum nemus assilit.
Sic o saepe veni, Diva, decentium
Iater blanda cupidinum,
Et longas reseca Pieridum moras.
'ecum vivere amem libens
Et, si fata vocant, non metuam mori.

Ambitionis

Ingenium et tormentum.

ODE XLI.

Venata summos Ambitio viros
Simul tenaceis fortiter attrahit
Dolosa chelas, vae retentam
Usque manum licet eiulantum
Constringit arcte, ni pueri fleant,
Missura nunquam; miserit: ocius
Redibit ad poenam libido
Acrior et cupiet dolere.

Quid istud aevum tristius inquinat,
Quam gloriosae rixa cupidinis?
Statura pro quanto labore
Bella placent pretioque mortes!

In hoc tumultu propulit integras
Classeis Adolphus seque Alemanniae
Infudit exultante cursu
Nubigenas imitatus amneis.

Hoc Lusitanos, hoc rotat Angliam,
Gallosque torvae miscet Iberiae:
Hoc paene Belgarum leonem
Sternit et in sua frangit ossa.

In omne praeceps itur et ultima
Tentantur armis. Cattigenae mari
Terraque decertant parati
Per medias equitare strages.

Qua rima regni vel tenuis micat,
Furtim lupinum porrigitur caput
Circumque balatus ovilis
Dens gladiis hebetandus instat.

Quivis beatum se spoliis fore
Desideratis credit et aestuat:
Frustra. Voluptas et triumphi et
Mars et honor titulique et aurum

Non vera nostri sunt animi bona.
Haec dico vates: Cuncta sibi bona
Ut quisque largiatur uni,
Cuncta negat, sua qui negavit.

Ad Marcum Losam Naswisium

Bernardi Losae Naswisii fr. rhetorem.

M. Tullii Ciceronis orationum Philippicarum usus,

sive

Examen conscientiae.

O D E XLII.

Qui verum sibi dicere
Coram non timide, non muliebriter
Vultu iudicis audeant,
Paucos inveniet nostra severitas,
Plureis copia Zoilos.
Raris pone latens mantica notior,
Quam frontis redimiculum
Aut mappa alterius tincta paropside.
Fastos excute Dardanos:
Nunquam Momus iners defuit urbibus.
Illum gignere si nequit
Infoecundus homo, parturient sues,
Omni scropha sub ilice.
His fungis etiam grandinat et pluit;

Cum ranis caput efferunt.
    Moreis et faciem praeter euntium
Liventes animae petunt
    Hamatisque cavant unguibus omnia,
Harpyiae velut improbae
    Phineas sanie polluerant dapes.
Nolis tu, Losa, talium
    Censorum fieri, qui sibi noctuae
Sint talpaeque domi, foris
    Stricto pervideant omnia lumine
Ut serpens Epidaurius.
    Quando exempla virum fortiter acrium
Te Romana trahunt, age
    Nasicam refer et Pompilium Numam
Castos, moribus integris.
    Sis Bruto gravior, sis rigidus Cato,
Sis Marcus quoque Tullius:
    Verum, Marce, tibi. Publica res nihil
Privatum minuat bonum.
    Cui facunda paras ore tonitrua?
Quis Romae nocet aut faces
    Tectis sacrilegas turbidus iniicit?
Consul, consule patriae.
    Sed parces, Cicero, longa minacibus
Curis oppida verrere.
    Quemcunque in speculo videris, hunc time
Infestum Capitolio.
    Quaerentis tacito pinnirapus latet

Fors Antonius in sinu.
Illi docte tuas Marce Philippicas
Impendes animosius.
Discedente die si male conscia
Mens damnet sceleris reum,
Aude verba loqui grande sonantia.
Cur tu patricius pugil
Periuris socias arma latronibus?
In me cur gladium geris?
Insonteis iugulas, civibus invides,
Praeponis Venerem Iovi,
Castis insidias virginibus struis.
Tu nudum populo latus
Et simplex hominis pectus adulterae
Monstrasti; bibis ac vomis
Inter thyrsigerae brachia Fulviae.
Exi: si renuit, voca
Lictores; meritis utere fascibus.
Tum felix (animus) tua
Stabit Roma suo perpetuum loco.

Ad D. V. Reginam Coeli,

In colossea ex orichalco statua ante palatium Sereniss. Electoris venerandam, hac subscriptione:

Patrona Boiariae.

ODE XLIII.

Qui palatinae tua signa moli,
Virgo, praefixit, colit eminentem
Non foris tantum, sed et intus ipso in
Pectore gestat.
Ille te propter medios in hosteis
Vadat exsultans animamque magnam
Prae suis Princeps oculis amatae
Effundat in ora.
Iure dilecti Ducis ordinatae
Praesides aulae, moderaris urbem;
Iure telluris Bavarae patronam
Fama salutat.
Cuncta te legum penes est potestas,
Regnaque et reges et opes superbae
Quaeque stellarum vehitur curuli
Gloria tergo.
Sceptra se flectunt nitidaeque gemmis
Dulce te coram trepidant coronae,
Cum sacrum praesens acuis severi
Fulgur honoris.

Ad clarissimum virum

Nicolaum Lucem,

Antonii Lucis, fortissimi militis, nepotem.

ODE XLIV.

Quid redux e Turcia viderit: detestatur Germaniae bella.

At vero vidi: Lux, oculum mihi
Utrumque demes: vidi ego Sarmatis
Erepta delubrique summo
Fixa tholo radiare signa

Circum Polonis illacrumantibus
Probro suorum; vidi ego Pannonum
Concisa loris terga; vidi
Tristibus irrubuisse flagris

Vinctas gementis Dalmatiae nurus;
Vidi puellas ac pueros foro
Prostare venaleis; amarus
Ibat in imperiosa mango

Pendens adactis verbera taureis.
Lascivus emptor corpora funibus
Traxit catervatim per urbem
Utque canes ferus egit ante.

Captiva pubes Christiadum solo
Defixa vultum, scissa rudentibus,
Lassata Maeandris viarum
In stabulis ululavit Aemi.

Sic Turca nosci gaudet in omnia
Praelargus irae, qua Tanais fluit
Nilusque et Ister quaque Orontes
Et medio maria alta tractu.

At nos tot annis egregie geri
Civile bellum credimus heu nimis
Incuriosi, quid tyrannus
Orbis agat genitusque latro,

Quot ille campos demetat ensibus
Arceisque vastet; turpius (heu pudor!)
In nostra vesani rotare
Membra globos calidumque ferrum.

Nondumne finis? surgite Teutones:
Sat est cruento dedecori datum.
Sit vita Germanusque sanguis
In pretio neque more vaccae

Tingat macellum: degeneres sequi
Negat triumphus; surgite viribus
Ad arma coniunctis et una
Frenigeras sociate dextras.

Quam vestra toti nomina fabulam
Fecere mundo, nunc melioribus
Delete signis: ite porro,
Quo croceo vocat ipsa curru

Aurora supplex. De grege Bistonum
Orco dicandas mittite victimas:
Omnes ut incumbant securi,
Hanc veniam meruere solam.

Ad Arbogastum Harphium.

Atheos huius saeculi sub larva nominis politici latentes detestatur.

ODE XLV.

Enthusiasmus.

Aut ex profundo duxit amystides
Obliviosi fluminis otio
Mortale vulgus nec stuporem
Exiguo bibit ore mentis,

Aut stirps caducis arboribus sata
Iamque exsecratis, quas Scinis improbi
Scironque latrones in arcum
Flectere funereum solebant,

Primaeva rursum in robora et horridas
Migravit ornos, aut Epimethida
Certum est sepulti membra mundi
Ex solido reparasse saxo,

Cum pone iecit semina montium
Truncasque rupeis, unde novum genus
Surrexit e terra, sed eheu
Marmoreo nimis ore durum

Nimisque iactus et patriae memor
Propago glebae: non libet ardua
Virtute niti, non sereno
Sole frui faciemque dignam

Praebere coelo, quanquam etiam nigras
Minere ranas regnaque tristia:
Non plus movetur, quam Pachyni
Saxa Caledoniaeque silvae.

Fides, avito quae steterat tholo,
Contusa pugnis et colaphis iacet.
Auriga curru, nauta remo,
Miles equo properant ad orcum,

Post fata nulla se fore creduli
(Vesanus error!) parte superstites.
Hoc fonte derivata manant
In proceres mala purpuratos.

Non una, si fas dicere, paenula
Foetens eodem stillat ab ulcere.
Et Numen accensis tonare
Nubibus et quatere ima terrae

Miramur, Harphi? nil equidem precor:
Qui cuncta terres secula fulmine,
Insurge, Vindex, et trisulcos
Congemina iaculator igneis.

Quodsi nocenteis non satis est pati
Civile bellum, tela Typhoeis
Maiora vibra; iunge vireis
Odrysias; redeant ab umbris

Primi Bohemae caedis aruspices.
Turnus Viennam, Gabor Iazygum
Subnixus armis turbet omnem
Pannoniam revoletque corvus

Mansfeldiani signifer agminis.
Et proditores et Walesteinii
Bifrontis oestrum et Fas Nefasque et
Flante duplex Aquilone Suecus

Et motae ab imo grandia Balthidos
Cete et Batavi rursus Aquarii
Saevire festinent; malorum
In cumulum recidiva ferro

Europa Pomum flebile mordeat:
Lis unde morbique atque Hecateide
Pestes in herba et ex sepulto
Saeva Fames oriantur osse.

Impune nullum quadrupedum genus
Tangatur; ipsae iam noceant oves;
Aratra subvertat coloni
Taurus et effugiat securim.

Confusa rubro sole parelia
Diem cruentis vultibus inquinent,
Turboque et insani cometae
Belligeram vehat aura nubem.

Ruant et amnes et nemora et iuga
Monteisque totos praecipitet fragor
Et grando diversi coloris
Et pluviae picis ac rudentum

Incocta cano vincula sulphure,
Cocytioque e gurgite spiritus
Tetri procellarum et frementum hinnitus aquarum Acheronte moto

Et Styx arenas et Phlegethon truces
Eructet undas. Omnia (sed iuva,
O Mater irati Tonantis)
Iam meriti sumus et meremur.

Triumphus

B. Mariae Virginis

Sub titulo Refugii peccatorum.

Cum Schleishemii aram S. Guilielmi contemplaretur.

O D E XLVI.

O ego qualem feror in triumphum!
Sic ames nosci, generosa Virgo,
Cincta Bernardis liquidi refectis
Ubere coeli.

Tanta bellatrix videare nondum,
Quanta, cum duri Guilielmus oris
Colla submisit subito tremore
Fusus humi Dux.
Militem campus probat et duellum;
Mota Tyrrheni salis unda nautam,
Cum decem monteis struit et propinquis
Nubibus infert.
Facta te laudant. Superi minores
Ulceris curent levioris aegrum
Siqua pallorem reditura duxit
Febris in ore:
Diva Divorum genus omne morbi
Intimo mentis fugat ex recessu
Efficax venis procul insidentem
Pellere mortem.
Turgidus nummis tibi cedit hydrops;
Supplices fastum posuere venti.
Cessat amplexu Veneris petulcus
Serpere cancer.
Te nec afflicti pudet ad triremim:
Gloriabundae similis scelestos
Inter exsultas lepidam per astra
Ducere praedam.
Inter audaceis manifesta fures,
Inter armatos graderis latrones
Et rotae cultros placidoque signas
Sidere furcam.

Culeum quinta meritus securi,
Mille nocturnis laqueos rapinis,
Ignibus flammas, tua sunt sub ipsum
Gaudia bustum.
Saepe peccantis licet obstinatam
Percutis frontem pluviasque duro
Elicis saxo, lacrymis fluit Mar-
pesia cautes.
Te suam, Virgo, vocat illa matrem,
Quae vel excussit thalamo sorores,
Vel recens turpi mulier luparum e
Fornice prodit
Thais exemplo. Quoties ab imo
Invidet stridens et anhelat orco
Raptor infernus bifidoque terram
Ter pede pulsat?
Sibilis at tu nihil eiulantis
Mota subrides hilarique vultu
Torva calcatum Nebulonem amaro im-
pingis Averno.

ODE XLVII.

Scripturus historiam sui temporis veritati nudam aram ponit.

Anno M. DC. XLII.

Qualem Noemus montibus altior
Enavigatis, Oceani simul
Subsedit aestus, fertur aram
Ex rudibus statuisse saxis,

Heic pono supplex, o Dea pulcrius
Soluta crineis, rustica Veritas.
Non Atticum promitto marmor
Arte Scopae variatum et auro

Superque eburni pocula Mentoris:
Natura cultu simplice gratius
Divos honorat, prona far vel
Viva focis adolere tura.

Quamvis Sabaeo funera misceas
Odore, foetent; quidquid in ambitum
Libido cogit seu labore
Seu pretio, minus enitescit

Metu veneni. Cinnamei quoque
Incensa libri pagina proditur
Halare suspectum vaporem.
Difficile est volitante fumo

Nareis aduncas demere posteris:
Impune maneis subiiciunt sibi
Moreisque censendos supinant
Factaque discutiunt avorum.

Dicenda pictis res phaleris sine
Et absque palpo. Discite strenuum
Audire verum: me sciente
Fabula non peragetur ulla.

Non est meum descendere ad oscula
Impura famae et fingere bracteas
Larvisque luctari superbis
Aut nimias acuisse laudeis.

Adversa quodsi sors mihi durius
Nunquam ferendis conditionibus
Obstet reluctantemque cogat
Non nisi delicias loquaceis

Et laureatas scribere literas;
Sparta relicta corripiam silens
Iniqua tum vindex amaro
Secula despiciamque risu.

Heliotropium

sive

Mens hominis ad Deum versa.

O D E XLVIII.

Iamque adeo toti nutu pendemus ab uno,
Alea iacta semel.

Numinis imperio commisimus omnia: tanti
Sit retinere nihil.
Jusserit: in Libycis stivam ducemus arenis
Caucaseove iugo.
Jusserit: Ionia remos lentabimus unda
Carpathioque freto.
Observent timidi mergum fulicasque marinas,
Quid meditentur aves
Litoreae, fallax quo vento strideat aer;
Quid nova luna coquat:
An tristeis vultu portendat lurida nimbos,
Anne serena micet,
Dormiat, an refluum vesano concita cornu
Arietet Oceanum.
Si Deus ire monet, nunquam retinebit Orion
Nubilus inter aquas:
Ut gladio findat mediae fundamina navis,
Tutior asser erit.
Sed neque Phoebeis aetatem metiar annis,
Pendulus a radio.
Ille meas, quo non alter formosior, horas
Temperat, ille meus
Sol maior parvique faber totoque videndus
Altior axe scopus.
Huc desiderium iaculetur pectoris arcus,
Quanta pharetra patet.
Certior huc pleno, quo meta remotior, ictu
Nostra sagitta volat.

Ad Virginem Matrem,

Pro euthanasia sive felici morte.

Carmen votivum.

O D E XLIX.

O Diva, vitae praeses et altera
Spes vatis, olim cui mea me super
Servum dicavi: da, priusquam
Fata citent oculosque claudant,

Da poenitenteis et lacrymas sacro
Dolore laetas in mare Creticum
Quascunque proiectura noxas.
Tum tenera mea fila dextra

Abscinde, Virgo; neu fragilem colum
Tres fabulosae praecipitent anus:
Diffido. Tu devolve nostram,
Iure tuam potiore lanam.

Hoc esto votum, sic precor ultima
Ex cordis urna vita fluat, meus
Sic stagnet in maioris aevi
Oceanum gracileisque bullas

Aeternitati misceat Isara.
Sic elabora, sic bene praepara
Perambulandum luctuosae
Mortis iter placidoque somno

Compone maneis. Hi voveant opes
Aedemque ponant, caedat hic impares
Agnos pavimentumque sparsis
Visceribus linat hostiarum:

Ast ipse supplex, ipse ego taeniam
Gestabo vittasque: ipse tibi cadam
Evincta circum fronde lauri
Victima procubitura ad aras.

JACOBI BALDE S. J.

LIBER EPODON.

ODE I.

Classicum

ad ordines S. R. Imperii.

Ut intestini belli sedem e patria in Turciam transferant.

Quid iuvat in proprium corpus saevire, Quirites,
Hostisque nil parcentis, heu, frangi vice?
In patria morteis et vestras perditis iras:
Efferte dignis commodandas stragibus,
Finibus Imperii sonteis efferte triumphos
Nocentiori diluendos sanguine.
Ire decet, qua Thraces arant, ubi Bosporus ingens
Ad summa tollit astra nimbosum caput.
Hic habitat cervix toto mucrone rotanda,
In huius omnis saeviat fibras chalybs,
Iste odium mundi mundo ulciscente meretur
Cum stirpe tota totus exscindi nepos.
Quis nescit, quo se gens haec promoverit ortu?
Ut illa vestris laeta damnis creverit?
E tenui nido pennas Osmannus in orbem
Late tetendit et volando latius
Romanis aquilis infra sua sceptra relictis
Spretoque vani fulminis bitumine.

Heu, ubi nunc florens mutato Graecia vultu?
Moeret probroso sub Gelonorum iugo.
Et campi et montes et silvae et flumina lugent
Populique et urbes et tenaces insulae.
Lugent Thessaliae saltus et Pindus et Othrys
Athosque et Ossa cumque Hymetto Pelius.
Te quoque barbaries, Helicon doctissime, sepsit,
Quod Phoebus unum forsan haud praesenserat;
Quasque feras nutris, nunquam, licet Orpheus alter
Cantet, sonantis voce mansuescent lyrae.
Perditus Eurotas liquidique Alphaeus amoris,
Luctante puppes Thracias tergo ferunt.
Inache, quaesita est olim tibi filia: sed nunc
Amissus ipse gemina defles funera.
Herculeis frangi malles, Acheloe, lacertis
Libidinoso quam subesse Concano.
Addidit et Lemno Scyron Lesbonque Rhodonque;
Qui Chia vina, potat idem Cypria.
His fruitur praedo, cuius Bithynia tota est
Et quidquid inter funditur Chalcedona.
Indomitos idem Pisidas patere coegit;
Paret subactus Cappadox, paret Cilix.
Nil paene ex toto superest Oriente decoris,
Quod non recenti Thrax rapina polluit.
Ivit in amplexus turpeis Aurora tyranni
Deserere castum iussa Tithoni torum.

Non tam mane gemens occisum Memnona plorat,
Quam parricidae vim suumque dedecus.
Prima dies nostris modice libanda fenestris
Infecta diro prodit huius halitu.
Unde per Europam corrupto sidere pestes
Centumque eodem fonte fluxerunt mala.
At neque devexo petulans amentia soli
Parcit, nec ulla raptor exspirat mora.
Pannoniam quoties ferro populatus et igni
Venetumque fineis Marte cuncta miscuit!
Eheu rasa caput famulatur Buda tiarae,
Regalis Alba periit et Strigonium.
Ausus et Austriacam subter penetrare Viennam,
Quantum minarum fossor eiecit solo!
Servorum lamenta querar tristeisque catastas
Infraque scalam vincla captivi gregis?
Mors miseris optanda quidem, sed amata negatur;
Et moesta magnis vita mactatur malis.
Ergo homines ritu pecorum terraque marique
Sparis aguntur aut trahuntur cannabe.
Passim Nicopoli resonant immane catenae
Et Christianus influit sanguis foro.
Antiochi muros intra caulasque Damasci
Merx flenda vaenit atque flens et vapulat.
Delectu rabies gaudet: formosior aetas
Mollita cultris non amare cogitur.
Deformis, tanto pulcris felicior annis,
Graveis frementis tolerat insultus heri.

Scinditur et talo sic castigatur ab imo,
Ut macerante plaga verminet sale.
Foemina nobilior servata in pellicis usum
Caveis ut olim bella clauditur fera.
Deterior pellis praedae in fastidia cedit
Formamque praesens sexus absentem luit,
Damnatusque fame duris aut sudat aratris
Aut discit ovibus invidere pascua.
Servi in transtra cadunt; illos rostrata triremis
Medioque ponto durus exercet labor.
Vixque fatigati respirant, cum male nautas
Terribilis ultor multat ac remos ciet:
Fortiter impacti strident in terga cameli
Crepante ventris tauriformi tympano.
Teutoniae proceres vosque, o quicunque cruore
Gaudetis uti perditorum Teutonum:
Ista precor vestram moveant spectacula mentem.
Cur (heu pudendum) civis in civem ruit?
Si fera bella placeant, placent et opima suasque
Meritura laudeis ac secundos auspices.
Caedibus Odrysiis iustum satiate dolorem;
Mergatur avida fonte Strymonio sitis.
Pars autem vestri petitur quotacunque Gradivi,
Ut Turca toto pereat expulsus die?
Non opus est Geticae vires adhibere ruinae,
Cum scelere quantas vestra clades exigit:
Sufficit immodici centesima portio belli
Et ira deses nullius cotis memor.

Hoc quem fuderunt quatuor iam sanguine lustra
Quoties Eoum potuit acquiri caput!
Vos Constantini summa iam sede locati
Regeretis uno duplicem nutu polum;
Iret ab occasu Romanum nomen ad ortum
Et ubique Caesar diceretur Flavius.
Vester Halys, vester Tigris foret; Aulide portu
Iam vestra staret classis in Boeotia.
Ultra Caucaseas et Tauri claustra pruinas
Spoliis superbus miles isset barbaris
Qui nunc mentis inops patriaeque in finibus haerens,
Seu vincat hostem, sive vincatur, furit.
Stultitiae genus est peilis opponere peila
Et avis nepotes atque natos patribus,
Spicula cum possent aliena in viscera mergi
Laudante coelo teste ferientis manum.
At neque militiae tali sua laurea constat,
Nec digna ferrum nundinatur praemia.
Pro veteri claustro, vilis pro caespite glebae
Sterilique saltu tanta sudant crimina.
Pinguius o quanto daret uber Achaia, quanto
Fertilior illis nascitur campis seges!
Vitibus arva rubent plenisque canalibus exit
Et navigando spumat autumnus lacu.
Innumeris auri venis secreta coruscat
Partuque tellus gestit exsolvi suo.

Arma modo in diros convertite Bistonas, arma:
Opulenta nullam praeda destituet famem.
Irruite, et Fatis et vestro credite vati,
Ne dissidenteis occupet prior Scytha.
Inferiis totam, sociis solatia caesis
Tot liberorum millibus, gentem date.
Effoetas Veneris pecudes recutitaque Lunae
Armenta laetis submovete pascuis.
Alcides veros Othomannica sentiat hydra,
Ne viperino colla trunco pullulent.
Si pelagus tentare placet, fluitantia venti
Iam bella spirant et petunt stipendium.
Spondet opem Boreas et mobilis Africus alis,
Notusque et Eurus litore accincti sedent
Immensam Oceano stragem renovare parati:
Qualem Corinthus vidit olim territa,
Cum super Hispanas acies Victoria sedit
Siderea pulcrae similis ora Virgini
Threiciosque canes in gurgite Naupactaeo
Oppressit altis susque deque fluctibus.
Ite alacres plenasque viris infundite puppes:
Praestabit ipse tuta Nereus aequora.
Iam buccas inflat toto patre turgidus Auster
Siccasque pennas spargit ingenti salo.
Desuper armatis in Turcas nubibus aether
Piceisque taedis atra tempestas ruet.
Vobis (omen enim pronum est deducere coelo)
Manifesta dextro signa fulgent Castore

Hortanturque viam. Vadant, proclamat Orion
Et acuta primus astra vagina eripit,
Ut iuvet, et strictos tantisper commodat igneis.
Arripite fulgur militaris baltei.
Quanquam etiam si nulla foret super hasta vel ensis,
Adhuc in hostem recta eundum censeam.
Quid petitis gladios? odio pugnetur et ira,
Manuumque maius ipsa sit telum manus.

Nemesis sancta,

sive

Modus vindicandi se Christianus.

ODE II.

At, o sceleste, qui meos versus secas
Mordesque nigris dentibus,
Ego te domabo et memet ulciscar probe.
Ades, cruente Zoile:
Te criminosum dulcis ultor omnibus
Devoveo primum Gratiis,
Quae te volentem flere ridentem velint
Amosse caepas sedulae
Et, ne trucem ructare possis spiritum,
Pellita demant allia.
Riget caduci flumen ora nectaris,
Quod elaborarint apes.

Tibi, nefande, quod mereris imprecor:
Ut mane nunquam dormias
Placidoque noctem transigas mersam Deo,
Cum pura ludunt somnia,
Vigilique vota res in omneis transeant,
Quascunque concupiveris.
Ut in canistris sponte nascatur Ceres
De flore candidissimo
Et imputatam Formiano vineam
Humore Bacchus impleat.
Mereris, importune, Tuccii famem
Lautasque Luculli dapes,
Sitim Catonis pervagantis Africam
Et Manlianas amphoras.
Di facite, ut oris inverecundus Theon
Multoque turpis polypo
Cogatur esse laetus ac felicior
Auctore, quem diverberat.
Ut vilis illi de patella gobius
Vertatur in mollem scarum,
Et ex olente putidoque pinguior
Muraena fiat gammaro.
Fallatur, opto, densque deceptus fremat
Turdum dari pro passere
Et, cum palumbum credet immorsum gulae,
Premat volucrem Phasidis.
Cur lentus irae Naso non velocius
Ibin necandum permolo?

Ubi estis, albae Furiae et astra mitibus
Flammis nihil nocentia?
Ubi lene fulmen stans Iuli vertice
Et laeva sunt tonitrua?
Te vere Zephyrus afflet et bruma Notus
Et Eurus autumno ferox;
Tuamque circa murmuret pestis domum
Portas inaudax ingredi.
Te cura semper fugiat et lites tori
Et plena linguis iurgia.
Habeasque quidquid imprecatus est suis
Nasica Romae civibus
Suoque Flacco multa Maecenas vovens
Et Flaccus Augusto suo.
Servet tenorem vena, pectus vividis
Exulceretur gaudiis.
Proculque lesso, praeficis pulsis procul
Infestet aureis Orpheus.
Indigne Mome, quem trisulco Iuppiter
Aestivus urat sulphure
Pontove Nereus mergat aut movens cavo
Tellus hiatu sorbeat:
Quid, ut stupens me turpis instar bubali
Et intonatus aspicis?
Satisne nostris palpitas Diris bene
Confossus ominantibus?
Ni mox facessas hinc et in coelum voles,
Enitar implacabilis

Benignioreis iacere carbones super
Hoc multa risurum caput.

Ad nobilissimum iuvenem

Bennonem Chusium de Chusiis

Secundum natalitias Christi ferias in Deo dicatam Familiam migraturum.

O D E III.

Chusi, nihil te sicut antea iuvet
Quaerere divitias
Amore perculsum novo.

Amore, quo te praeter omneis expetit
In stabulo pecudum
Algens Puellus urere.

Ingressus antrum non opes inveneris:
Ex radiante Tago
Nec una stillat guttula.

Ubique, Chusi, semper errant pauperes
More fluentis aquae;
Hic ipsa Paupertas iacet.

En ut reclinis presset hinc foenum Puer,
Inde manu stipulam!
Aulaea nent araneae,

Hiems cubile praebet et cunas ferae;
Membra fovet Boreas
Crudo tenella spiritu.

Egere, Chusi, nunc beatius putem,
Quam super Arsacii
Dormire segmentis tori.

Hoc vagit Infans, lacera clamat fascia,
Tota specus loquitur,
Stratae perorant belluae.

Compendio nos mutus aurum spernere
Bos asinusque docet.
Tacete, Graii rhetores:

Doctis Athenis ruminat facundius
Corniger iste Plato
Mugitque Vende praedia.

Accurre Roma: gratius Bethlemio
Tullius Arcadiae
Auritus in foro rudit.

Ad Christophorum Sonnam,

Ludovici Sonnae fr.

O D E IV.

Aulam esse scholam patientiae.

Compesce vota latius palantia,
Amice Fortunae rudis.
Promittit annus multa Iano praeside
Pulcrisque sol exordiis;

Sed plura grando cumque Saturno sene
Nimbosus Auster dissipat.
Perstare summo vix datur diu loco,
Quem raptor occupaveris.
Enata subito colla, quo fungi caput
Sursum extulerunt impetu,
Humant eodem fata. Festinat mori
Ortus repens cucurbitae.
Crescente luna Luna crevit Alvarus,
Famosa fax Iberiae:
Idemque decrescente decrevit simul
Ad usque demptum verticem.
Ergo hoc agendum, Sonna: sperandum bene,
Sed cum labore fortiter.
Properare nolis: capere selectam licet
Occasionem de die.
In matris aulae ventre turgenti lates
Recens honoris embryo.
Communis alter, quemque natura educat,
Novem moratur mensibus:
At te priusquam Partumeia servitus
Enixa sistat Gloriae,
Totidem latebis forsan annis infimo
Scalae repostus angulo,
Excocta proles improbis laboribus,
Ut partus Alcmenae fuit.
Quippe generando maxumi Alcidae Iovis
Nox una non suffecerat.

Iam mane ummo se stupebat Hesperum
Adhuc vocari Lucifer,
Nondum ille fortis liquerat terras pater
Iunonis in torum redux.
Nutus herileis fixus observa, vigil
Percurre lynce plurima.
Standum est, velut si Iuppiter Statorius
Olim sedere nescias.
Standum est, in alta donec immoti pedes
Tellure radices agant.
Nec, si molestus humor in nervum cadens
Varicosa crura torqueat,
Vespasiani deseres stantis situm:
Decebit et stantem mori.
Sic invidendas laetus et multo oblitas
Splendore clitellas subi
Ipso onere felix sicut alis alites.
Sunt grata quaedam pondera
Emancipatos asseclas decentia
Spe pinguioris sportulae.
Ausis nitere veste, cuius fimbriam
Sarranus imber tinxerit.
Ausis superbo celsus ire mannulo
Plebeia super pilea.
Vultum virilem posco: pectini minus,
Sed nil aratro debeat.
Sit absque sulcis; improbos ut terreas,
Licebit esse nubilo.

Molleis adiri comis ornat gratia.
Placet rotunda veritas,
Non vacua rebus verba, non cassae nucis
Promissa scintillantia.
Praemoneo: iam nunc disce sortis aemulum
Et notum et ignotum pati.
Ingens per omneis saevit aulas nec novum,
Invidia, tormenti genus,
Peius metalli mugientis ignibus,
Peius pio Busiride.
Virtute gratas dividente tesseras
Dolosus adstat Ambitus
Et inquieto fluctuat mens alveo
Curaque cura nititur.
Heic tu memento semper humanas vices
Caeco rotari turbine.
Prensare cristas certus altae cassidis
Fit saepe vilis ocrea.
Exterge bilem, candidos tibi dies
Sol crastinus fors annuet.
Ut audiaris, applicabis regio
Submissus ora popliti.
Isthic feruntur, quae vetus paroemia,
Aureis habere principes.
Felicitatis frena post haec attrahe,
Ne contumax recalcitret.
Sed, sive scandis summa more capreae
Haerentis in fastigio:

Seu qualis ursus ninguido excussus iugo
Praeceps ad ima volveris,
Te vince, Fatis cede, Fortunae mala
Forti cachinno decoque.

ODE V.

Cum ad D. Virginem Oetinganam supplex inviseret. Anno M. DC. XL.

Te, mea Lux, video! salve dulcissima rerum.
Te video, proprium
Enixa Patrem filia!

Exclamare libet. Deus hic Deus, o Dea certe:
Nam sacer horror inest
Et numen arcanum patet.

O vere tutela Ducum populique fluentis
Huc in aquae speciem
Motantis extremum mare.

Caesaribus bene nota domus, queis una voluptas
Mente genuque tenus
In supplices procumbere.

Regna tibi natosque suos urbisque Quiriteis
Sceptraque cum gladiis
Accline suspendunt onus.

Tu statio nautis, medio tu portus in alto.
Corpora caeruleis
Mergenda phocis eripis.

Tu morbos mortemque fugas; tibi sibila ponit
Anguis et in viridi
Natat veneno sanitas.
Fata iubes pronosque gradu consistere casus,
Membraque vulneribus
Disrupta rursus integras.
Tu nitidos oculum languentem accendis in usus,
Corporis et calidi
Secreta pellis frigora.
Sternaces placantur equi te frena regente;
Te cohibente Notos
Elisa tempestas cadit,
Horrida ceu vitreae rumpuntur fulmina bullae,
Nec satis ipsa sibi
Alisque fidunt flammeis.
Pinguia tu sterili maturas semina campo
Vere pigrae Cereri
Festina calcar addere.
Tu melior nostris volitas Victoria bellis
Castra virosque super
Terrere Suecos efficax.
Tillius hinc vireis animosque accepit et iras
Armaque sanguineis
Infecta truncis hostium.
Ipse tibi, qui nunc Bavaras moderatur habenas,
Se minor inque solo
Laetum gemens asternitur.

Da niveos illi cum coniuge vivere soles,
Deque tuis radios
Dulceis ocellis imprime.
Da geminam prolem, cani solatia patris,
Patris et in segetes
Aequante culmo crescere.
Me quoque—quam cuperem quaedam tibi dicere in aurem!
Sed properante rota
Auriga saevus avocat.
Siste gradum: Dux ipse manet, cras, quando remittet
India Solis equos,
Et tu reduces quatuor.

ODE VI.

De veneranda icone B. V. et sacrario Oetingano.

Iuverit interea dilectae Virginis aedem
Donaque cum titulis
Lustrare circum pendula.
Non aurata nitent fulvo laquearia coelo;
Praxitelisque nihil,
Nil delicati Zeuxidis.
Caetera compensant artem: placet Antonino
Caesare structa domus,
Squalor placet fuliginis.

Scilicet antiquo talem Rupertus ab aevo
Vindicat et mediam
Flammis et Hunnis eripit.

Ille planetarum septem discrimina lustrans
Et scelerum tenebris
Nixum cubile siderum,

Indignatus ibi Romana piacula sedem
Figere cumque sua
Sorore Titanem coli,

Cur nostras incestat, ait, Dis turpibus oras
Prisca superstitio
Aris ab usque Dardanis?

Cede profane Phanes et cum Iove Luna Venusque,
Martis avique probrum,
Mentite, cede, Mercuri.

Dixit et eiectis purgavit limina monstris.
Nobiliore tholo
Sacram locans imaginem.

Haec te, Diva, refert, qualem modo cernimus intra
Septa duumque pedum
Angustias mirabilem.

Sceptrum laeva gerit; caput est diademate cinctum;
Suppositaeque Deus
Dextrae Puellus insidet.

Ex quercu lenis species ac blanda rogari,
Lumina mite pia
Et dulce conniventia.
Nigra quidem, formosa tamen; neglecta renidet
Pulcrius effigies
Crescitque simplex gratia.
De rudibus spirat maiestas ardua sulcis;
Nox quoque grata decet
Mistumque praestringit diem.
Mole carens virtute valet; tam parva colossos
Deprimit, et cubitus
Videtur esse pyramis.
His manibus, credo, serpens elisus et hoc est
Pressus ad ima pede
Orcoque virus inspuit.

ODE VII.

Origo arboris tiliae ante sacellum Oetingae stantis.

Est aliquid lepidam post funera vivere vitam:
Rem canto dignam vatibus.
Quae viret Oetingae spatioque indulget et auram
Inumbrat arbor frondibus,
Non habet enatum nemorali semine stemma,
Ut fagus, ilex, fraxinus:
Funus erat quondam tenerae non vile puellae
Densam renodantis comam.

Illa per Alsatiae celebris pulcherrima terras
(Ferunt Tabernis editam)
Vicerat insigneis formae certamine nymphas,
Pomum dedisset et Paris.
Accessit Romana decus facundia pulcrae
Pectusque plenum Palladis.
Nam pater et genitrix Latio sermone solebant
Miscere verba Teutonum.
Qualiter et Morus datur assuevisse Britannus
Musis dicare filias.
Tulliolae Marci poterat par nata videri
Materque par Terentiae.
Dicta tamen lepidae tilia est, non filia, matri
Totique post viciniae.
Id vitium linguae, quia molle, decebat utramque
Ludentibus praesagiis.
Filia, mutatum fecit cui litera nomen,
Silvas amabat unice.
Hoc quoque de Divis visa est habuisse novenis
Novena dici dignior:
Cruda maritalis flammae glaciataque voto
Quascunque contra nuptias.
Saepe parens dixit: Quando dabis ire nepotes
In nostra pronos oscula?
Saepe reluctanti vestitus detulit auro
Non grata leno munera.
Perstitit ut rupes vimque aversata virilem
Vergente fugit sidere.

Fugit, ut intonsum iuvenem Peneia Daphne,
Ceu Naxio furens deo.
Ignoto demum longinqua per avia calle,
Per saltuum discrimina
Sistitur Oetingae, quo tempore Phoebus Eois
Evolvit axem fluctibus.
Hic almum perfusa diem, simul ignibus arsit
Viso Deae sacrario,
Tota simul statuae claris admota tenebris
Coeleste lumen imbibit.
Haec secum: Me nulla loco divellet ab isto
Ferri procella Norici,
Nullus ab Hyrcana nutritus tigride miles
Potorve equini sanguinis:
Virgo, decus rerum, minimos dignata recessus
Implere blando numine,
Aspira trepidique fugam miserare pudoris.
Stat heic iacere et emori.
Exin per nemorum tractus hortosque vagata
Aram coronavit rosis
Populeaque coma fagisque instravit opacis
Faunos latere callida.
Ah! quoties voluit fieri quoque munus et ipsa
Donanda sumptuosius.
Ah! quoties, Utinam fierem modo cerea, dixit,
Arsura iugi lumine.
Invideo violis fragrantibus; o ego nardus,
O thymbra sertis inserar!

Quam tua, Virgo, libens redolenti tempora nexu
Crinalis optem lambere!
Quod vires quia posse negant et Fata resistunt
Iniqua voto supplicis,
Hoc saltem nequeunt etiam obluctata negare,
Ut non avara serviam.
Talia dicentem Pietas advertit et una
Severus aedilis Labor.
Structa casa est, in qua Zephyris laxantibus annum
Se devoventeis advenas
Aut aestu rapidos aut tempestatibus actos
Textis recepit cratibus.
Mox pedibus fessis lympham manibusque lavandis
Et oris annonam dare.
Tum iurata sequi socialis signa catervae
Magnam sonantis Virginem
Ibat ovans vario pratorum ex iride gratum
Odoris imbrem spargere.
Sternebatur iter calthis mistoque hyacinthis
Vexilla pingebat croco.
Sic tribus exactis, non longo tempore, lustris
Ad fila venit ultima.
Fata vocaverunt, veniam cito, dixit, et astris
Soluta maneis inferam.
Da modo, Diva, meum nullis tabescere seclis,
Si nemo corpus polluit,

Quaque licet, vitare putris contagia terrae
Et stare functum te prope.
Successum meruere preces. Mens aera tranat,
Vernare funus incipit:
Atque aliquis tumulo properans componere membra
Miratur infusum nemus.
Coepit et erectum subito frondere cadaver
Coramque vespillonibus
Planta pedes fiunt truncusque immobilis haeret
Tellure congesta super.
Tentavere viri caput attrectare, sed illud
Repente sursum germinat
Tacturasque manus longe fugit intima molli
Cingente libro viscera.
In ramos digiti parvos abiere minores,
Mutata magnis brachia.
Ora cacumen habent, quae ne credantur adempta,
Loquuntur Euris flantibus.
Servat adhuc Tiliae nomen spectabilis arbos,
Caelebs ut ante et unica.
Quod fecit sub pelle, facit sub cortice sexus
Tenacis assuetudinis:
Nam velut ante sacram dominae mirabilis aedem
Ancilla florens excubat,
Seque suosque movet vento pectente capillos
Pronoque nutat vertice.
Ac, si caeca queant audiri murmura, noto
Heram salutat sibilo;

Officiique memor virgo frondosa prioris
Invitat ad se rusticos.
Grata peregrinis subter fugientibus umbra
Solis calorem mitigat.
Nulla magis placidas reddant tentoria nocteis
Minusque somnum noxium.
Dum resonant laudeis, his consentire videtur
Anhela ab imis unguibus.
Nec minus ipsa suo quam turba canora susurro
Paeana matris perstrepit.
Iamque etiam lauro certat secura Tonantis
Et rauca temnit fulmina.
Omnis quod circum novit clamator Iolas
Et Oenus undarum pater,
Hinc aliquis folium, ne fumet ab aethere, raptum
Praetendit irato Iovi.
Fabula finitur celeberrima. Vos quoque, Boii,
Hirsuta ruris pectora,
Alsaticae posthac (fas est meminisse) puellae
Vestris camoenis plaudite.

Fons Parthenius

ante sacellum Virginis.

O D E VIII.

Ad socios.

Et hinc bibamus: quale lympha prosilit
Demissa frigenti pede!

Non aliqua Mauri turpis hoc liquens vitrum
Manus propinat ossea,
Sed Genius alti candidique marmoris
Et sanguinis Carystii.
En ut columnam stat super cum limpido
Aquosa Mater Parvulo!
Ut sena madidum concha derivat diem!
Ut lene crystallus fluit!
Bibamus: o fons virgines trudens aquas
Nullo sopore languidas,
Quem nec loquacis mite Bandusiae gelu
Nec ros Lycormae vicerit
Ladonque nunquam siccus et nihil sui
Langia debens nubibus,
Sic o pudicis semper undis emices!
Sed quid? bibamus denique:
An tam profana post Iacchi pocula
Tam sacra nos arcet Thetis?
Cras igitur omnes afferamus integram
Casteque purgatam sitim.

Propempticon

Amico datum deserto melioris vitae proposito ad profanam redeunti.

ODE IX.

Ergo, proterve, te tuosque deseres
Mutatus ut chamaeleon?

Qui nervus, eheu, quod ligavit fascinum,
Quae nigra rhombi licia?
Non revocat ille, cui cometae militant
Et sidera arcanum pavent?
Non ille, qui te fixus infami trabe
Clavis in altum sustulit?
Nec illa, cui votivus audebas cliens
Iurare verba splendida?
Revolve noctem, cum sodalium comes
Aut iunctus uni dixeras:
En quam serenis se figuris explicat
Mundi volumen igneum!
Claris ut aether literis scriptus patet
Stellis relucens aureis!
Volat Sagitta; Vultur in lyram cadit;
Hinnit per astra Pegasus.
Cerno ligatas dulcis Andromedae manus,
Cerno coronam Theseos
Pavidoque Leporem vix micantem lumine
Subter pedes Orionis.
Armatus huius splendor et rursum illius
Delectat imbellis nitor.
Hic ille Python, squammei qui fluminis
Instar per Ursas labitur!
Quam fixus albam servat Arctophylax feram
Ne proluat caput mari!
At nec minoris eminet curae vigil
Custos caprarum Myrtilus.

O ambulantis pulcra scena patriae!
O monstra nil terrentia!
Salvete facili circino ductae faces
Pictaeque naturae croco.
Haec quantus olim nocte suda, quam ferox
Iactante monstrabas manu!
Nunc totus oculis ille decessit decor
Poscentibus collyria.
Praefers Olympo seu Cithaeronis iugum
Seu montis Idaei nemus.
De cuius atro fluxit ore viperae
Furoris istud poculum?
Moerimne vidit obvium prior lupa,
Quod suspicamur, an lupus?
Si nuptiale forma philtrum miscuit,
Dic, qua cales Ogulnia?
Haec me loquente ter quaterque sternuis:
Fortasse non ab alliis,
Sed ex honoris fervidi nasturtio
Sublime commotus gemis.
Placent tiarae, gemmeus vertex placet
Magnique turbo nominis.
Et tam videri, quam videre iuverit
Alto reclinatum toro.
Iam mente sorbes pulverem sonantibus
Rupturus aulas ungulis.
Iam pictus extra ducitur currus fores
Manditque frena quadrupes.

Imaginoso tinctus erras somnio,
O nauta sicci litoris,
Interque vota cor tuum scindentia
Immane quantum falleris!
Incide venam spesque putreis eiice,
Quae pectus exsurdant tuum.
Ventosus atque ad ultimum Anticyris tribus
Diceris insanabilis.
Demus potiri qua voles Canaria
Et apparatu Persico;
Te Iuno nummis, Pallas ornet artibus,
Venusque Ledae filia:
Possessa qualem munera aetatem ferent,
Quam portionem seculi?
Vitae fugacis una solstitialibus
Urgetur hora lineis:
Tandem perimus. Cum tui concusserit
Capitis nives Proserpina,
Eheu dolores ingruent et anxium
Rubigo tristis exedet.
Transfumat omnis culpa et auctorem petit
Armata poena crimine.
Tunc semetipsam vidua quaeret palpebra:
Ubi fastus est? marite mi.
Pulsabit ille fronte deiectus solum
Impressus ora gramini.
Tunc et cupido nabit absque cortice,
Languens inani taedio.

Ah qua carina nostra, dices, alite
Portum salutis exiit!
O blanda Circe: sic meum poteras iecur
Furiare succis mitibus?
Laetabar, an me frigidus vinxit stupor
Captum voluptatis dolo?
Quidvis agenti vera semper defuit
Casti medulla gaudii.
Discede luxus: huc mihi simplex olus
Caulisque laternas olens;
Huc olla farris aphronitro caeruli
Et ova putiscentia;
Fabis patellas ingementes reddite
Coenumque vappae defrutum.
Quereris isthaec sero coram fontibus
Coramque silvis fontium,
Siliquamque porcis invidebis ut sacri
Subulcus assis prodigus.
Ergo beatus ille, quem funis suo
Spartanus astringit Deo.

Corona Regia,

Tegumentum humanae miseriae.

Cum anno MDCXLI ex Hispania, Italia, Anglia, Scotia et Hibernia crebrae regnorum seditiones nunciarentur.

ODE X.

Esse quid hoc dicam, laceri quod fragmina mundi
In ipsa regum torqueat
Martius ora furor?
Inde cicatrices diademataeque resultant
Molesta frontis tubera
Purpureaeque notae.
Quae licet a gemmis Indorum more coruscent,
Non et minoris saucio
Causa doloris erunt.
Ut video, non ad splendorem inventa corona est.
Necessitatis vinculum
Vulnera facta tegit.
Imposito reges exorna, Iuppiter, auro:
Tu, Phoebe, lauro mollius
Tempora cinge mea.

Ad Georgium Stivonem.

Amico Alsatae philosophiam praelectur
Propempticon peripateticum.

O D E XI.

Ibis Stagirae, Stivo, doctum pulverem
Colligere plenis curribus,
Paratus omne corporis periculum
Subire ritu militis.
Revocare mentem velle, dementis foret
Et exsecrantis pulpita.
Quanquam ipse morbos quereris improbissimos
Vitamque paene evanidam:
Quod pallor oris, quodque gypsatum iecur
Et lanceae pleuritidos
Pulmoque laesus et spuentis indicant
Conchyliata vellera
Aestusque cerebri nuper ad Platonicum
Tumultuantis somnium:
Tamen rotabis ambulator machinam
Annis tribus versabilem.
I, sed fideleis ultimum saltem accipe
Timentis affatus tibi:
Ut sana mens servetur, excubiis caput,
Pluteoque pectus libera:
Opiniones parce moliri novas
Contentus anteiqua lyra.

Ad Laevinium Tragam.

Caroli Brisonii poetae

Testudo nuptialis.

Sive

Exemplar optimae coniugis.

O D E XII.

Accipe, Laevini, taedas cur noster amicus
Spernat et impatiens
Vivat tori Brisonius.
Admonitus sponsae (genitrix genitorque monebant)
Exagitante Deo
In hanc ruit sententiam:
Quid mihi vobiscum est, Lamiae neptesque Metelli
Ausoniaeque nurus,
Togata Romae emblemata?
Nolo tuam, nolo, Gracchi Cornelia, dotem:
Nam pretiosa nimis
Crepas avorum proelia.
Non mihi vertigo haec, ut pictae venditus arcae
Iurgia mille ferens
Tuis triumphis serviam.
Nec vos, quae formam longo iactatis in auro,
Ore pares Triviae
Tanti Lacaenas fecero.

Quot fallunt mentita viros promissa puellae,
Lapsa simul viduas
Cerussa malas liquerit
Sithoniasque nives et lac ungentis asellae
Et Veneris panacen
Carbone nox deterserit!
Finge tibi pulcram Briseida: quanta decoris
Atque pudicitiae
Quam pertinax discordia!
Gliscit et ancipiti pugnat discrimine vultus,
Semper alunt oculi
Periculosa incendia
Atque leveis iaciunt atomos. Sed finge pudicum:
Litibus indubito
Et unguibus Calpurniae.
Femina sic nata est, ut saeviat: optima quaevis
Mente ferox tacita
Discerpsit unum Penthea.
Quare adeo iam nunc thalamis absistite nostris:
Filia, quas petitis,
Praevenit una nuptias.
Gratior est nobis e buxo sutilis uxor,
Orpheos Eurydice,
Testudo magni nominis.
Non adeo formosa quidem: neque enim sata Cedro
Vertice de Libani
Deducit excelsum genus;

Nec de plebe tamen communis filia silvae est:
Collibus Aoniis
Nutavit inter arbores.
Quam simul audivi, simul hausi pectoris igneis.
Sunt in amore duces
Non sola semper lumina.
Continuo duxique domum Peneida nostram
Sertaque Pierides
Sparsere non mortalia.
Iamque tribus lustris sine crimine vivimus una,
Dissidiisque sine
Libamus auratos dies.
Quod querar, haud habeo: tanta est concordia morum.
Ipsa regi facilis
Priscas Sabinas provocat.
Non invita silet: mittit responsa roganti,
Indole qua tetricis
Occurrit Echo rupibus.
Sed neque, si ferio, crudele remurmurat ut tu,
Torva tuens Hecube,
Nec stridet, hirrit, ringitur.
Quin pulsata canit gratoque agnoscit in ictu
Verberis esse rea,
Rursusque mulceri sinit.
Ac nisi percutiam, Scythicae de more maritae
Seria conqueritur
Algere pectus coniugis.

Ergo manu rapio crineis chordasque sinistra
Innumerisque modis
Infringo dextrum pollicem.
Quo magis increpito digitisque micantibus erro
Colla per et faciem,
Maiore ridet gaudio.
Docta velut Sappho, sed castior illa suorum
Comis ad obsequia
Delenit aureis hospitum.
At non et metuo, ne sit me carior alter
Advena zelotypis
Suasurus arma cornibus.
Duxi Penelopen: mediis licet usque procorum
Coetibus involitet,
Modesta nescit fallere.
Nec minus heroum choreis concessa sonandis
Intemerata fidem
Fidesque servat integras.
Quodque omnem superat famam, non aere maritum
Degravat ac modicis
Contenta vivit sumptibus.
Fastiditque epulas et sola vescitur aura;
Uncta genas oleo
Extinguit arentem sitim.
Scilicet est sterilis nunquam factura parentem,
Nec gremium citharae
Lucina donat pignore.

Imo velut Niobe scropha foecundior alba,
Ventre ferax gravido
Nummos et odas parturit.

Ad Matrem Iesu sub cruce.

O D E XIII.

Infanda pateris, Virgo: stas vel sic tamen
Crucemque fulcis pectore.
Amicus, hostis, vir, puer, iuvenis, senex
Et Natus ipse sauciat.
Visam ac videntem visus ac videns premit
Moerore ineluctabili.
Tormenta vireis ipsa consumunt suas,
Dum tristis Ubertas stupet.
O ad dolendum Mater olim non rudis,
Nunc Mulier: hoc deerat malis.
Ah quae procella se maris salsi tibi,
Contrita Virgo, comparet?
Amara vivae plangis invidiam neci.
Fert terra corpus debile:
Sed mens in alto fixa pendet stipite
Sugitque mortem Filii.
O moesta luctum Domina mecum divide
Nec parce multum supplici.
Per vulnus animae, quod sinu sub intimo
Praesagus ensis condidit,

Vivosque stantis oro maneis Funeris,
Mei doloris numina.

Dirae.

Detestatur auctor sanguinarium facinus Iudaeorum in morte Christiani pueri peractum.

ODE XIV.

Saevis licebit ergo Sabbathariis
Impune nos occidere?
Non conqueror, quod aurum et immensas opes
Avara gens emulgeat,
Nec, quod fluentem nauseam vultu creet
Foetente flavos aspides.
Accuso ferrum, quale fratri prandium
Cocturus Atreus strinxerat.
Audite, matres, facinus et vel Colchicae
Vestris timete liberis.
Qua se Tirolis ultimo pandit iugo
Stat crypta subter porticum:
Fornix recessum noctis angustum premit
Et lux maligna temperat;
Penetrale caecum Mosis antiqua fide
Serpens coronat aeneus.
Illud paternis saepe foedabat sacris
Olens Apellarum tribus.
Horrore totus squalet ingrato locus
Ut officina febrium.

Huc rapitur eheu, qualis aut Gyges fuit
Aut pulcer Hylas, pusio,
Cui Fausta Crispi, cui pepercissent trucis
Phaedrae novercales acus,
Ipsique torvum flere dignentur Getae
Mucrone stricto supplices.
Iam Noctiluca fratre verso iunxerat
Currus Soporis obvios,
Quum clam doloso capta pomo victima
Insons ad aram sistitur.
Mox illigata ponitur saxum super
Iuxtaque pelvim fuscina.
At conspicatus hinc et hinc cultros puer
Plorat trementi gutture.
Placasset iras et ferarum et anguium,
Mollisset enseis Thracios:
Vocem querentis lacteo coercuit
Iniecta collo fascia.
Iuvat ordinare rite iuratum scelus
Annoque lustrali sacrum.
Stat pone Samuel, ante cretatus Michas,
Devotus Orco pontifex,
Per cuius obsoleta crineis infula
Limbo cucurrit rasili.
In tenera tota membra membratim manu
Saevitur ad fastidium.
A calce cuspis ad cruentum verticem
Sursum deorsum ducitur.

Ceu stella dempto sole tabescit, duae
Expalluere pupulae.
Ne pereat ulla pars voluptatis, sinunt
Tandem puellum plangere.
Ille moribunda voce caespitat gemens
Et murmure incerto absilit.
Tremuere postes; tota succussit domum
Testudo subterranea.
Bis terque moto culter illapsus solo
Manus refugit impias
Atroque lampas concitata limite
Abrupit obscurum diem.
Nihil hi moveri; quàs dolor peragat vices,
Avide tuentur cominus,
Quo scissa flexu motet ora, quid loquax
Singultet aer hostiae.
Iamque a lacertis dissoluto corpore
Fit vulnus unum ex omnibus.
Consumpta vita est, non tamen totum nefas:
Dictat furor nocentius.
Scrutantur exta, pallidae omentum necis
Et fata fibris abdita.
In frusta sectos denique artus differunt
Novo incoquendos ferculo.
Exin caninum balbus et denteis niger
Absistit in chorum senex
Pateramque vergens sanguinis spumam ciet
Additque verba noxia.

Hoc ultioni gentis infusum meae
Litetur, inquit, poculum.
Sic quisque in orbem purpuram libat scyphi
Plenus Thyestei mero.
Et tanta poenis, Christiani, debitis
Dicemur ulti crimina,
Iudaea porci siquis ora sumine
Inungat aut lucanicis?
Aut parricidam ludibundus obvium
Praebere cogat aleas?
Huc venditure mille verpos unico
Caesar redi teruncio.
Tu potius, imi sessor Erebi, iustior
Antioche tortorum, redi:
Una sub imo quidquid est Erebo triplex,
Canis, Sorores, Iudices:
Genus omne monstri turpius monstrum ferat,
Infanda proles Isaci.
Tityum relinquat ales, et Phlegyae satus
Gyrare cesset orbitam,
Suumque montem Sisyphus liber iugo
Miretur et Lethen bibat:
Aliasque rabida migret in fauces sitis
Famesque pomis insidens.
Quae poena mundi sontis est et omnium,
Sit poena gentis unius.

ODE XV.

Descriptio Virginis, qualem in mentis excessu viderat.

Septima post caedem Gustavi fluxerat aestas
Boiorum in urbe principe,
Cum regeret Romam sacris Octavus habenis,
Sacris Viennam Tertius;
Tempore, quo secum certans Germania belli
Civilis augebat nefas.
Cum privatus adhuc modo Dorstensonius hostis,
Captivus esset Hornius:
Nondum bis quatuor lustris succinctus adibam
Silvas Calendis Iuliis.
A tergo cantabat avis lucumque sonantem
Mulcebat aura lenior;
Ante toro ripae nymphis innixa loquaceis
Trudebat undas Isara.
Heic ego rem miram vidi aut vidisse putavi
Eoa post crepuscula.
Virgo serenati circumdata solis amictu
Lunam premebat calcibus
Os humerosque deae similis quantamque referre
Augusta maiestas potest.
Regia frons, acres oculi, lux vivida, vultus
Castis renidens gaudiis.
Hinc atque hinc vigiles exultavere pyropi
Formosa circum tempora.

Ipsa caput nitido risu turgentibus astris
Cinctum modeste sustulit.
Cingebant bis sena: comam diffundere vento
Vetabat alba taenia;
Pars tamen in laevam, quod erat neglecta decore,
Undare visa gratius.
In manibus portante Dea formosior Infans
Florebat instar sideris.
Ecce autem insidias huic formidabile monstrum
Tendebat immanis draco,
Prodigiis septem capitum suspensus in auras
Et dena tollens cornua,
Agmine membrorum longe post terga relicto
Et implicatis nexibus,
Si molem expendam, quantus qui corpore vasto
Arctoa plaustra separat.
Tertia stellarum pars cauda tracta deorsum
Serpebat in vestigia.
Vipereus thorax: facies tot mortibus horrens
Carbone gliscit igneo.
Cocytum fauces spirant nebulam que rogumque
Et spissa fumi flumina.
Iamque minax tenerum propere sorbere Puellum
Cristatus assurrexerat:
At Mulier passis super aethera grandibus alis
Librare corpus fulgidum
Attractoque genu procul evitare sinistro
Os multiformis Cerberi.

Ipse etiam, ceu se sciat evasisse periclum,
Laetatur ingens Parvulus,
Et micat et Matrem iuvat et connititur ultra
Gestu triumphali ferox:
Sanguineasque iubas et ahenae verbera squamae
Et vana spernit sibila.
Desuper armipotens Genius quoque fulminat Hydram
Ferro nocentem flammeo.
Detruncata vomit saniem atque irascitur hosti
Ipsaque in ira supplicat.
Sed varios maculis frustra torquetur in orbeis
Virusque spumat lividum.
Personat interea toto Victoria coelo
Sternitque palmis semitas.
Ut vidi, ut stupui; ut me metuenda voluptas
Horrore sacro perculit,
O Dea, dicebam (neque enim mortalia cerno
Mortalis) o certe Dea!
O quaecunque fugam per candida nubila carpis
Sontemque calcas belluam,
Si non deludor, minimis si vatibus esse
Dignaris aspectabilis,
Da quoque clara meis oculis te Diva videndam,
Ut mente nunc permetior.
Audiit: et laeva de parte rubentis Olympi
Amoena nubes intonat;

Frisingam versus fax una clara cucurrit
Vibrans colores iridis.
Post ea forte illuc summam delatus in aedem
Arae fruor spectaculo.
Obiectos animo vultus habitumque coloremque
En penicillus exhibet,
Qualiter artifici radio miracula ducit
Rubens Apelles Teutonum.
Protinus exclamo: Talem suspeximus olim
Divina passi Virginem.
Tune ergo, praedulce decus, Nasareia Virgo,
Alata bellatrix eras?
Vive, vale. Sed, cum Serpens antiquus ab orco
Redibit illaetabili,
Eripe nos etiam mansurisque instrue pennis
Tecum volaturum gregem.

Dialogus

Voluptatis et Continentiae.

Exemplo Horatii in lib. Epod. XII. inter eundem et Canidiam. Auctor theatrali scenae accommodavit. Est autem haec ipsa lucta carnis et spiritus in d. Augustino, quam descripsit l. 8. *Confess. c.* 11.

ODE XVI.

Retinebant me nugae nugarum et vanitates vanitatum, antiquae amicae meae: et succutiebant vestem meam carnem et submurmurabant: Dimittisne nos, etc.

Voluptas.

Ingrate primum (nam quis audacem neget?)
Moliris, Augustine, degenerem fugam?
Et haec et ista et illa demum gaudia
(Quaeque ipse nosti) pariter elabi sinis
Unoque iactu mentis aeternum abdicas?
Frustra resistis: ipsa genialem torum
Natura suadet; dulce naturam sequi.
Nolens traheris: nesciant sane truces
Amare scopuli quosque Caucasia nive
Perpetua monteis durat obsessos hiems.
Sed terra mollis peperit humanum genus.
Nunquam severi vena marmoris tepet:
At tua calescit consciosque sanguinis

Argutat igneis. Cum tuis (age exue,
Si potes, amorem patris) Adeodatus
Infunderetur brachiis, rupes eras?
Cum respuenti pellices Alipio
Saltem probares nuptias, silex eras?
O te repente duriorem cautibus,
Quem molliorem nuper haedo vidimus!
Quid restitas abductus orbeis luminum
Tergumque furis instar obvertis mihi?
Curas fugavi, depuli tristeis metus:
Iam me relinques, qualis Aegides suam
Vanus Ariadnam? Tu pudicus, tu probus?
Sed non inultam riseris, nec deserar
Onusta probris. Semper haerebo comes:
Fatalis umbra semper invitum sequar.
Impune ut orbem crimine impleris tuo?
Confessus illud crimine impleris meo?
Dignis ut usque, profuge, poenis suppetas,
Pacem diei, turbidae nocti suum
Adimam soporem et mille formas ingeram,
Quibus perire ut non velis, pereas tamen.
Figam medullis abditas imis faces:
Damnatus alter cordis Ixion tui,
Volves amoris flebilem volves rotam.
Faxoque, ut alter Tantalus Cyprii maris
Mediis in undis inter ipsa somnia
Amplexuumque corporumque imagines
Feras dolores et novum sitis genus.

Liquida adnatabit nympha: non tamen bibes;
Lepida advolabit forma: non tanges tamen,
Nunquam mederi vulnerato pectori
Ausurus, absens semper et propior mihi.
Poterisne nobis hospes antiquus sine
Noctem vel unam ducere? ah hoc non potes.
Pericre mores; illa libertas tua
Necessitatis in catenam transiit.
Dissolve nodum: vincla rumpe ferrea;
Quos fecit usus ex tot annis annulos,
Poteris vel unum rumpere? ah nec hoc potes.
Sed finge posse: cur velis? tamen iuvat
Saevitia facilis et madentes lacrymis
Rudibus timores et decens licentia
Gratusque pallor atque iucundi metus.
Huc, huc sorores, quotquot estis, Gratiae:
Instemus operi ludicrumque transfugam
Byssi recentis vinciamus compede.
Aglaia, myrto necte crineis uvidos;
Thalia collum cingat, Euphrosyne latus:
Super ipsa totam mollis infundam Cyprum.

Continentia.

Aperiebatur enim ab ea parte, qua intenderam faciem et quo transire trepidabam, casta dignitas continentiae, serena et non dissolute hilaris, etc. Et irridebat me irrisione exhortatoria, quasi diceret: Tu non poteris, quod isti et istae? an vero isti et istae, etc.

Canidia turpis, publicum mundi malum,
Effrons voluptas, parce vocibus sacris
Infixa coelo devocare sidera.
Spargis venenum, quod nec Alcides bibit
Vestitus atro munere uxoris suae,
Neque aut Iolcos misit aut Iberia.
Circe valenti carminum sono potens
Induere setis remiges Ulyssei,
Absiste tandem teque luci subtrahe.
Huc noster Augustine conversos refer
Huc tristis oculos, et per aetherium mare
Puerumque coetus ac puellarum vide
Anusque viduas et verecundas nurus,
Quas nulla turpis cepit insolentiae
Cupido. Tu non poteris, heu timidum genus,
Quod isti et istae? An isti et istae ferrei,
Aut quae tremiscis viribus nixi suis
Vicere fragilis blanda naturae mala?
Deus Deorum me volentibus dedit
Morum magistram meque praefecit choro
Agnum sequenti per Sionis pascua,

Quocunque passu laneo figit pedem.
Dignos et ipsa mentis igneis excito
Casto decore sobrioque pulcrior,
Nec vero sterilis; signa mundi suspice:
Quot astra cernis, pura cum nox albicat,
Tot pario natos de marito Numine
Foecunda mater liberos simileis mihi:
Serena frontem, sparsa florenteis comas,
Et virginali vincta zona Gaudia.
Pars in virenti colle vellus aureum
Pectunt ligustris et protervia rosae;
Pars astra nectunt et capillis illigant.
Invito: sequere, si coronari cupis;
Expando plenas liliis ad te manus.
Quid turbulentas fluctuans trahis moras?
Lascivientem mitte sectari lupam.
Fallit Voluptas brachiisque vinculum
Incantat ore Thessalo venefica.
Mihi fide: posthac laetius vives Deo.

Ad Andream Garstium,

Mariaemastiga.

O D E XVII.

Quid tibi vis, Garsti, balatronum digne catasta,
Afra animos immitior angui?

Cui furis indomitae monstrum memorabile buccae,
Non aequet quam plumbeus auster.
Nympham canto meam. Nisam canat alter et alter
Usque suam Pholoen; quis Amyntae
Invidet arguta resonanti Phyllida canna?
Quis Mopsum vetat esse poetam?
Atqui nostra deas forma supereminet omneis,
Ut cedrus despectat aristas.
Ambrosio talos a vertice nullus ad imos
Naevus ebur vitiat Marianum.
Purpureus sed enim radiet quod Matris in ore
Filius, haec similem sibi Natum
Apprimat, ut lentis hederis adstringitur ilex,
Paene crepas: utinamque crepares!
Malles, scurra, tuam cantari Deianiram.
Perge, scelus, miser esse: dolere
Si cupis, augebo stimulis inamabile votum:
Nam Dominae plus laudibus addam.
Et modo populeis mandabo nomina truncis
Vere novo crescentia late;
Aurifluis modo lemniscis encomia cingam
Astra super ducentibus horis.
Nec prius absistam tactis ad carmina nervis
Virgineas percurrere dotes,
Quam tua prae rabie rumpantur et ilia latrent
Sicanios imitata Molossos.

Ad Wolfgangum Mirisium.

De Gymnosophistis Indorum, quos Brachmanas vocant.

Ex Bardesane Hist. Babyl. et aliis.

ODE XVIII.

Dulcis Mirisi, suavis artium lepor,
Festive Musarum pater,
Quem blanda in auras ipsa Virtus edidit
Multique splenis Gratia,
Mirare mecum mollis Indiae sophos
Regnique Athenas barbari.
Europa non est sola, quae doctos creat,
Troianus ut forteis equus.
Quandoque dignus aemulator Socratis
Coelo sub omni nascitur.
Cangoxa stellis clarus, Izaffo mari,
Xacottus usu germinum
Indi fuere; fama Brachmanas canit
Late per orbem dicta.
Student et isti curiosam ponere
In fonte naturae sitim.
Hos mirus aeque nodus in scirpo iuvat
Et musca cum proboscide,
Ordoque rerum nexus et gaudens rapit
Indago veri tortilis.
Sed enim laborant fodere causarum abdita
Diesque iungunt noctibus;
Non ut protervae Bonzii superbiae
Et intepentis ingeni,

Qui capitis ingens quamlibet negotium
  Et crebra curarum agmina
Tonansque cerebrum iam fatiscentes crepant
  Prae copia scientiae,
Vigileisque Lunas tetra post insomnia
  Tristi querantur iurgio,
Haec inter omni dissoluti fibula
  Utramque in aurem dormiunt.
Stagaia princeps factionis horridae
  Morosus arcet otium
Osorque fuci pellit ignavum pecus
  Flavis apum praesepibus.
Lycea quovis sole lustrat singula
  Dignosque mactat praemio,
Seu parte clavi, merce seu novaculae,
  Seu dente plumbei pectinis,
Acuve, qualem fusus efformat chalybs,
  Figente crineis virginum.
Lebete primum quemque donat aeneo,
  Tripodisve frusto ferrei,
Aut orbe rapto de catenis annuli
  Ex Lusitano carcere.
Immane pretium rebus his novitas facit
  Et aestimans penuria;
Accedit artis expolitae cos, honor,
  Maiorque quam nostratium,
Quos longa postquam macerarunt taedia,
  Contemptus occidit prope.

Persaepe doctae flagitant buccae stipem
Turpique tabescunt fame.
Ergo aut monentur cum vagis tonsoribus
Lippisque coenam sumere,
Aut foedo subeunt antra textorum neque
Terrentur a prurigine.
Latrante stomacho pars canunt ad pulpitum
Et sceptra quassant ulmea;
Pars templa purgant et metalla turrium
Tractis fatigant funibus;
Pars ad gementeis destinantur praeficas
Poscente curam funere
Putrisve curant moesta Libitinae sacra,
Ac se sepulcris elocant.
Detestor omnem, qua patet, Germaniam:
Hoc est fovere literas!
Heu saeva nescis terra, quid sapientiae,
Quid debeatur artibus.
Id disce saltem, si poetam respuis,
A sole tostis civibus.
Assurgit omne vulgus Indorum sopho
Pedumque lingit pulverem.
Quicunque propius astra vidit, est sacer:
Nutritur ex aerario.
Dis par habetur dividensque oracula
Capit voventum munera,
Barroque vectus per plateas candido
Plebem salutat cernuam:

Hoc nempe cupidos, hoc capaceis gloriae
Gratis fodit calcaribus,
Adeoque dulcis fama divinis prope
Titillat Indos laudibus.
Exin cupido fervet instar cacabi
Ebullientis ad focum.
Sudant mereri nomen ac Divum iubar
Seque aemulantur splendide.
Macies in usu; rara sunt convivia:
Mens omnis est in aethere.
Ariete coeli ianitore florida
Pandente Veris atria,
Quo proeliantur ac sedere nescii
Furunt iocosis caestibus,
Mos est in aulam convenire publicam,
Belli loquacis aream.
Dant specimen illic, quotquot urget ambitus
Inter Schacodas evehi.
Scandit salignam Maccasaius exedram
Cudone defensus caput.
Diversa fingit ora primum in pergula,
Ut taurus olim nubilus.
Rugosa cedit fronte paullatim fera
Bovisque bella torvitas.
Post disputanti rite facturus moram
Sermone Martem proluit.
Dum laureatas ventilant Zephyri theses
Hinc inde flabris mollibus;

Mordebit ungueis interim aut vellet pilos
Aut erudite tussiet.
Est qui susurro solvit haerenteis aquas
Scaphamque distinguit scapha.
Plerique plenam Gange palpant clepsydram,
Ut stillet humor largius.
Quod Gange potius repleant, ditissimi
Dant hoc honori fluminis.
Iucundus error ac superstitio vetus
Demulsit alba pectora.
Credunt secundo pulcrius sic omine
Certamen auspicarier.
At non ab Azoa Maccasaius vincitur,
Utcunque fauceis increpet:
Obliquius sophisma rumpit cornibus,
Ut cervus obstanteis plagas.
Rubiginosis sin premens hastilibus
Dilemma spissum torqueat,
Exibit arte, qua potest, qua non potest:
Ictus quis omneis caverit?
Panthera qualis capitur et saltu tamen
Fertur supra venabula,
Semel negatum contumaci cymbalo
Negabit imperterritus.
Ab usitata si recedit semita,
Mulus tenetur auribus,
Aut in patentis atque nodis hispidi
Dumeta sacci truditur.

Stridere non cessabit anser, ni prior,
Qui provocavit, desinat
Circumque densos spineae litis rubos
Amissa ploret spicula.
Ne vel iacens credatur esse sub pede,
In ore versat grandinem.
Qui in triumphum ductus infesti tamen
Decerpit hostis sibila,
Adhuc severus et minarum turgidus
Plenusque bellis Thraciae.
Mox more Parthi tela vibrantis fugit
Vel murmur his absentibus,
Exaudiendus ceu soporandum mare,
Quod ultimo fluctu salit,
Aut quale frangunt nubis impulsae sono
Extrema se tonitrua,
Utrique donec ravis imponat modum
Et scamna risu palpitent.
Wolfgange, cessas? rideamus nos quoque:
Torpor nocet pulmonibus.

Ad Ioann. Bapt. Mufelinum

in celeberrimam congregationem macilentorum admissum. Anno MDCXL.

O D E XIX.

Servanda tironi.

Ergo dies illa est, in qua videoque proboque
Te mea castra sequi!
Ergo tibi Macies placet, admirabile donum,
Lurida visa prius!

O felix, Mufeline, genus, tua si bona nosti
Quaeque Agathyrsus habet.
Fer modo constanteis animos neque cede labori,
Et superabis onus.
Ardua prima via est, (nil dissimulamus) et omne
Sentibus horret iter.
Cruda rudimenta ac plureis terrentia Crassos
Sunt subeunda tibi.
In vallem donec facies subsidat et ulcus
Detumuisse scias,
Hoc opus: integro vix tantum evicerit anno
Imperiosa fames.
Quo certe toto nil apponetur edendum
Flebile praeter olus
Intritasque alicae glandes cancrique rubenteis
Coctilis exuvias.
Certius ut vacuos penetrent ieiunia vultus
Permaneatque color,
Interdum rodes putrefactae segmina quercus
Pumice mista cavo.
Laevigat iste cibus crebroque iteratus omasum
Extenuare valet;
Et tandem abdomen plena ab radice revellit
Diminuitque gulam.
Perfer et obdura: sequitur Victoria pugnam;
Aspera mollit amor.
Cum venti posuere genaeque immane dehiscent,
Parta tropaea feres

Et levis et velox et opaci pondere ventris
Liber ut ales eris.
Cessabunt gemitus: iterum coenare licebit.
Aggredieris aprum
Tutior Alcide: natura subacta negoti
Nil, Mufeline, facit.
Interea miseros convivas riseris hospes,
Quos sua massa premit.
Felici tamen ut vitae nil desit, honesti
Stoicus esto tenax;
Inter aqualiculos culpam vitare memento:
Caetera trade Notis
In mare Tyrrhenum portanda et vive beatus
Perpetuumque tuus.
Quod prohibere nequis medio torrentis in aestu,
Ne prohibere para.
Spem cupidam voti nec citra mitte nec ultra:
Utraque meta nocet.
Crastina quid latura dies, sine laetius ullo
Omine nescieris.
Hoc cursu placidum Macies tua verget in aevum
Carmine digna cani;
Qualis nostra placet solidis pellucida costis
Iam sibi fida satis.
Hanc neque Westphalici terrent immania porci
Tergora, sumen, adeps,
Nec bos Helveticus surgens in cornua: virtus
Cuncta domare potest.

Impleat accensum Phalaris pinguedine taurum:
Nulla tyrannis obest.
Secta vel usta furens ponat: tormenta fit inter
Fortior ista Macer.

Ataxia nostri seculi,

sive

Mundi ad occasum vergentis signa.

ODE XX.

Ultima iam venit Fatis urgentibus aetas
Suoque pronus orbis impulsu ruit.
Me non vana queri, testis discordia rerum,
Quae turbat huius prima molis foedera.
Insuper immanem portendunt omnia casum
Priusque nulli monstra visa seculo.
Vidimus ardenteis mediis in nubibus hastas
Lateque coelum flammea incensum iuba.
Vidimus adversam Soli concurrere Lunam,
Thebana fratres sicut olim ad moenia.
Vidimus in stabulis vitulos saltare marinos
Iunctumque damis et capellis Protea:
At loca Tritonum Satyri petiere bimembres,
Qua se Sicano Scylla committit freto.
Atque adeo in silvis cantare auditus Arion:
Delphinas inter flere carmen Orpheus.
Latravere boves: humano more locuti
Canes feruntur cum lupis, hi cum grege.

Intremuit vocale nemus migrantibus ornis,
Cecinere volucres quaeque voce non sua.
Oceanus tumuit nullo maria ima movente,
Et absque causa didicit irasci Thetis.
Incubuere simul Boreasque Eurusque Notusque,
Nulloque potuit unda fluctu surrigi.
Ipsi etiam patrem venti sprevere rebelles
Sortemque flandi sede mutarunt nova.
In pluviam siccae solverunt vellera nubes:
Coelo tonanti nullus insedit vapor.
Sparsus sanguinei tetro Phaethontis odore
Rubrae viator monstrat exta grandinis.
Sunt qui de curru narrant cecidisse Booten
Ursamque vetito se lavisse gurgite.
Aestas vel calvos monteis vel frigida canos
Hinc fronde verna nudat, hinc tegit nive.
Pluribus in templis sudantia marmora plorant
Eburque salso rore maculosum gemit.
Dissona in Hercynio strident oracula luco:
Moravas per urbeis aera sponte tinniunt.
Turribus Alsaticis visus consistere bubo
Medium sereni solis irritans diem.
Enceladum movisse latus Trinacria sensit:
Non una reducem sponsa raptorem timet.
Sulphureos cineres piceataque stagna Vesevi
Afflata quoties iam bibit Neapolis!
Se quoque subductis fugitiva Calabria campis
Amisit exul orbis et sui prope.

Turba supra pinnas veluti per plana cucurrit:
Toto recedens vanuit fundo lacus.
Nec procul Elysia repererunt pascua valle
Armenta surdis mersa cum pastoribus.
Crudaque non unus tulit Amphiaraus ad orcum
Et impolita nec vocata funera.
Ut visis primum subque antra labantibus umbris
Attonita vitae Parca stamen ruperit.
Ista tamen dirus praedixerat ante cometes
Impune nunquam crine promisso rubens,
Qui quatuor retro lustris invaserat Arcton
Spicamque demum pepulit Erigones manu:
Nam post horribiles facto velut agmine formae,
Letum Laborque et mille venerunt striges,
Haud aliter quam si ruptis Titania pubes
Clathris Averni cuncta traxisset mala.
Turpe Fames ringens et nata cadavere Pestis
Et caeterorum Cura morborum parens:
Saevaque Paupertas et luxu peior Opum vis
Livorque flavus et decemplex Ambitus:
Quaeque referre mora est, quanquam tolerare necesse.
Exin quietis taedet ac vitae viros:
Ad caedes properant et strages stragibus addunt.
Exacuit in se tela desperatio.
Portitor infernus plenis lassatur acervis
Reficitque cymbam et execratur advenas:

Ac quoniam toties urgent examina, conto
Fastidiosus nauta maneis verberat.
Non mors una satis; passim disiecta per agros
Hebetant aratrum tristis ossa rustici,
His hominum fraudeis et fraudibus adiice noxas
Et quae tacendo mutus accusat dolor.
Iam scelus est, non esse malum Superosque negare:
Se perditurus ante perdit et Deum.
Nomina mutantur: virtus fortuna vocatur;
Natura culpa; clara fastus indoles.
Arma ferunt legeis mutataque curia castris;
Strictumque ius districtus ensis dividit.
Conspicuis equitat torquata Calumnia gemmis:
Damnatus insons trahitur ad restim Pudor.
Utque foro merces, medio sic causa senatu
Emenda prostat venditore iudice.
Pro mercede nocens fortis tenet Herculis arma:
Defensor aequi delicatus est Paris.
Vaenit honos pretio, vaenit provincia nummis,
Vaenit potestas, vaeneunt et virgines.
Tam crudelis amor quam nunc miserabilis ira est:
Pendent ab uno saepe vultu proelia.
Paullatim fracti didicerunt fallere risus:
Mandatur illis militaris ultio.
Sed neque de lacrymis eadem sententia constat:
Pietatis humor histrioniam facit.

Iamque et fictilibus plebeia aconita bibuntur
Visuntque coenas magna Fata pauperes.
Usque adeo nihil est sinceri; rarus amicus
Iuvare verso stabilis afflictum cado;
Rara fides: quisquis mentitur verius, omne
Punctum superbi gratia erroris tulit.
Dira patres statuunt: faciunt peiora nepotes
Ovo daturi pessimum rupto genus.
Nasus habet pueros duplex et corpore maior:
Brevior virilis est supercilio coma.
Prona (quid hoc?) quatiunt iuga me cantante Triones,
Plagis tumultus ex quaternis ingruit,
Romanae titubant testacea secula plantae,
Vix aliquod imo robur ex ferro trahunt.
Si modo non vano Chaldaei somnia regis
Explicuit ore iuvenis, Hebraeum decus,
Instat summa dies et ineluctabile tempus
Mediumque scissa nube iamiam prospicit:
Dum citharas, speculum, thalamos, unguenta, puellas
Hilaresque vino poscimus rosas, adest.
Intonat: heu tumuli motique ad classica manes:
Heu squalor orbis, heu repens catastrophe!
Fulminat: o cautes atque Acroceraunia ponti;
O mugientum quassa saxa rupium.
Heu mihi! non pacis, sed belli flebile signum
Iris curuli fulta nimbo protulit.

Scilicet idcirco radians spectabitur arcus,
Ut plura Iudex vibret illo spicula.
Ecce tyrannorum sparsos fuligine vultus!
Pallescit aurum; livet omnis purpura.
Alte consurgit capitum crinalis echinus
Rectisque vertex hispidus setis riget.
Quoquo venturam flexu vitabimus iram?
An eius ulla perditis datur fuga?
O scopuli, vestras late diducite costas:
Quis fulgurantem nubis aspectum ferat?

Carmen seculare

De societate Iesu.

Anno MDCXL.

O D E XXI.

Diva mortaleis miserata casus,
Prima quam parvis Minoressa cunis
Cepit Hispani Patris ex flagranti
Vulnere natam,
Pulcer Ignati Mariaeque sanguis,
Unde diffusum sociale foedus
Ordinis longa serie nepotes
Fluxit in omneis,
Dic Io paean, ter io triumphe,
Fertilis mater, generosa virgo,
Cui rosae dignum pariterque miscent
Lilia sertum.

Rebus adversis animosa, lactis
Cauta crevisti; Zephyro cadente
Vexit ad portum Boreas sub ipso
Turbine salvam.
Profuit, quisquis voluit nocere;
Te suis hostes aluere bellis:
Foeda tempestas tibi lac et almum
Praebuit uber.
Qualis illiso sonat icta ponto
Herculis Calpe neque dimovetur:
Montibus subter tumidis aquarum
Mole tua stas.
Me tibi veras cecinisse laudeis,
Lustra bis deno revoluta cursu
Invehens orbi rota secularis
Approbat anni.
Te decent Musae viridesque lauri;
Te decent arae pietasque alumna
Turis incensi Superumque cura et
Mysticus horror.
Tu feros cultus hominum reformas;
Voce tu tigreis trahis et minarum
In parum castas inimica mittis
Fulmina nocteis.
Quae tibi rupes, quod iter ferarum
Est inaccessum? quis inhospitalis
Trans nigram Thulen niveamque Peucen
Angulus orae?

Mons, ubi nidum posuere venti,
Bruma iam flava glacie senescit,
Excubant gryphes, tamen ambulatur
Aequoris instar.
Cuncta subsidunt sociis, ubique
Exules vivunt et ubique cives.
Cui satis virtus, habet unde sola
Sit sibi dives.
Unico navim quatiente nutu
In salis spumas iacietur asser
Et tribus distans digitis marino
Funere corpus.
Ad Magellanas aliquis Moluccas
Pinea vadet trabe destitutus;
Ille Mocotin bibet et Niphaten
Praeferet Oeno.
Nulla non remis freta verberantur:
Vela iam late tua trudit Auster
Oris afflatu, tua trudit Eurus,
Trudit Iapyx.
Cognitam mundo quoque fabuloso
Concinunt Seres similique Iapon
Concolor nobis alioque vultu
Decolor Indus.
Munus inversae tibi pellis ater
Aethiops debet niveosque moreis
Fonte lustratus pluviaeque pauper
Flumina vitae.

Dic Io paean, ter io triumphe,
Cuius in causam veniunt tyranni,
Qui peregrina tibi nexuerunt
Fronde coronas.
Qua patet tellus pelagusque late,
Inter extremas mediamque zonam
Pulcra certatim tibi missa Divum
Purpura fulget.
Claustra Sinarum Brasilaeque cannae,
Africae saltus, Alemanna castra,
Angliae pingues maduere nostro
Sanguine campi.
Sternimus vincti, superamus imi,
Surgimus plures toties cadendo;
Rubra maioris metimur futuri
Semina messis.
Ista praesentis facies: sequenti
Quam Deus seclo dabis, utriusque
Sacra cum Cosmae, sacra Damiani
Astra recurrent?

AD

JACOBI BALDE S. J.

CARMINA LYRICA

ANNOTATIONES

SCRIPSIT

P. BENNO MÜLLER O. S. B.

ANNOTATIONES.

Liber primus.

Ode I. v. 2. *Iuppiter* sc. Ammon; cf. Lucani Phars. IX, 517: Quamvis Aethiopum populis Arabumque beatis Gentibus atque Indis unus sit Iuppiter Hammon, Pauper adhuc deus est. — v. 3. *Libya* i. e. Africa, cuius laudata est fertilitas frumenti, cbeni, ligni citrei, purpurae, marmoris, et inter animalia maxime caprarum atque ferarum. — v. 4. *Tota est summa satis.* Sensus est: Tota felicitatis meae summa uno continetur verbo: satis. „Quod satis est cui contingit, nil amplius optet.“— v. 5. *Malvarum*, cf. Hor. Od. I, 31, 15: me pascant olivae, Me cichorea levesque malvae. Epod. 2, 48: malvae salubres. v. 7. *Phasis* Colchidis fluvius delicatiori avium genere, quos Fasane vocamus, nobilitatus. *Achaemenes*, primus Persarum rex ac ditissimus, iam pro quovis rege divite atque opulento. Cf. Herod. VII, 11. Hor. Od. II, 12, 21. — v. 11. Cf. Virg. Georg. II, 529: Pocula sunt fontes liquidi. — v. 18. *Hora buxea* h. e. vel horologium quoddam solare, vel quaedam mensura quatuor anni temporum e buxo in varias rerum formas figurasve tonsili facta. Cf. Vanier. Praed. Rust. l. V. — v. 22. Cf. Hor. Od. III, 1, 20. — v. 23. *Tyrus* et (v. 29.) *Sidon* opulentia nobilissimae urbes Syriae. — v. 24. Cf. Hor. Od. IV, 5, 17. sq. — v. 31. *Pauperies mei* pro *mea*. Cf. Plaut. Pseud. I, 1, 3: labori mei pro labori meo. V. A. Gell. N. A. XX, 6. — v. 33. Ex Sen. Thyest. vs. 434: Rex est, qui posuit metus. Cf. Od. II, 10, 9. et

Sarbiev. Od. IV, 3. — v. 35. *Caecubum*, Campaniae oppidum et regio praestantia vini celebrata. — v. 44. Respicit poeta ad historiam Tarquinii Superbi apud Liv. Hist. I, 54. Cf. Od. II, 36, 37. — v. 46. *Pellaei* (i. e. Alexandri Magni, Pellae in Emathia provincia nati) *proceres* i. q. reges. Cf. IV. 14, 61. — v. 48. Cf. Hor. Od. I, 1, 11.

Ode II. v. 1. Imit. Hor. Od. II, 4, 1. — v. 4. *Acca* Laurentia, Faustuli pastoris uxor, Romuli et Remi educatoris. — v. 5. *Acoetes*, Evandri armiger ac magister Pallantis. Virg. Aen. XI, 30. Edd. oo. habent *Acestae* memoriae errore, ut videtur. — v. 6. *Evander* s. Evandrus nobilis Arcas, qui Latino rege in Italiam venit. Is pater fuit Pallantis.— v. 8. *Hoplea*. Schol. ad. Il. XIV, 120: *Τυδεὺς ὁ Οἰνέως Αἰτωλὸς μὲν ἦν τὸ γένος, ἀνδρειότατος δὲ τῶν καθ' αὑτὸν γενόμενος ἔτι νέος ὢν ἐθεάσατο τὸν πατέρα διὰ χῆρας ὑπὸ Ἀγρίου παίδων τῆς βασιλείας ἐκβαλλόμενον· διόπερ ἀναιρεῖ τούς τε ἀνεψιοὺς καὶ σὺν αὐτοῖς ἀκουσίως τὸν ἀδελφόν.* Excogitavit, ut videtur, Baldaeus, Tyde. magistrum armorum, quem hoplea (a v. *ὁπλέω* poeti i. q. *ὁπλίζω* Her. 6, 12.) appellat, hoc facinus ei mandasse. Nam de Hopleo nihil constat, nisi quod unus e Lapithis hoc nomine nominatur ab Hes. Sc. 180. et Apollod. 3, 8. Sin mavis, scribe: *Oenea*. — *Tydeus*, Oenei filius, Diomedis pater, unus e septem ducibus, qui contra Thebas expeditionem fecerunt. — v. 19. *Simul* i. q. simulac; cf. Hor. Od. I, 4, 17. cet. — v. 21. *Argus*, Ionis, Inachi filiae, custos centum habens oculos. — v. 26. *Aureus fluxit:* Iupiter pluviae forma aureae ad Danaen venit ab Acrisio patre nequidquam inclusam. Cf. Hor. Od. III, 16, 1. *Sibi sumpsit alas*, sc. cygni formam amore

Ledae. — v. 27. *Europe*, Agenoris regis Phoenices filia, quam Iupiter rapuisse ac deduxisse Cretam perhibetur. Cf. Od. IV, 22, 15. — v. 38. *Silenus*, Bacchi educator, semper ebrius, asello equitabat. — v. 39. *Gravido Tonantis poplite natus*, h. e. Iovis filius et Semeles. — v. 41. *Faunus* sc. Silenus. *Evan* (εὐάν) cognomen Bacchi; cf. 4, 16. — v. 46. *Marcidum Gangem* i. e. Indos otio ac luxuria effoeminatos. — v. 48. *Nebrida* (νεβρίς), i. e hinnuli pellem, qua cingebantur Bacchae. — v. 49. *Thessala rupes* h. e. Thessalia petrosa, patria Achillis. — V. 55. *Capri* sc. Chironis hirsuti ac barbati. Cf. Iuv. Sat. V, 153. sq. — v. 58. *Chiron*, Centaurus sapientissimus, Achillis educator. — v. 63. *Sperchius* (Σπερχειός) Thessaliae flumen. — v. 64. *Sistere flumen* h. e. flumini obluctari natando.

Ode III. Thomas Morus natus Londini a. 1480. Cancellarius fuit Britanniae regnante Henrico VIII, cui propter Annam Bolenam (Buleyn), quam deperibat ac nefasto matrimonio secum coniunxit, a ss. Sede Romana desciscenti iuramentum supremat iae, quod vocant, omnibus regni sui civibus iniuriose iniunctum atque imperatum, obstinate constanterque denegavit. Quam ob causam morte iniustissima mulctatus est anno 1535. Insequenti anno Bolena quoque a regio amatore capitis damnata est. Herder: Dieser Held und Martyrer der Gerechtigkeit verdient, dass man sein Leben, seine Schriften und die Art, wie er seinen Tod aufnahm, in der Geschichte lese. — v. 2. *Titan*, Hyperionis filius, i. q. Sol. — v. 7. *Tyranno fortior*, h. e. a rege non victus. — v. 13. sq. Poeta imitatur Hor. Od. III, 5, 41. sqq. — v. 24. *Hilaris torvum* i. e. cum hilari gravitate; vultum enim virili modo severum illu-

stravit animi hilaritas. Cf. IV, 46, 50. sq. — v. 29. *Tumulo* h. e. loco edito, in quo sumebatur supplicium. Cf. Adam. Widl Lyr. I. ode 24: Severini Boethii constantia. —

O d e IV. v. 14. *Quid habes illius, illius,* ex Hor. Od. IV, 13, 18. — v. 16. *Evius* ut Evan (2, 41.) cognomen Bacchi. — v. 17. *Cynthius* i. q. Apollo, a Cyntho monte Deli insulae, in quo natus esse dicitur. — v. 18. *Tegea*, oppidum Arcadiae, unde Tegeaeus s. Tegeus i. q. Arcadius.

O d e V. Illudere videtur poeta physicorum mathematicorumve sui temporis argumentationes sua placita firmissime asseverantium, dum ipse ex levissimis similitudinibus nudisque signorum coelestium nominibus, atque ad extremum lepidissima comparatione doceri pari modo contrarium posse ostendit. — v. 1. *Numine percitus* i. e. instinctu vel afflatu divino. Cf. Senec. Herc. fur. 108: furore perc. Liv. VII, 5: ira perc. Terent. Hec. III, 3, 17: re incredibili perc. — v. 15. *Argo* (g. us), navis Argonautarum, etiam sideris nomen. — v. 17. 18. *Castor et Pollux*, Dioscuri, Iovis et Ledae, adulterae Tyndari uxoris filii, ab astrologis Gemini vocantur. Cf. Hor. Sat. II, 1, 26. — v. 21. *Iupiter secundus* h. e. Neptunus. Cf. Od. III, 30, 6. — v. 32. *Pyrois* (πυρόεις), *Aethon* (αἴθων) et *Phlegon* (φλέγων) equi Solis vel Aurorae. — v. 37. *Aquarius*, Ὑδροχόος, sidus. — v. 38. *Triton*, deus marinus, Neptuni f. eiusque tubicen, concha clangens. — v. 39. *Tethys*, Oceani uxor. *Pleias* sideris nomen. *Ino*, Cadmi filia, facta maris dea, in quod sese merserat ab Athamante furibundo agitata. — v. 40. *Erigone*, Icari filia, inter astra relata nomine Virginis. *Galatea*, nym-

pha marina, Nerei et Doridis filia. — v. 52. *Eridanus*, fluminis Italiae superioris et sideris nomen.

Ode VI. v. 5. sqq. Cf. Sarbiev. Lyr. II, 6, 13. sqq. — v. 7. *Ut quas caeca nuces spargit.* Antiquus hic erat mos in nuptiis Romanorum. Spargebantur autem nuces sponsa iam in domum et thalamum inducta. Vid. Servius et Heyn. ad Virg. Eclog. VIII, 29. *Orell.* — v. 14. *Seu trabeas ferat seu caestum*, de civili et militari accipiendum potestate vel honore summo. Ita Claudian. de III. Consul. Honor. v. 5: Succedant armis trabeae. — v. 19. *Ex solido bona* h. e. prorsus bona ac solida; sed nove dictum sine antiquitatis exemplo. Solidum subst. vel summam vel fundamentum vel firmitatem rei designat. Cf. 18, 4. annott.

Ode VII. v. 13. *Non habet frontem*, h. e. pudorem. Apud Pers. Sat. V, 104: exclamat Melicerta: perisse Frontem de rebus. — v. 16. *Atreidae* sunt Agamemnon et Menelaos. — v. 25. *Cytherea* i. e. Venus, quae in Cytheris insula prope Laconicam maxime colebatur.

Ode VIII. v. 1. *Sic est;* cf. Hor. Epod. 7, 17. — v. 10. *Epeus*, Panopei filius, equi Troiani faber fuit. — v. 12. *Myrmidones et Dolopes*, Thessaliae populi, quos duxit Achilles. — v. 13. *Dardana* i. e. Troiana. — v. 18. *Laocoon*, Priami regis filius, sacerdos Apollinis, equum ligneum hasta feriens dissuasit, ut in urbem admitteretur. V. Virg. Aen. II, 140. sqq. — v. 28. sq. Ex Virg. Aen. II, 235: pedibusque rotarum Subiiciunt lapsus. — v. 32. *Palladium* i. q. artificiosum; non enim hic agitur de Palladio simulacro Troiam tuente. — v. 35. *Sic notus;* cf. Virg. Aen. II, 44: Sic notus Ulixes? — v.

36. *Sinon*, Anticleae filius, a Graecis Troia discedentibus relictus mendaciis et periuriis persuasit Troianis, ut equum ligneum in urbem admitterent. V. Virg. Aen. II, 57. sqq. — v. 40. *Phryges* i. q. Troiani, iidem Teucri et Teucria nominantur. Erat enim Teucer rex Troiae. — v. 44. *Ilus*, Trois regis Phrygiae filius, Ilium condidit. — v. 46—48. *Xanthus* et *Simois* fluvii Troiae. *Sanguine decolor;* cf. Hor. Od. II, 1, 35: mare decoloravere caedes. — v. 50. *Rex* sc. Succiae, Gustavus Adolphus, vocatus a factione Protestantium.

Ode IX. v. 7. Quemadmodum Thule ultima extremum septemtrionis terminum, ita *Gades*, Hispaniae urbs ultimae, extremum occasum significant. Silius Ital. Bell. Pun. XVII, 642: Terrarum finis Gades. Et Virg. Georg. I, 30: Tibi serviat ultima Thule. — v. 10. *Hinc ducat* sc. natura. — v. 13. *Liguria* Italiae superioris regio, hoc tempore Genova. — v. 14—16. M. Attilius *Serranus* laudatur a Virg. Aen. VI, 844: Parvoque potentem Fabricium vel te sulco, Serrane, serentem. *Pantolabus* notissimi scurrae et parasiti nomen apud Horatium Sat. I, 8, 11. II, 1, 22. — v. 19, 20. Cf. Horatii Sat. I, 3, 73: Qui, ne tuberibus propriis offendat amicum, Postulat, ignoscet verrucis illius: aequum est, Peccatis veniam poscentem reddere rursus. — v. 30. *Tantalus* hospes et conviva Iovis prodidit arcana sibi inter epulas commissa atque evulgavit.

Ode X. v. 66. *Thamnitis* sc. Dalila, uxor Samsonis, a Thamnatha, oppido Philisthaeo.

Ode XI. v. 1. *Falerni* agri vinum generosius. — v. 2. *Rhodos* clara (Hor. Od. I, 7, 1.) insula prope Cariam in mari Carpathio. — v. 7. *Castor et Pollux*, coniunctissimae exemplar amicitiae; v. 5, 17.

Ode XII. v. 1. *Capri*, i. q. capricorni, signi coelestis occidentalem maxime plagam dominantis. — v. 9. *Gorgoneis undis* i. e. Castaliis vel Pegaseis; nam Gorgonum una erat Medusa, cuius e resecto capite natus est Pegasus. — v. 11. *Menalcas* pro quovis pastore. — v. 18. *Addis cornua* h. e. animum vel animos pauperi vel audaciam. — v. 19. *Post te*, h. e. post cerevisiam (haustam) ut Hor. Od. I, 18, 5: post vina. *Tremenli* refer ad *pauperi*. *Iratos regum apices* i. e. iratorum regum diadema vel potentiam. Apices proprium sunt flaminum insigne ac diadema. — v. 21. *Cocta* h. e. solis calore colorata, adustioris coloris; cf. Hor. Epod. 2, 41: perusta solibus Pernicis uxor Appuli. Et Bald. Od. IV, 17, 6: Incoctus rapidae solibus Indiae. Epod. 18, 72. Ed. Mon. II. habet *coacta* magis quidem aequale Horatiano *laeta*, sed impediente metro. — v. 22. *Nodum solvere* h. e. consessum ac potationem finire, discedere.

Ode XIII. Cf. Sarbievii Lyr. I, 2. — v. 19. *Tarpeium Palatium* h. e. Capitolium in rupe Tarpeia; iam pro quavis domo ampla. — v. 21. H. e. Aulam mens facit regia, liberam vero urbem quaeque mens libera sibi facit; at non libera, sed obnoxia ipsa sibi carcerem struit. — v. 26. *Duplex India*, sc. orientalis et occidentalis, quae vocatur. — v. 27. *Fulvi Tagi* h. e. pulverem ferentis aureum. Est autem Hispaniae fluvius sive Lusitaniae. — v. 28. *Lydiae fontes* h. e. Pactolus, fluvius Lydiae auriger. Cf. Iuven. Sat. XIV, 299: Sed cuius votis modo non suffecerat aurum, Quod Tagus et rutila volvit Pactolus arena.

Ode XIV. *Pylades*, Strophii filius, cognatus et amicissimus fuit Orestae, Agamemnonis filio, regi

Mycenarum, quem ob Clytaemnestrae matris caedem furiis agitatum atque exulantem secutus est in regionem Tauricam. Ibi cum iussu Thoantis regis ab Iphigenia Dianae immolandus esset Orestes, Pylades pro eo se obtulit mactandum non cedente Oreste, quod amicitiae nobilissimum certamen narrant Ovid. Pont. III, 2, 58. Cic. de Am. 7. de Fin. V, 22. — *Caris* sc. iuventutis omnisque vitae *geminandus annis* h. e. bis quodammodo fruiturus, ut in arctissima duorum coniunctione amicorum fieri et potest et solet. — v. 4. In *Phocidis* oppido, Orchomeni educatus est Orestes in Strophii domo una cum Pylade, huius filio. Cf. 23, 7. — v. 6. *Sacri veris*, i. e. aetatis integrae. Herderus: Heilige Blüthe meines Jugendfrühlings. — v. 10. *Ligustrum*, quod album Virgilius, Ovidius dicit niveum, frutex est nigras ferens baccas. *Vaccinia* sunt violae purpurei coloris, flores pulcherrimi, quorum succo tingebantur vestes. Cf. Virg. Eclog. II, 18: Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Ode XV. v. 2. *Curas — cuticulam*, cf. Hor. Epist. I, 2, 29. — v. 25. *Sabellicum* i. q. Sabellum vel Sabinum. — v. 27. *Troianum corpus* h. e. morti destinatum. — v. 30. *Paphnutius* nobilissimus Aegypti eremita.

Ode XVI. Ieremias Drexelius Augustae Vindelicorum natus est a. 1581. Admodum adolescens in societatem receptus Iesuitarum primum magna cum laude docuit rhetoricam; deinde ab Electore Bavariae ad aulam vocatus orator a sacris, multos per annos eo munere egregie functus vita excessit Monachii a. 1638. aetatis vero LVII. Politiores, quibus pollebat, Musas ad sacra transtulit argu-

menta, quae plurima persecutus est felicissime. In his Zodiacus Christianus, quem ad exemplum Zodiaci vitae Marcelli Palingenii scripsit. — v. 1. *Ille et*, cf. Hor. Od. II, 13, 1. — v. 5. cf. Virg. Eclog. II, 18. et supra 14, 10. — v. 7. Verba *de matre cadentem* suam adipiscuntur elegantiam a praecedentibus *ligustris cadentibus*. — v. 11. *Astraea*, dea iustitiae, aurea aetate fertur demissa esse coelo, postea vero mox evanuisse. Est etiam sidus, quae vocatur Virgo. — v. 14. *Castalides* i. e. Musae a Castalia, Parnasi fonte, sic dictae. — v. 26. Constructio sic explicanda: *Hinc* sc. ex scientiae melle, quod legisti, *virgineo ore bibit charta reptentis tot pocula favo, quem tuae propinavere pennae*. Poculis significat poeta scripta Drexelii; propinare de scriptoribus insolentius quidem, sed tamen non sine exemplo. Ita Ennius ap. Nonium C. I, 140 etc. c. II, 544: Enni poeta salve, qui mortalibus Versus propinas flammeos medullitus. *Orell.* — v. 30—40. In hoc loco difficiliori secutus sum interpunctionem Edit. Mon. princ. — v. 33. H. e. Heilsam erschüttert die Bewegten heiliger Schrecken. Cf. Senec. Herc. vs. 575: Mulcet non solitis vocibus inferos. — v. 35. Coniunge: Ad susurros Dei trepidare lene (h. e. lente vel parum) prona omnis aetas mox subsilit. — v. 40. *Pluvias* h. e. pluviae instar decidentes ac densas *hastas*, qualis scilicet in tempestate fulmina sequi solet. — v. 45. Qui (sc. Sol luminis aeterni) sole altero (h. e. isthoc naturali) tanto (i. e. mirum quantum) clarior, cursum suum tendit per duodena signa Zodiaci Christiani suum cuique beandorum locum assignans ac praedestinans illustrem et aeternum. — v. 57. *Religiosius* h. e. veracius ac digni-

us reverentia. — v. 62. *Quo*, *Musa*, cf. Hor. Od. III, 3, 70: Quo, Musa, tendis.

Ode XVII. v. 4. *Falcata licentia* h. e. nulli parcens, saeva ut quadrigarum falcatarum caedes. — v. 5. *Sanguine piscium* h. e. conchyliorum purpura. — v. 6. *Tyria* i. e. purpurea et pretiosa. *Sub iride* h. e. sub tecto aut velo iricolori. Epod. 7, 80. prata variis floribus ornata vocantur pratorum iris. — v. 8. *Ascanius*, Aeneae filius dilectissimus hic appellatur pro quovis principis filio.

Ode XVIII. v. 4. *Mentem tam solidam*; cf. Hor. Od. III, 3, 4: mente quatit solida h. e. de sententia certa ac firma demovet. *Dederunt* syllaba secunda brevi, ut apud Hor. Epist. I, 4, 7. — v. 11. *Errantem Venerem* sc. quaerentem Adonidem. — v. 12. 13. Loquitur poeta de tabulis votivis templorum h. e. *parietis sacri*. Cf. Hor. Od. I, 5, 13. — v. 14. Venus scilicet et dea marina et Cypri potens; cf. Hor. Od. I, 2, 1. — v. 15. *Fescennini versus* (Liv.) vel nuptiales (Plin.) carmina erant lasciva et obscoena, a Fescennia, oppido Etruriae. — v. 28. Uxoribus Romanorum tradi claves solebant, cum ducerentur. — v. 30. *Bistones*, populus Thraciae, passim vocantur Turcae; cf. 37, 12. — v. 34. Nota est Daedali pennis cereis volantis cum Icaro eius filio fuga ex Labyrintho, in quo ipse eius conditor et architectus a Minoe rege Cretae inclusus erat. — v. 39. *Eumenidis* i. q. Furiae pro: uxoris malignae. Furiarum una erat *Τισιφόνη*, necis ultrix. — v. 44. *Senonum* sc. Gallorum Brenno duce Romam vastantium. Cf. 36, 19.

Ode XIX. Gotefridus Henricus Comes de Pappenheim natus a. 1594. in Suevia, clarissimus dux

bello tricenario ac religionis christianae propugnator fuit acerrimus constantissimusque. Occubuit fortissime proelians in inclyta pugna apud Lucenam, Saxoniae oppidum superioris, qua in pugna Gustavus quoque Adolphus cecidit. — v. 2. *Fuit*, cf. Virg. Aen. II, 325: Fuimus Troes, fuit Ilion. — v. 3. *Suevus*, sic habet Edit. princeps; ceterae omnes *Franco*. — v. 17. *Duello* i. q. bello, ut Hor. Epist. I, 2, 7. — v. 21. *Qualis Alpino*. Cf. Hor. Od. IV, 6, 9: Ille, mordaci velut icta ferro Pinus aut impulsa cupressus Euro, Procidit late posuitque collum in Pulvere Teucro. Et Virg. Aen. IV, 441. — v. 25. *Libycus Tonans* i. q. Iupiter Ammon, cuius haberi filius voluit Alexander M. — v. 26. *Danaum* h. e. Argivorum. Danaus enim, Beli filius, qui cum Aegypto fratre certavit de regno, victus fugit Argos. De *Tydeo* cf. 3, 8. cuius obitum in pugna Thebana canit Statius Theb. VIII, 720 sqq. — v. 30. *Fremat hostis arma*, h. e. cum fremitu vel clamore quaerat aut flagitet. Cf. Virg. Aen. VII, 460: Arma amens fremit, arma toro tectisque requirit (Turnus). — v. 41. *Fracta vetustas* h. e. rudera aedificii fracti aut turris. — v. 42. *Maiorem titulum* i. e. maius nomen famamve. — v. 47. *Rhodium monstrum* h. e. colossus aeneus, LXX, cubitos altus, qui terrae motu collabefactus corruit. — v. 51. Notum est Rhodo insula anno Christi 653 a Saracenorum duce Moavvhia expugnata Colossi (teste Plinio Hist. Nat. XXXIV, 7.) iam aliquot ante secula terrae motu prolapsi fragmina Iudaeo cuidam mercatori vendita et 900 camelorum clitellis fuisse asportata. V. Okley Geschichte der Saracenen et Geschichte der Califen in Guthrie's Welt-

geschichte Tom. VI. Pars. I. pag. 299. *Orell.* — v. 54. *Digiti columna* sc. statua Solis dei, artis sculptoriae.

Ode XX. v. 1. *Quid fles*, cf. Hor. Od. III, 7, 1. *Madidum lumen* h. e. oculum, ut apud Ovid. Metam. IX, 537: humida lumina. — v. 8. *Pica* est avis avidior; dein puerperarum significat pruritum vel aviditatem rerum ineptarum. — v. 13. *Bromius* cognomen Bacchi. — v. 16. *Patara* (pl.) oppidum Lyciae maritimum, oraculo Apollinis famosum. — v. 17. *Anxur* oppidum erat Latii maritimum, postea Terracina. Unde *Anxurus* qui ibi colebatur Iupiter imberbis. — v. 22. *Mystax* (μύσταξ) est barba labri superioris. Gall. les moustaches. Vocabulum linguae Doricae. — v. 22. *Caurus* s. Corus, der Nordwestwind. — v. 25. *Triton*, cf. 5, 38. — v. 26. *Cymodoce* nympha, Oceani et Tethyos filia. — v. 27. *Acis*, Fauni filius, pastor pulcher Siciliensis, quem amabat Galatea. *Palaemon* deus marinus, antea Melicerta, Inonis et Athamantis filius. Ovid. Met. IV. 530. — v. 32. *Parthenopaeus*, unus e septem ducibus adversus Thebas, cuius clementiam pudicitiamque laudat Eurip. Suppl. 893. — v. 33. *Sisyphus*, impius rex Corinthi, quam condidit urbem, atque vaferrimus crudelisque latro. Atrocitate cum Polyphemo comparari posse videtur, quare hoc nomen in textu collocare libuit pro ignobili: Sympulus. — v. 42. *Aruncus* h. e. barba hirci aut capri. Alludit poeta ad tragoediarum originem sive ab immolando, sive praemio proponendo τράγῳ, sive a caprinis canentium vestimentis dictarum. — v. 43. *Ahenobarbus* cognomen est Domitiae familiae plebeiae, ex qua Domitius Nero imperator. — v. 49. *Nestor*, quem

in consiliis capiendis habebat Agamemnon, tertiam aetatem vixisse fertur. — v. 62. *Dodona* urbs et nemus Chaoniae, v. infra 22, 6. — v. 65. *Barbarossa* cognomen Friderici I. imperatoris Germaniae. Obiit a. 1190. — v. 73. *Panaetius* Rhodius Stoicus nobilissimus. *Cleanthes* Stoicus, Zenonis discipulus.

Ode XXI. v. 13. *Pepo.* Melonium alloquitur poeta verbo Latino: Pepo (Pfebe). Sunt autem melones (μηλῶνες) species peponum. — Vers. ult. *Ventorum patriam* sc. insulas Aeolias prope Siciliam, quo vastis specubus occlusos Aeolus rex suo arbitrio continet vel emittit iterumque revocat.

Ode XXII. v. 2. *Humi cubans* i. q. amica luto sus, apud Hor. Epist. I, 2, 26. — v. 6. *Chaonia* est regio Epiri montosa, quercubus consita atque aprorum ferax. — v. 8. *Circe*, nympha marina veneficiis insignis, quibus homines mutabat in varias bestias. Cf. Hor. Epist. I, 2, 23. sqq. — v. 37. *Cecropidum* pro Cecropidarum h. e. Atheniensium. *Sophi.* cf. Phaedr. Fab. III, 14, 9.

Ode XXIII. v. 1. *Mnestheus* e ducibus Troianis, Virg. Aen. IV, 288. cet. *Antheus* (Aen. I, 181.) *Sergestus* (Aen. I, 5. 10. al.) *Lycus* (Aen. IX, 545.) Troiani. *Gyas* e ducibus Troianis, Aen. I, 222. *Sarpedon* ingens (Aen. I, 100.), rex Lyciae. *Butes*, Anchisae armiger. Aen. IX, 647. Alius Bebryx Aen. V, 372. *Bitias* (sic) Tyrius Aen. I, 738. Alius Troianus, Alcanoris filius, Aen. IX, 672—703. XI, 396. *Capys* e ducibus Troianis, Aen. I, 183. Alius rex Albanorum, Aen. VI, 768. *Pandarus* Troianus, Aen. V. 496. Alcanoris filius, Aen. IX, 672, sqq. — v. 4. *Maro* sc. Virgilius. — v. 7. *Culmen Phocidos*, regionis Graeciae inter Atticam, Boeotiam, Aetoliam

et Isthmum sitae, est Parnasus mons Apollini sacer, quae artis poeticae quasi sedes habebatur et patria. — v. 10. *Mantua*, Italiae oppidum superioris, fuit Virgilii patria, unde dicitur Pieria, h. e. Musis grata vel sacra. — v. 16. *Hypsiboas* (Altisonans), *Calaminthius* (ab arundine seu calamis), *Pelobates* (gradiens per lutum) et *Limnocharis* (palude gaudens) sunt nomina ranarum. — v. 22. *Sitologus* (Frumentator), *Troglodytes* (habitans in cavernis), *Tyroglyphus* (casci excavator), *Meridarpax* (particularum raptor) nomina murium. — v. 32. *Sthenelus*, Capanei filius, una cum Diomede adversus Troiam profectus est. — v. 34. *Davidides* i. e. Salomo. — v. 41. *Cannense piaculum* h. e. calamitas Romanorum famosissima apud Cannas in Apulia, imprudenti C. Terentii Varronis audacia facta, dissuadente proelium L. Aemilio Paulo. — v. 46. Flavius *Philostratus*, sophista Lemnius, docuit Athenis Nerone imperatore. Scripsit Imagines sive pinacothecam Neapolitanam. — v. 47. *Culex* inscribitur carmen, quod Virgilii circumfertur nomine. — v. 48. *Lesbiae* amicae passerem mortuum cecinit C. Valerius Catullus Veronensis carmine elegantissimo. — v. 50. De Arachne Idmonis filia acu pingendi arte illustri, a Pallade, quam in certamen vocaverat, mutata in *araneam*, v. Ovid. Met. VI, init. — v. 55. *Phryges*, v. supra 8, 40. Sensus: Aut cives da bonos, aut morum malorum vindicem. —

Ode XXIV. In titulo l. *incorruptam* v. 2. *Iustinianus* Magnus Imperator Romanus auctor est Codicis veteris et Digestorum sive Pandectarum iuris enucleati ex omni vetere iure collecti. Usus maxime est opera Triboniani. *Themis* est dea iustitiae atque iuris. —

v. 5. *Danaen*, v. supra 2, 26. — v. 16. *Ivo*, Carnuti episcopus, fervidissimus erat ecclesiasticae defensor disciplinae, pari virtute ac doctrina, sui temporis quasi quoddam oraculum. Auctor est Excerptionum Ecclesiasticarum regularum. Vivebat autem saeculo XI. et XII. — v. 29. *Exasperare* verbum proprium de morbis curatione perversa factis atrocioribus. — v. 33. *Bartholus* dictus Monarcha iuris et Petrus Baldus de Ubaldis, doctores iuris sec. XV. in Italia celeberrimi. Huldricus *Zasius* Constantiensis amicus Erasmi, iurisprudentiae sec. XVI. in Germania restitutor. — v. 37. *Podalyrius*, Aesculapii filius, medicus famosus. — v. 40. *Ausonius* i. q. Latinus vel Romanus. — v. 41. *Machaon*, Aesculapii filius, celeber medicus, Creta commigravit ad bellum Troianum. — v. 42. *Causis iam capularibus* h. e. prope depositis. Cf. Plaut. Mil. III. 1, 353: senex capularis h. e. capulo vel morti proximus. Et infra 27, 2: Maturum capulo vidit. — v. 44. Codri pauperies abiit in proverbium ex Iuven. Sat. III, 208 sqq. Nil habuit Codrus; quis enim negat? et tamen illud Perdidit infelix totum nihil: ultimus autem Aerumnae cumulus, quod nudum et frusta rogantem Nemo cibo, nemo hospitio tectoque iuvabit. Vid. Erasm. Adag. Chil. V. cent. VII, 12. Orell.

Ode XXV. v. 1. Imit. Hor. Od. III, 25, 1. et II, 19, 5. sq. — v. 2. *Aonides* h. e. Musae; nam in Aonia seu Boeotia Helicon mons est Musis sacer et fons Aganippe. Aonidum vero deus est Apollo, cuius mater (v. 10.) Latona. — v. 4. *Evoe* (trisyllabum) εὐοῖ exclamatio bacchantium; cf. Hor. II,

19, 5. 7. — v. 5. *Toto numine turgidus*, i. e. plenus; cf. Hor. II, 19, 6. et *turgida vela* Hor. II, 10, 24. turgidi fluvii, Hor. IV, 12, 3, 4. Cf. II, 17, 61. — v. 10. *Surpuit* pro surripuit; cf. Hor. Od. IV, 13, 20. — v. 14. *Balthicam* i. e. Succicam, a mari Balthico, quod Suediam alluit. — v. 18. *Luna* insigne Turcarum, quorum fines (v. 18.) vocantur Odrysii h. e. Thracii; nam Odrysae populus Thraciae. *Procus Lunae* i. e. amicus ac fautor Turcarum. Significari videtur Bethlen Gabor. V. Od. II, 26, 23. IV, 45, 46. — v. 20. *Pannones* i. q. Ungari. *Cursum* sc. Turcarum invadentium impedite. — v 22. De *Tago* v. 13, 27. De pecuniis Hispanorum auxiliaribus adversus Turcas cogitandum est nunc cessantibus. — v. 28. *Victum*, quem arbitraris, *Saxonem* (sc. Vinmarium) ni properes, dux (Io. a Werth) cave. — v. 31. *Italus* sc. Dux Savellius captivus (General-Feldzeugmeister, Herzog von Savelli) ex imperatoris exercitu. — v. 32. *Villae Theoniae* (al. Theonis vel Theodonis) Thionville, Diedenhofen, oppidum Luxemburgiae munitissimum ad Mosellam. — v. 34—39. His vss. significari videtur pugna Witterweyeriana. — v. 38. *Lilium* insigne Gallicum. — v. 40. *Dunquercana classis*, sc. Hispanorum, in quorum ditione tum temporis fuit Dunquerca, maritima urbs Flandriae munitissima cum portu celeberrimo. — v. 42. *Cattigenae*; procul dubio significantur Principes Orangii Nassavi; cf. Od. IV, 41, 22. — v. 46. *Tartessiaci* i. e. occidentem spectantes aut pro expertis et celebratis. Tartessus enim celeberrima Hispaniae urbs ad mare Atlanticum sita. — v. 51. Loquitur de Brisaco, cf. Ode 36. — v. 56. *Cata-*

launum urbs Sequanorum (Chalon) illustris ingenti clade Attilae. —

Ode XXVI. Warenberga, castellum supra Heselonim collem amoenissimum ad Isaram. Cf. Hor. Od. I, 22. — v. 1. Hor. Epist I, 1, 61: Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa. — v. 3, 4. *Potare non modica phaseto*, h. e. ingenti poculo vel amphora; cf. 15, 6: in amphora velut phaselo. Proverbium est apud Germanos: totas naves epotare. Ganze Schiffe austrinken. — v. 5. *Syene* urbs Aegypti superioris et (v. 6.) *Meroe* insula Nili in Aethiopia, utraque in calidissima coeli plaga sita; contraria est *Scythia* regio frigidissima. — v. 11. *Falerno*, v. 11, 1. — v. 13. *Cynthius*, v. 4, 16. — v. 14. *Seu fracta coeli porta* etc. cf. Hor. Od. III, 3, 7: si fractus illabatur orbis, cet. — v. 18. *Volanteis* insulas i. q. natantes, epith. ornans. Sine dubio significat poeta Cycladas insulas, Gyarum, Seriphum cet., in quas Romani noxios relegabant, neque confundit istas cum Cyaneis sive Planctis. — Corn. *Sulla* dictator primus etiam probissimos cives in exilium eiiciebat. — v. 19. *Lucrinus* lacus apud Baias in Campania amoenissimus, Romanorum deliciae; cf. Hor. Epod. 2, 49. — v. 23. *Civis sui* h. e. ipse sibi et patria et civitas.

Ode XXVII. v. 2. *Aeacus* Aeginae rex, post mortem suae iustitiae gratia apud inferos factus iudex. — v. 21. *Vergiliae* nomen latinum Pleiadum sive Hyadum, quae afferunt pluvias. — v. 12. *Cerritus* h. e. mentis commotae, furore percitae. Cf. Hor. Sat. II, 3, 278. — v. 25. *Talpis* sc. caecis pro: caecitati cet.

Ode XXVIII. v. 1. Venustas dicitur *mater ferociae* h. e. superbiae plena. — v. 2. *Crinita* —

annulis h. e. circinnis, comis arte crispatis. Ita Martial. Epigr. II, 66:

Unus de toto peccaverat orbe comarum
Annulus incerta non bene fixus acu. —

v. 11. *Iphis*, puella Cretensis diu sexum mentita amavit Ianthen, Telestae filiam; sed sub ipsum nuptiarum tempus mutatur in virum. V. Ovid. Metam. IX, 735. sqq. — v. 13. *Utcunque* h. e. quacunque ratione. — v. 14. Post *alterum* pone commā. — v. 30. *Breve lilium* h. e. brevis temporis; ex Hor. Od. I, 36, 16. et II, 3, 13: nimium breves flores — rosae. — v. 34. *Tyndaris* i. e. Helena, ex ovo Ledae orta, unde Ledaea dicitur. — v. 36. cf. Ovid. Metam. XV, 233: Flet quoque, ut in speculo rugas conspexit aniles Tyndaris, et secum, cur sit bis rapta, requirit. — v. 37. *Multa putans* e Virg. Aen. VI, 332: Multa putans sortemque animo miseratus iniquam. — v. 40. *Lais* meretrix Corinthi infamis.

Ode XXIX. V. 3. *Stricta aure* h. e. arrecta, attenta. Sic Hor. Serm. II, 5, 95: Aurem substringe loquaci. — v. 9. *Mollis cathedrae* h. e. sellae muliebris, pro mollitie; cf. Iuven. Sat. I, 65. VI, 91. Hor. Sat. I, 10, 91: teque Discipularum inter iubeo plorare cathedras. — v. 7. *Caystrus* fluvius Lydiae oloribus abundans et celeber. Cf. Ovid. Met. V, 386: non illo plura Caystros Carmina cygnorum labentibus audit in undis. Cf. Hor. Od. I, 38. — v. 11. *Phryges* famosissimi erant mangones apud veteres. Herder: Cybelens Priester waren Verstümmelte. Ihr Gottesdienst war in Phrygien; und die wilde Musik dieses Gottesdienstes behielt fortan den Namen *phrygischer Tonkunst.*

Ode XXXI. v. 6. *Patria* verba h. e. sepulta qua-

sique humo tecta eoque putrescentia: *lubrica* i. e. excidentia facile ac profluentia. *Destituunt* i. e. deserunt plane loquentes avolantque, ita ut retrahi revocarique nequeant. — v. 17. *Sigalion*, i. q. Harpocrates, deus Aegyptiorum vel statua imposito ori digito silentium commendans. Cf. Auson. Epist. XXV, 27: Tu velut Oebaliis habites taciturnus Amyclis, Aut tua Sigalion Aegyptius oscula signet, Obnixum, Paulline, taces. — v. 18. *Sub rosa* h. e. inter nos dictum sit, ut inter familiares secretum. — v. 19. *Nequidquam* i. e. plane non, nullo modo; Hor. Epist. I, 3, 32. — v. 21. *Auribus Arcadum*, i. e. imperitorum ac profanorum. Cf. Iuven. Sat. VII, 160.

Ode XXXII. v. 3. *Conchae lapis* h. e. margarita, quae in conchis nascitur. — v. 4. *Iaspis* lapis pretiosus subviridis.

Ode XXXIII. v. 6. Publius Terentius Afer, natus Carthagine a. U. C. 561. Terentii Lucani senatoris Romani servus primum, deinde libertus, clarus comoediarum scriptor. Obiit supremum in Graecia XXXIX. aetatis anno. — v. 7. M. Attius Plautus, ignobili genere natus Sarsinae, oppidulo Umbriae, Romanae pater fuit comoediae. Is pecunia omni, quam in operis artificum scenicorum peperat, in mercationibus perdita, inops Romam rediens ob quaerendum victum ad circumagendas molas, quae trusatiles appellantur, operam pistori locavit. A. Gell. Noct. Att. III, 3. Vita excessit a. U. C. 570. h. e. a. Chr. n. 182. — v. 14. *Corduba*, Hispaniae oppido, nobilis Annaea familia fuit orta. Cuius duo sunt cognomine Senecae: M. Annaeus Seneca rhetor, eiusque filius L. Annaeus Seneca, clarus philosophus

Stoicus, qui iussu Neronis, quem a pueris informarat, in balneo dissectis venis periit a. Chr. 65. Utrius vero, an alius sint tragoediae, quae Senecae circum feruntur nomine, non constat. Hic est procul dubio, quem significat Balde. Cordubae autem natus erat Marcus quoque Annaeus Lucanus, poeta heroicus, qui Pharsalica cecinit, idemque philosophus Stoicus, occisus a Nerone ob suspicionem coniurationis, aetatis anno trigesimo. Eius pater erat Mela, frater Senecae. cf. Martialis Epigr. I. 62: Duosque Senecas unicumque Lucanum Facunda loquitur Corduba. — v. 16. *Thymele* est pulpitum, theatri antiqui pars. — v. 20. *Speculum Othonis maius* videtur titulus esse alicuius libri de apparatu theatrali. — v. 25. *Maspha*, castellum speculatorium. Aliquot erant huius nominis castella: hoc autem trans Iordanem in extremis finibus Galaad, versus montes Libanon et Hermon, ubi convenerant Galaaditae, ut contra Ammonitas (v. 30.) Iephtae confirmarent principatum. *Corn. a L.* — v. 27 *Arnon* fluvius in Palaestinae finibus in meridiem spectantibus. — v. 49. *Iephtias* Iephtae filia. — v. 59. *Sed istud peragetur intus* h. e. in interiore theatri parte. — v. 63. *Flaccus* sc. Horatius, v. Od. I, 38. Colla in laetioribus conviviis coronabantur. Hor. Sat. II, 3, 256.— v. ult. *Multa putans*, v. supra 28, 37.

Ode XXXIV. *Ebersberga*, v. ad III, 11.— v. 1. *Galenus* medicus erat celeber tempore Traiani. — v. 25. *Praelargus* umbrae, ut apud Virg. Aen. XI, 338: largus opum h. e. dives; et Pers. I, 14: pulmo animae praelargus. Hoc igitur dicit, se paene umbram esse totum. — v. 33. Polyhymnia et Terpsichore, duae Musarum, illa grammaticae, haec saltandi artis prae-

ses et cuiuscunque lactioris doctrinae doctrix. Altera Pindari, altera Hesiodi tutrix.

Ode XXXV. v. 3. *Maculosa lacrima* sensu activo: quae faciem reddit maculosam. — v. 18. H. e. non leviter imbutus praeceptis stoae, cui addictus fuerat Balde. Cf. 12, 9. Hor. Od. III, 21, 9: Socraticis madet sermonibus. — v. 21. *Sexu*, n. indecl. ex antiqua sed perquam dubia lectione in Sallust. fragm. ap. Macrob. Sat. II, 9: sexu virile ac muliebre per vias ac tecta omnium visebatur. Ubi nunc legitur *secus*. — v. 27. Fato omnia regi atque administrari voluerunt Stoici. Cf. Od. III, 7, 23: Animumque toto numine mergis. — v. 31. *Alcides*, h. e. Hercules, domitor leonis Nemei. — v. 43. *Rigidus* i. e. qui auro non capitur, incorruptus satelles Orci ex Hor. Od. II, 18, 34. Verum hic non de Charonte, sed de morte ipsa intelligendum. — v. 56. Nudus h. e. omnibus relictis vel omissis, etiam filio. *Aram* vero dicit filii tumulum. — v. 73. *Mene contemptam?* Sc. verumne, credibile est, me esse contemptam? Cf. Virg. Aen. I. 37: Mene incepto desistere victam? — v. 75. *Sipylus* mons Lydiae, in quo mutata in saxum esse narratur Niobe victa dolore liberorum amissorum. Cf. Hom. Il. XXV, 602. sqq.

Ode XXXVI. v. 4. *Menalcae* nomen pastoris ap. Virg. Ecl. X, 20. — v. 6. *Boeote*. Boeoti propter aeris crassitudinem tardioris esse ingenii credebantur, unde in proverbium abiit ingenium Boeoticumet auris Boeotica. V. Erasm Adag. chil. III, cent. II, 48. — v. 13. sqq. Ex Ps. 126, 2. — v. 17 *Brisacum* (Breisach) vel Brisacus mons, valentissimum Alsatiae oppidum ac munimentum Germaniae eximium, a Duce Bernhardo Vinmario, Gallorum socio, occupatum est,

postquam diuturnam sustinuit famem, 17. Dec. 1638. — v. 19. *Brenno* duce Galli Senones fuso ad Alliam fluvium Fabii consulis exercitu Romam invaserunt et aliquamdiu Capitolium arcem obsederunt, donec auxilio adventante Camillo pellerentur maximaque clade delerentur. — v. 20. *Male feriato;* cf. Hor. Od. IV, 6, 14. — v. 22. *Natus ad Aufidum*; his verbis semet ipse significat Horat. Od. IV, 9, 2.

O d e XXXVII. v. 6. *Cereris vitrum insigne nodis* h. e. pocula cerevisiaria nodosa, ventruosa scilicet vel ampullacea. *Struma* proprie est genus tumoris colli; hic vero scyphorum significat amplitudinem. — v. 11. *Gothunni* sive Gothini, item Gothones apud Tacit. et Claudian. populi sunt septemtrionales Silesiae ac Suediae. Hic pro Suecis. — v. 12. *Geticis verpis* significantur eunuchi apud Turcas frequentes. Getae, Geloni, Odrysae, Bistones (populi Thraciae), Thraces, Aemonii (i. q. Thessali), Alani (populus Scythiae) et Hunni passim vocantur Turcae. — v. 15. *Marsi* bellicosissimus Italiae populus. Hor. Od. III, 5, 9. I, 2, 30. — v. 16. *Polydamas* (producta prima syllaba) s. Polydamas, Antenoris filius, Troianus fortissimus. Alius athleta apud Val. Max. — v. 17. *A nigro Qui monte nomen tulit*, h. e. Adolph von Schwarzenberg illustrissimae in Franconia familiae, propter eximiam, qua contra Turcas pugnavit, fortitudinem Comes imperii creatus a Rudolpho II. imperatore a. 1599. — v. 19. Seyfridus *Sueppermannus*, civis Norimbergensis rei militaris peritissimus, statura parvus ac provectior aetate, a Ludovico Bavaro Imperatore electus militum dux gloriosissimae prope Ampfingam victoriae causa fuit maxima. Cum igitur finito proelio in mensa imperatoris nihil praeter ova ap-

poni posset, Ludovicus, fedem, inquit, ein Ei, dem frommen Schweppermann zwei. Quae verba sepulcrali eius lapidi insculpta leguntur Castelli prope Ambergam. — v. 24. *Solidi nihil ensis* h. e. virtutis verae opus nullum *audes?*

Ode XXXVIII. v. 6. *Bubonibus* significantur Turcae lucifugae. — v. 11. *Pharsalia* sc. planities, etiam pro Thessalia ponitur omni. Pharsalus enim est Thessaliae oppidum, in cuius planitie Caesar vicit Pompeium. — v. 13. *Fintandi* vel Finni populus Suediae; item *Lappi* sive Lappones, qui appellantur milvi, corvi, ut supra vultur Suecus. Hoc dicit poeta: coelestibus auspiciis bella et pericula portendantur Suecis Turcisque. — v. 14. *Ora Stymphali* pro Arcadia vel Thessalia vel Graecia tota. Nam Stymphalus est lacus et fluvius Arcadiae. — v. 14. Iam aquila tutor angelis sociatur custodibus ac de triumpho cogitatur coelesti.

Ode XXXIX. *Scanderbegi* cognomen Castriotus accepit a Turcis, quorum lingua est Alexander princeps; erat enim eorum iudicio alter Alexander, non amplitudine imperii, sed virtutum rerumque praeclare gestarum merito. Ab Ioanne patre cum quatuor fratribus Amurathi II. Turcarum tyranno obses datus ab eo solus natu minimus servatur Georgius, ceteris omnibus veneno sublatis, atque in disciplina militari quam diligentissime eruditur. Postea vero quam adultus et aliquot pugnis de tyranno bene meritus est, ab eodem paterno Albaniae regno est restitutus a. 1443. At ille una cum sceptro fidem recepit Christianam acerrimusque Turcarum adversarius factus Croiam regiam urbem parvo militum numero fortissime defendit contra

copiosissimas legiones Amurathis II, qui sub ipsis moenibus nihil ultus morte occubuit, et qui illum secutus est, Mohameti II, qui de pace cum eo agere coactus est. Duo millia Turcarum cecidisse fertur sua manu nunquam vulneratus. — v. 6. *Bistonas*, v. supra 27, 12 — v. 11. *Molossis* h. e. Epirotis orientem spectantibus. — v. 12. *Macetum* i. q. Macedonum. — v. 13. *Geticos*, v. 27, 12. — v. 14. *Semifer* i. q. Centaurus. Cruentam Centaurorum rixam pugnamque cum Lapithis in ipsis Pirithoi regis Lapitharum nuptiis subortam describit Ovid. Met. XII, 219. sqq. Cum his confundere videtur Balde *Labdacidas*, h. e. Labdaci, regis Thebarum, prolem aut Thebanos. — v. 18. sqq. Petierat Amurathes II Scanderbegi gladium; at contempsit missum. Cf. Sylv. lyr. V, 7, 13:

— — nam neque qui suum
Habere Turco misit acinacem,
Misisse Scanderbegus una
Ense manum memoratur usam. —

v. 32. *Aemoniasque*, v. 27. 12. — v. 35. *Arenas*, cf. Hor. Od. III, 4, 21: arentes arenae litoris; et I, 28, 1: arena numero carens. — v. 46. *Deliberata morte ferocior*, verba Horat. Od. I, 37, 29. — v. 48. *Freme mites arma*, v. 19, 30. — v. 68. *Decimo fluctu* h. e. validissimo, vehementi; cf. Ovid. Metam. XI, 530: decima unda, et Lucan. V, 672: decimus fluctus. Apud Silium XIV, 121: Boreas decimo volumine pontum expellit in terras. Graecis τρικυμία usurpatum pari modo. Aesch. Prom. 1015.

Ode XL. Ioannes Austriacus, ab Hispanis dictus Don Iuan, filius Caroli V. Imperatoris nothus, natus fuit Ratisbonae anno 1547. Postquam in

regno Granadensi Mauros feliciter debellavit, anno 1571 praefectus est classi Christianorum principum foedere iunctorum adversus Turcas, e quibus ad Ἐχινάδας, quinque Ionii maris insulas prope Acarnaniam, die VII. Octobr. anni eiusdem gloriosissimam reportavit victoriam. Quo proelio navali Turcarum perierunt viginti quinque millia, praetores vero insignes paene omnes. — v. 14. *Concani* populus Cantabriae in Hispania Tarraconensi barbarus. Singularem vocis numerum habes apud Hor. III, 4, 34: laetum equino sanguine Concanum. — v. 17. *Lunae cornu* sc. Turcarum est insigne. — v. 25. *Thessaliae nurus*, h. e. foeminae sagae et veneficae vel praestigiatrices imprimis erant infames. Cf. Hor. Od. I, 27, 21. — v. 26. *Indiga pelvis canorum tinnientis* h. e. barbara privata musica ac pompa sc. Luna. — v. 29. *Nereus*, Oceani filius, deus marinus. — v. 33. *Baetis* Hispaniae fluvius non procul Gadibus in Atlanticum mare incidens (hodie Quadalquivir). Ib. *Adria*, gen. masc. est mare Adriaticum, gen. fem. vero oppidum maritimum in Piceno. — v. 36. Venetorum insigne est leo alatus. — v. 39. *Triton*, v. 5, 38. — v. 40. *Anio* vel Anien (ēnis) Italiae fluvius apud Romam in Tiberim incidit. — v. 44. *Hippotades* i. q. Aeolus, Hippotae nepos, ut alii volunt, filius.

Ode XLI. Ioannes Corvinus Hunniades, praefectus Transylvaniae et dux militum Ladislai regis Ungariae eximia fortitudine ac summa gloria proeliatus est contra imperatores Amurathis anno 1442 et 1443, quem post septem mensium obsidionem Alba Graeca (Belgrada) discedere coegit. Interfuit anno 1444. pugnae Varnensi, in qua cum Ladislaus fatali

Christiano nomini occubuisset morte, Pannoniae gubernator electus est. Superatus a Turcis est die 17. 18. et 19. Octobr. anni 1448. Sua est opera impeditum, quominus expugnaret Mohametes II. Albam Graecam, quam urbem obsedit a. 1456. Vita excessit die 10. Septembr. anni eiusdem. — v. 4. *Odrysii*, v. 37, 12. — v. 38. *Pelasgos per saltus*, i. e. Graecos, a Pelasgo antiquissimo Graeciae rege. — v. 40. *Capanea pinus* i. e. hasta, ut 39, 16: ornus. Capaneus, Hipponoi filius, unus e septem expeditionem contra Thebas facientibus, quum moenia ascenderet scala, fulminis ictu exstinctus est. *Explicuit* sc. occidendo.

Ode XLII. v. 19. *Tillias* h. e. poema heroicum Tillium militum ducem celebrans.

Ode XLIII. Cf. Hor. Od. IV, 3, 1: Quem tu, Melpomene, semel. — v. 4. *Pegaseus fons* i. q. Hippocrene, fons Heliconis montis in Boeotia. — v. 7. *Pieria chelys* s. testudo i. q. lyra vel carmen. Pierus fuit Macedo dives, cuius filiae novem in picas mutatae sunt a Musis, quas cantu provocaverant. Est etiam mons Thessaliae Pierus, Musis sacer, unde Pierides dictae sunt. — v. 9. sqq. Lalage, Licymnia, Glycera ab Horatio cantatae foeminae. — v. 31. *Fides Teia* i. e. lyrica, a Teo oppido Ioniae, ubi natus est Anacreon poeta lyricus excellentissimus. — v. 36. Cf. Hor. Od. I, 1, 35: Quodsi me lyricis vatibus inseres, Sublimi feriam sidera vertice.

Liber secundus.

O d e I, v. 2. *Laudibus* (accipe de laudis vel gloriae signis, qualia sunt decora et insignia) *asperae* h. e. plenae. cf. Virg. Aen. V, 267: aspera signis cymbia, et IX, 263: pocula signis aspera; vel Ovid. Met. XII, 235: signis exstantibus asper Antiquus crater. — v. 5. *Chinarum* (s. Sinarum), ad quos Baldaei aetate primum religionis lumen christianae erat perlatum institutis Iesuitarum missionibus, quas vocant. — v. 13. Gratiarum plena Virgo Galileis iam comparatur ipsa cum navi divitiis opibusque repleta in portum revertente. Cf. Parab. Salom. C. 31, 14: Facta est quasi navis institoris de longe portans panem suum. Et Od. III, 11, 15. — v. 16. est versus hypermeter. — v. 26. *Saba*, urbs Arabiae felicis. Sabaeus i. q. Arabicus. — v. 28. *Cilicia*, provincia Asiae inter Taurum montem et mare, croco fertilis, ex quo cocta aqua, quam in theatris Romanis instar imbris spargebant, vocatur ros Cilix, nimbi Cilices. — v. 29. *Genista* est genus funiculi e cortice seu libro arborum facti. — v. 32. *Libanus*, mons Syriam inter et Palaestinam praealtus semperque nive tectus, ferax cedrorum aliarumque arborum pretiosarum. — v. 34. *Sion* est summus Hierosolymorum collis. — v. 36. *Divina Cerere* significatur s. Eucharistia. — v. 42. *Uva Calena* sc. generosior agri Caleni in Campania. — v. 43. *Chrysolithus* est gemma aureis distincta venis. — v. 44. *Ignibus marinis* significantur margaritae quasi maris sidera. — v. 49. De Salomonia classe aurum apportante v. Reg. III, 9, 26—28.

Ode II. *Milo*, athleta a Crotona in Italia inferiore, sexies Olympionices. Cf. Ovid. Met. XV, 229. — v. 1. *Iuvenile* i. e. more iuvenum, temere. — v. 3. *Tenuare* h. e elevare, quo sensu usus est verbo hoc Hor. Od. III, 3, 72: Magna modis tenuare parvis. — v. 12. *Ligneus* i. q. fragilis, debilis. — v. 14. *Mea bella* vocat taurum, quocum pugnabat. — v. 15. *Indus Phaethon* i. q. oriens, Iberus vero occidens Sol. — v. 18. *Antaeus*, Vulcani et Terrae filius, gigas CLXIV cubitos altus, quem Hercules, quod ter prostratus surrexisset semper fortior Terra matre vires suppeditante, sublimem tenens tandem suffocavit. Huius se fratrem suo iure dicit Milo. — v. 30. *Immotis pedibus* stetisse sc. in disco oleo illito, ut traditur, nullius impetu depellendus. — v. 32. *Pomum* sc. Punicum. Pausanias L. VI. refert Milonem Punicum malum adeo firmiter manu compressa tenuisse, ut neque, qui conatus esset, extorqueret, neque ipse tamen illud elideret.

Ode III. v. 7. *Leo flavus* est insigne Bavariae; albus vero dicitur mons ad Pragam urbem situs, quem insederant hostes. — v. 20. *Maximum Aemilianum* honoris causa appellat Maximilianum I. Electorem Bavariae. Familiae enim Aemilianae erant P. Cornel. Scipio Africanus maior, qui bello Punico secundo Hannibalem vicit, et P. Corn. Scipio Africanus minor, illius nepos, qui Carthaginem delevit bello Punico tertio. Maximilianus I, caput Ligae, atque a. 1619 Ferdinando II. Imp. foedere iunctus, una cum Tillio, qui Bavaros, et Bucquoio, qui ducebat Austrios, in monte albo ad Pragam Fridericum V, Electorem Palatinum, hac ipsa hieme crea-

tum regem Bohemiae, magna clade stravit ac devicit d. 8. Nov. a. 1612. — v. 26. *Aemus* s. Haemus mons est Thraciae (Balkan). — v. 55. Christianus Anhaltinus Princeps, Bohemorum praetor, eo proelio fortissime pugnans vulneratus ex equo decidit. — v. 57. Henricus Matthias Comes de Thurn auctor erat rebellionis Bohemicae praecipuus bellique insequentis causa maxima. Alludit poeta ad Turnum, Rutulorum in Italia regem, quem superavit Aeneas. Cf. Virg. Aen. XII. fin. — v. 62. *Megalesia* fuere ludi, qui fiebant Romae honori Cybeles deae, Divorum omnium matris. — v. 73. *Perisceli*s (περισκελίς) apud Romanos veteres aureum cruris vinculum (cf. Hor. Epist. I. 17, 56.), h. l. decus Anglicum ab Eduardo III, Britanniae rege, a. 1351 institutum: der Hosenbandorden. Dum enim proelium committeretur, ipse Fridericus in arce Pragae amplissime coenans exitumque exspectans, accepto cladis nuncio praecipitem sese in fugam dedit, in qua quidem fuga non arma, sed ornatum muliebrem abiecit. Diadema autem regium Bohemiae, ab Imperatore donatum Maximiliano, etiamnunc Monachii in thesauro regio asservatur.

Ode IV. v. 5. cf. Hor. Od. 13, 5. — v. ult. *Ianitor Orci* est Cerberus, canis triceps.

Ode V. v. 5. Dele comma post patrimonium. — v. 6. *Maneis quisque* cet. cf. Virg. Aen. VI, 6: Quisque suos patimur manis, h. e. tormenta, supplicia. Cf. Ode III, 32, 85. — v. 10. *Notas* h. e. tintinnabula (Schellen) v. Burmann. ad Quintilian. Inst. VIII, 6. — v. 11. Verba Horatii Od. IV, 12, 28. — v. 15. *Midas*, Gordii regis filius, Apollinem inter et Pana constitutus arbiter de arte musica,

cum dixisset victorem Pana, ab illo inditus auribus est asininis. — v. 16. *Dandira Dandirae* include commatis. — v. 18. *Borysthenes*, fluvius Scythiae s. Sarmatiae magnus, in Euxinum incidens (Danapris, nunc Dnjepr). — v. 19. *Isara* torrens fluvius Bavariae, Monacum urbem praeterfluens. — v. 23. *Imbricitor*, h. e. imbres ciens, pluviosus. Verbum Ennianum. — v. ult. *Gorgo* h. e. Medusa, cuius crines auro pulchriores ira Palladis, cuius templum violaverat, in serpentes mutati sunt, ita ut quisquis eius caput aspiceret, mutaretur in lapidem. Quod cum amputavit Perseus, eius e sanguine ortus est Pegasus. Igitur *Gorgone sibilat* i. q. poenas dat, furias patitur; cf. v. 6.

Ode VI. v. 5. sqq. Cf. Hor. Od. II, 10, 1—4. — v. 9. *Ceraunia*, montes Epiri in mare procurrentes, praealti et naufragiis famosi. — v. 12. *Emmanuel Sosa*, Lusitanus, rebus in India praeclare gestis repetens Lusitaniam egregio naufragio acerbissimam fortunae expertus est vicissitudinem. V. Ioan. Pet. Maf. hist. Ind. l. 16. Est etiam Baldaei aetate tragoedia celebratus a Nic. Avancino. — v. 18. *Mentes hiulcas* i. e. ambitiosas, avidas gloriae. *Hiulcus* inhians alienis: ita Plaut. Trinumm. Act. II, sc. II, v. 9: hiulca gens. — v. 44. *Fremit arma*, v. I, 19, 30. cf. Virg. Aen. IX, 453: Arma manu trepidi poscunt, fremit arma iuventus. Cf. Bentley ad Hor. Od. I, 35, 4.

Ode VII. v. 8. *Naias* est nympha fontium et fluviorum. Cf. Hor. Od. I, 2, 7 sqq. — v. 14. *Sic me Diva iuves.* Cf. Hor. Od. I, 3, 1–2.

Ode VIII. v. 1. *Magni carceris* h. e. palatii; cf. vs. 26. et vs. 6—7. — v. 3. *Seriphus*, una Cycladum,

insula petrosa, in quam Romani frequenter deportabantur tempore Caesarum. — v. 4. *Gyari* (s. Gyaros) insula sterilissima maris Aegei, una e Cycladibus, multorum Romanorum exilium. Cf. Iuven. Sat. X, 170. — v. 7. *Maurorum columnae* i. q. ultima recisae Africa. Hor. Od. II, 18, 4. sc. e marmore Numidico vel Libyco nigri coloris. — v. 9. sq. *Per quae milvius* (rectius: miluus) *volans lassavit alas.* Vid. Erasm. Adag. Chil. III, cent. VI. 3. Cf. Persii Sat. IV, 26: Dives arat Curibus, quantum non milvus oberret. Et Iuven. Sat. IX, 54: Dic, passer, cui tot montes, tot praedia servas Appula, tot milvos intra tua pascua lassos? — v. 11. Construe: Ubi nunc nomen avitis bullis (h. e. ex avorum fonte diffusum vel) sparsum fluitare (ut fluitet)? ubi nunc sanguis originem cruenti tyranni foetens? — v. 19. *Gaurus* est mons Campaniae prope campos Massicos et Surrentinos. Ostrea Gaurana h. e. Lucrina: nam lacus Lucrinus alluit Gaurum montem. — v. 23. *Adami poma* causa fuere mortis, unde funesta dicuntur. Ironice vero additur: Insere nunc, Meliboee; e Virg. Eclog. I, 74: Insere nunc Meliboee piros, pone ordine vites. — v. 29. *Tyrii vomit spumas aheni*, de purpurea veste intelligendum: Spreitzt sich im Farbenschaum des Tyrischen Kessels. — v. 32. *Heliades* sunt Solis filiae, quarum lacrimae de Phaethonte fratre in electrum (Bernstein) mutatae sunt. Ovid. Met. II, 340. Unde *crustae* h. e. caelaturae *Heliadum* sunt pocula electrina s. succinea. Cf Iuven. Sat. V, 37: Ipse capaces Heliadum crustas et inaequales beryllo vitro tenet phialas. — v. 33. *Solutis Caecuba clavibus*, sc. cellae, cf. Hor. Od. I, 37, 5—6. II, 14, 26. — v. 40. *Funereus triens* est naulum, quod Cha-

ronti, nautae umbrarum apud inferos, solvere debebant pro transportatione. Quare mortuis in os reponebatur. — v. 44. *Lethe*, inferni fluvius afficiens oblivione.— v. ult. *Porta eburnea* Averni, ex qua somnia vana emittebantur atque mendacia. Hom. Odyss. XIX, 562. sqq. Cf. II, 36, 1.

Ode IX. v. 11. *Galatea*, Nerei filia, nympha. Antiquus erat mos naufragorum suspendere vestes votivas in fanis deorum navigantibus propitiorum. V. Hor. Od. I, 5, 14—16.

Ode X. Cf. Senecae Epist. LXII. — v. 7. *Libertas* h. e. civium ardor prava iubentium. Hor. Od. III, 3, 1—4. — v. 13. cf. 27, 29. sqq. et Seneca de Tranquillitate animi c. III. — v. 14. *Ausones* mediae et inferioris Italiae incolae, Itali et Romani. — v. 15. *Sconga* (B. Schonga. Schongau.) amoenum Bavariae oppidum ad Licum fluvium. — v. 37. *Tam curiosis luminibus vigil* etc. Cf. Hor. Epist. I, 6, 1: Nil admirari prope res est una, Numici, Solaque, quae possit facere et servare beatum. — v. 44. *Charybdis*, gurges est in freto Siculo, e regione Scyllae, navigantibus infestissimus. — v. 50. sq. *Quam parum* minus recte pro quam non. Parum enim est non satis, minus. Corrige: quam nihil. *Segmenta tonsae sparsa barbae.* Metaphora minus pulchra, quamvis nervosa et evidens. — v. 62. *Luctator obstat laneus* h. e. patientiam opponet ac tolerantiam. — v. 66. *Maior* i. e. superior ac victor *uti* sc. malis *gaudet*. Egregie Herderus: Er nützt die Pfeile des Schicksals. — v. 70. *Geta* pro milite capto, servo cf. I, 37, 12. — v. 72. *Ad populum silentem* h. e. umbras. Cf. Virg. Aen. VI, 432: concilium silentum.

— v. 84. *Cras aliam* etc. Cf. Hor. Od. I, 7, 32: Cras ingens iterabimus aequor.

Ode XI. v. 7. Cf. Hor. Od. I, 2, 7: Omne cum Proteus pecus egit altos visere montes. — v. 9. *Therapnae*, oppidum Laconiae prope Taygetum montem, ubi nata erat Helena. Nonnunquam pro Laconia omni. *Amyclae*, regia Tyndari urbs prope Spartam et Therapnas, unde Therapneae dictae sunt. Ibi vetustissimum Apollinis templum. Mart. Epigr. IX, 104. — v. 10. *Cynthus* mons altissimus Deli insulae, in quo nati dicuntur Apollo et Diana. — v. 12. *Maenala* i. q. Maenalus mons Arcadiae altissimus, pinis consitus, ac venatu celeber, h. e. *agitatus*. Ovid. Met. I, 216: latebris horrenda ferarum Maenala. — v. 22. *Nymphae* i. e. Virginis divae. — v. 32. *Oenus* est Norici flumen et alpium Tirolensium.

Ode XII. v. 1. imit. Hor. Od. III, 12, 1. — v. 4. *Proles Genitoris sine matre* i. q. Filius Dei Patris aeternus. — v 5. *Libanus*, v. Od. II, 1, 32. — v. 10. *Proles Genitricis* sine patre sc. humano i. q. Matris virgineae. — v. 14. *Solyma* i. q. Hierosolyma, urbs Palaestinae regia.

Ode XIII. v. 2. *Maia*, Atlantis filia, ex qua natus Iovi Mercurius, umbrarum dux ad inferos Superumque nuncius. — v. 5. *Egra* (Eger) oppidum in finibus Bohemiae et Saxoniae situm, id temporis munitissimum, quo Wallensteinius Pilsna (Pilsen) sese recepit ab Imperatore proditionis causa honoribus privatus omnibus. — v. 7 — 9. Mercurius capite gestabat petasum sive pileum alatum, pedibus talaria h. e. calceamenta alata, manu caduceum h. e. sceptrum alatum in spiram euntibus serpentibus. — v. 13. *Fontem ducis* vocat Wallensteinii refugium suo-

rumque concilium. — v. 14. *Maior audiri* i. q. vix fide dignus, incredibilia narrans. — v. 17. *Linguis favete*, cf. Hor. Od. III, 1, 2. — *v.* 26. *Galassus* (Galas) Imperatorem de Wallensteinii proditione atque nefariis consiliis certiorem fecerat, in eiusque locum successit. — v. 31. sqq. Quam brevissimo tempore maximos facere delectus numerosissimasque cogere copias insignis erat Wallensteinii industria atque potestas. — v. 35. Exercitus s. acies militum ferrata comparatur aciei aristarum sive segeti densissimae agri Medi, aut quae in Africa inundationis marinae aquam bibit, aut quae copiosis pluviis est saturata. *Amphitrite*, Neptuni uxor, ponitur pro mare. — v. 48. *Serae tempore brumae:* 13. Febr. 1634 Egram venerat odiosus Germaniae dictator ac die sequenti periit. — v. 49. *Sic Divi voluere.* Ferdinandus enim Imperator proditoris iusserat mortem, quam ut securi ac sine tumultu patrarent, coniuraverunt Io. Gordonus Scotus, praefectus Egrae, Butlerus et Walther Leslius centuriones. Cf. v. 3. 119. sq. 20. — v. 57. *Iste* h. e. Gordonus Fridlandi negotium. — v. 61. *Thyesteae victimae* i. e. mortem proditione meritae, ut Thyestes adulterio cum fratris uxore inimicitiarum causa commisso filii necem. Thyesti enim Atreus frater filium ex adulterio illius natum coctum apposuit. Refugisse atque obscuratum Solem esse a tanto facinore aiunt poetae. — v. 62. *Ilo* praetor, *Terskius* comes, *Nyemannus* (Neumann) magister equitum, et Wilhelmus *Kinskius* coniunctissimi Wallensteinio. — v. 69. Robertus *Geraldini*, Butlerianorum equitum centurio unacum Deverone (Deveroux) magistro equitum in arcem immissus. — v. 84. *Medusa*, v. Od. II, 5, ult. — v. 93. Lege: Garamas. *Garamantes* populi Africae interioris ad fluvium Garamantem

et Ciniphem. — v. 104. *Cacus*, Vulcani filius, famosus Italiae latro, ab Hercule ob furtum boum occisus. — v. ult. *Pleiades* erant Atlantis filiae septem, unde Pleiade (sc. Maia) natus dicitur Mercurius; cf. vs. 2. *Fidicen* recte vocatur lyrae inventor.

Ode XIV. v. 1. *Maenalia* dea, i. q. Diana; cf. II, 11, 12. — v. 8. *Calydon* (ōnis) urbs Aetoliae, ubi aprum horribilem populatione occidit Meleager Oenei f., rex Calydoniae. — v. 21. *Oreades* sunt nymphae montium. — v. 23. *Amyclis*, v. 11, 9. — v. 26. *Nebrophone*, nympha et Dianae socia. — v. 27. *Lycaste*, meretrix Siciliae pro Venere culta; alia Priami filia, uxor Polydamantis. — v. 28. *Thero* (*Θηρώ, όος* v. *οῦς*) (us v. onis) nutrix Martis. Hes. fr. 21, 4.

Ode XV. *Minos*, Iovis et Europae filius, Cretae rex et legislator, post mortem factus inferorum iudex. — v. 2. *Iste* sc. reus ferro debilis h. e. sine potestate; *hic* sc. iudex ferox (violentus) argento, sc. quo est corruptus. — v. 5. *Sphinx* pro aenigmate vel arcano. — v. 12. *Tartareus hircus* i. q. diabolus, belluarum formas induere sollers. — v. 14. *Hermus* fluvius Phrygiae magnae aurifer. Alludit poeta, ut notat Orellius, ad Demosthenem poculo aureo corruptum ab Harpalo. Cf. Plutarch. vit. Dem. — v. 29. *Manlius* Torquatus proprium filium iniussu pugnantem hostesque vincentem morte mulctavit. Liv. Hist. l. VIII, c. 7. — v. 30. *C. Laelius* consul admodum indulgens fuit ac facilis. Cic. pro Murena c. 3. — v. 32. *Atticus* humanitate, *Cato* severitate insignes. — v. 33. Capitis damnatorum nominibus iudices apud Graecos primam vocabuli *θάνατος* literam praefigere solebant. Cf. Pers. Sat. IV, 13: Et potis es nigrum vitio praefigere Theta. Mart. Epigram. VII, 37. —

v. 35. Apud Romanos capita eorum, quos supplicio capitis afficerent, obnubebantur sacco. Liv. I, 26. — v. 37. *Scythico* pro barbaro. — v. 41. Procop. de Bello Goth. Lib. I, c. 1. haec narrat: Theodorico, postquam adulatorum calumniis inductus Symmachum (consulem Romanum, virum sapientem ac virtutibus illustrem) et Boethium iniuste necasset, caenanti cum piscis grandioris caput ministri apposuissent, visum id est Symmachi caput esse recens obtruncati, quod dentibus inferiori labro impressis et oculis torve truculenterque tuentibus graviter minantis haberet speciem, quo prodigio territus et animi dolore pressus paullo post obiit. — v. 46. *Ab iride* h. e. ex nubibus vel de coelo. V. Apocal. I, 7.

Ode XVI. Maria Aegyptiaca, quinto post Chr. nata saeculo, iuvenilem luxuriam diuturna ac rigidissima luit poenitentia.

Ode XVII. v. 1. *Lucretia*, matrona Romana, casta Collatini uxor, a filio Tarquinii Superbi violata, sceleris coram senatu a se facto indicio, pugione mortem sibi ipsa conscivit. Quo facto pulsus Roma ultimus rex. — v. 7. *Nympharum* i. e. virginum. — v. 8. *Strymon* Macedoniae et Thraciae flumen frigidum. Inde adj. i. q. Thracius, hic Amazonius. *Memoranda* h. e. describenda vel pingenda. — v. 9. *Hippolyte*, una Amazonum, Thermodontem fluvium Thraciae accolentium virginum bellicosarum atque fortium. — v. 12. *Penthesilea*, Amazonum regina, quae Priamo contra Graecos auxilio venit victaque est ab Achille. — v. 21. *Cloelia*, virgo Romana, Porsenae Thuscorum regi Romam obsidenti missa pro obside, clam e castris se subduxit Tiberimque tranans pervenit in urbem. — v. 22. *Anglipolis* (Ingolstadt) munitissimum

Bavariae castellum, bello triginta annorum saepius a Suecis frustra oppugnatum. — v. 26. *Pholoe*, fictum nomen nymphae marinae, ut videtur, apud Horatium feminae, Hor. Od. I, 33, 6. Tibull. I, 8. — v. 29. *Nais*, i. q. Naias nympha vel dea fontium. — v. 30. *Triton*, Neptuni ex Amphitrite natus filius, deus marinus. — v. 39. *Rhenus exploravit*. Erat genus ordalii probatio aquarum sive immersio liberorum in fluvium apud maiores nostros aliasque regionis Aquilonaris nationes usitatum. *Sibyllam* i. q. virginem, sinceram. — v. 42. *Landsperga*, oppidum Bavariae ad Licum, a Suecis a. 1633 expugnata est crudelissimaque caede et igne vastata. ¡Quo in tumultu agmen virginum insectante hoste de praerupto monte sese praecipites dare maluerunt, quam violari. Cf. v. 69. sq. — v. 43. *Landishuta* oppidum Bavariae ad Licum inferiorem. — v. 53. *Lacaena* sc. fuit Helene adultera. — v. 61. *Turgida Libero* i. q. Baccha; cf. Od. I, 25, 5. — v. 66. *Ionia* arte saltandi erat nobilis.

Ode XVIII. Herder: Mehreren Lesern werden Gemaelde bekannt seyn, wo dies sanfte Zusammenschmiegen der hl. Mutter und des Kindes, und das geistige Band, das beide zu Einem verbindet, unbeschreiblich schoen ausgedrückt ist. — v. 5. *Centimanus frutex* h. e. hedera. — v. 6. *Illa* sc. quercus. — v. 14. *Coagulum* tropice pro causa, sc. vitae tuae Puer, tu vero vitae Pueri quasi vinculum.

Ode XIX. v. 12. Philippi II. regis Hispaniae imagine impressi nummi bello triginta annorum crebri in Germaniam transmissi sunt auxiliares. — v. 19. *Dipsas* (δψάς) genus serpentis veneno vehementem iniiciens sitim. Cf. Lucan. Pharsal. IX, 737. — v. 23.

Hebrus fluvius Thraciae aurifer. *Vagus error;* cf. Virg. Aen. VI, 532: erroribus pelagi actus. Aen. I, 755: errores tuos dic nobis. — v. 33. *Alba ales* h. e. laeta, felix, cf. Iuven. XIII, 141: galinae filius albae.

Ode XX. v. 3. *Nova Babylon* h. e. Monachium. — v. 8. *Lepidae* h. e. venustae, gratae, ut Plaut. Aulul. IV, 8, 4: lepida dies. — v. 11. *Flama* i. e. vividus color florum vernantium. — v. 12. Herder: Wie die Rose leuchtende Strahlen aus ihrem Kelche aushaucht. — v. 16. *Amellus* (Aster Amellus L.), Sternblume, cuius floris purpurei elegantissimam descriptionem leg. ap. Virg. Georg. IV, 27. sqq. — v. 24. *Asarota.* Intelligit poeta pavimenta tesselata e marmore picto vel alio lapide, quibus in hortis locupletiorum topiaria erant distincta et circumdata. *Orell.* v. 38. *Lyaeus* i. q. Bacchus amara curarum eluere efficax (Hor.) — v. 45. Describit poeta diaetam in silvis abditam picturisque et cornibus cervinis exornatam. — v. 47. *Apelles*, pictor nobilis, pro pictura sive coloribus. — v. 49—50. *Canicula* (Sirius) et *Leo* sunt signa coelestia. — v. 53 *Cydnus* Ciliciae fluvius frigidissimae aquae, cuius prata amoena describ. Curt. L. III, c. 4. — *Antium*, oppidum Latii maritimum. — v. 54. *Tusculum* oppidum amoenissimum prope Romam, ubi Ciceronis praedium. — *Praeneste* templo Fortunae celebri sacrum, et *Tibur* (supinum Hor. Od. III, 4, 23.) oppida Latii prope Romam. Tibur in colle leniter assurgente positum et aquis ex edito desilientibus insigne. — v. 56. *Hesperidum*, trium filiarum Hesperi, erant horti poma aurea ferentes in Oceani insula ad occidentem vergentis extrema. — v. 58. Phaethontis casum in Eridanum h. e. Padum de-

iecti plangentes sorores mutatae sunt in arbores ; cf. ad 8, 32. Ovid. Met. II, 323.

Ode XXI. *Pythagoras* Samius numerorum et intervallorum musicorum inventor cum philosophia coniunxit musicam iussitque discipulos suos ad sonum instrumenti musici ire cubitum ac surgere. — v. 26. *Hilarus* antique pro hilaris. Terent. Adelph. V, 3, 56. — v. 31. *Stygius tyrannus* i. e. Pluto, qui Proserpinam, Cereris filiam, in Aetna monte legentem flores rapuit. — v. 35. *Hymenaeus* est deus nuptiarum. — v. 41. *Siculae rupis* (Aetnae) *faber* i. q. Cyclops.

Ode XXII. v. 2. *Pygmalion*, Agenoris nepos, cuius statua eburnea in foeminam vivam mutata est. — v. 9. *Earinus* eunuchus, Domitiani deliciae, pulchris insignis comis, laudatur a Martiale. Epigr. l. IX, 12. et Stat. Sylv. III, 4. — v. 10. *Nisus*, Megarae rex, purpureos habuisse crines fertur. *Sua deceptus figura* h. e. Narcissus. Ovid. Met. III, 370. sqq. *Sangarius* i. e. Atys, puer formosus in Phrygia, quem amavit Cybele. — v. 12. *Latmius* i. q. Endymion, pastor Cariae formosissimus, a Latmo monte, in cuius spelunca a Luna sopitus est. *Idalius* et Cupido et Adonis vocatur, ab Idalo monte Cypri silvoso et Veneri sacro. — v. 14. *Praxiteles* nobilis statuarius. — v. 16. *Cytherea* (sic) i. q. Venus. v. Od. I, 7, 25. — v. 20. *Satyri* i. q. Fauni, silvarum dii iocosi ac lascivi. — v. 23. *Napaeae* nymphae silvarum vel fluminum. — v. 30. *Zephyritis* i. q. Flora. —

Ode XXIII. v. 22. *Obstetrix ;* cogitari potest Parca, Atropos. *Primaeva* coniunge *vincla peritura*. Correxi : *secet* pro *secat*, immutata interpunctione. Nam Ed. pr. habet duo puncta post *corpus*, et post

obstetrix comma, clauditque apodosin voce *cultro*. Quod ferri potest, delcto tamen post *obst.* commate. —v. ult. *Aeson*, rex Thessaliae, senio paene confectus rogante Iasone eius filio a Medea iuventuti est restitutus. v. Ovid. Met. VI.

Ode XXIV. v. 6. *Sara*, uxor Abrahae. *Rebecca* uxor Isaaci parit geminos Gen. 25, 24. Iacobi patriachae uxorum altera *Lia* erat lippa, altera *Rachel*, pulchris oculis. Illa fertilis, haec partu difficilis. Gen. 35, 17. — v. 14. *Hesthera* s. Esthera sponsa Assueri, regis Persarum, venustate insignis. — v. 21. *Sulamitis* Salomonis regis sponsa. Cant. 6, 12. De qua ipse ib. c. 4, 9 canit: Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui. — v. 25. *Debora*, quae iudicio Israelitarum praeerat, una cum Baraco arma sumens devicit Sisaram ducem, quem fugientem Iahel, matrona fortis, transfixit clavo. Cf. Iud. IV, 4 — v. 41. *Iessida* i. q. David. De improbo Nabale eiusque coniuge Abigaile v. I. Reg. 25.

Ode XXV. v. 4. *Popilius* Laenas, tribunus plebis, quem Cicero in capitis accusatione defenderat, agentibus M. Antonio, M. Aemil. Lepido et Octaviano Augusto, triumviris rei publicae constituendae, percussor suo benefactori est subornatus a. 43. a. Chr. Octavianus vero, quem orationibus suis Philippicis contra Antonium aliisque rationibus Tullius multum adiuverat, non restitit Antonio suadenti caedem summi oratoris. — v. 6. *Nunquam curulem presserat auream.* Dio Cass. Hist. l. LIV, c 10. haec habet: „Augustus a senatu rogatus magistrum se morum in quinquennium creari passus est; potestatemque censoriam in idem tempus, consularem autem,

quamdiu viveret, accepit: ut semper et ubique fascibus duodecim uteretur, ac in medio consulum cuiuscunque temporis sella curuli sederet.“ At de aurea sella, qualem teste Suetonio (Caes. c. 76.) Iulius Caesar sibi decerni passus est, in Augusti vita nulla fit mentio, quin contra de industria id cavisse videtur Augustus, gratiae quippe popularis studiosissimus auceps, ne in suspicionem vel regni vel divini adeo cultus adfectati incurreret. Quid quod idem Dio memorat: sellam illam auream, Caesare extincto, statim in Capitolium reportatam et in perpetuum tempus ibi asservatam fuisse. *Orell.* Sed poeta usus est sua licentia. — v. 9. *Dardanius* i. q. Romanus. — v. 10. *Procacis leno Volumniae.* (Ex ed. Mon. alt.) Antonius luxuriosa cum Volumnia liberta consuetudine turpitudinis atque infamiae maculam sibi inussit. — v. 14. *Romulei potens alumnus ostri.* Romuleo ostro videtur significari toga Romanorum praetexta, cuius alumnus dicitur Augustus ideo, quia illam nunquam deponebat, puerilem statim mutans cum Imperatoria. De usu praetextae locus classicus est ap. Liv. Hist. l. XXXIV, 7. *Orell.*

Ode XXVI. v. 11. *Arctous tyrannus* h. e. Gustavus Adolphus, rex Sueciae. Is cum Friderico V. Electore Palatino 27. Mai. a. 1632 Monachium veniens urbem occupavit, sed ingenti pecunia imperata mox VII. Iun. anni eiusdem discessit. — v. 13. *Balthis* i. e. copiae Suecorum (a mari Balthico), quae instar maris inundaverunt Bavariam. — v. 20. *Hunnus;* v. ad Od. I, 37, 11. — v. 21. Io. *Panerius* et Gust. *Hornius* praetores Suecorum. — v. 23. *Hebronus* quis fuerit non liquet. Verisimile est, a poeta significari Bethlen Gaborem Transsylvaniae principem (cf. IV, 45,

46.), qui bello per Germaniam flagrante *Iazygum* (h.e. Turcarum) *subnixus armis omnem Pannoniam turbavit.* An placet corrigere: Edonus? Cf. 30, 33. Hor. Od. II, 7, 27. — v. 47. *Faustina* i. e. faustos, felices reddens homines populosque, prosperos successus secundans. *Orell.* — v. 48. *Parius mons* i. q. marmoreus. — v. 50. *Latiis* i. e. Romanis. — v. 57. Statua enim in memoriam victoriae Pragensis erecta orientem versus spectat vel auroram minorem i. e. naturalem. Generis nempe humani grandior aurora est Salvatoris Mater.

Ode XXVII. De *Brisaco* cf. Od. I, 36, 13. — v. 4. *Thracii barb.* i. e. Orphei s. lyrici. — v. 12. *Damastor* (δαμάστωρ domitor) sc. urbium, quod nomen erat Bernhardo Vinmario. Fuit etiam Damastor unus e Gigantibus. — v. 18. *Bromius* (Βρόμιος, coelo natus tonante) i. q. Bacchus. — v. 23. *Maeotis* sc. palus, hodie mare Azovium, exilium Ovidii. — v. 24. *Sauromatae* i. q. Sarmatae, populi Scythici Europae et Asiae, circa pontum Euxinum, Borysthenem, Tanaim et mare glaciale habitantes — v. 25. *Phasidis.* v. Od. I, 1, 7. *Canae* i. e. niveae. Cf. Virg. Georg. I, 43: Vere novo gelidus canis quum montibus humor Liquitur. — v. 28—29. Cf. III, 34, 51. — v. 36. *Ausoniae* i. e. Latii. cf. 10, 14.

Ode XXVIII. Est quinta libri V. Sylvarum, quam iuventutis gratia loco odae vigesimae octavae huius libri huc transposui. — v. 6. *Apollo turbidus* sc. propter oracula obscura explicatuque difficilia, unde a Graecis vocatur Λοξίας. — v. 7. *Brutus* sc. L. Iunius Brutus, qui Romam liberavit a tyrannide Tarquinii Superbi. Cf. Virg. Aen. VI, 818. seqq: Vis et Tarquinios reges animamque superbam Ultoris Bruti, fa-

scisque videre receptos? Consulis imperium hic primus saevasque securis Accipiat, natosque pater nova bella moventis Ad poenam pulchra pro libertate vocavit. — v. 8. *Sic oculos tulit*, cf. Virg. Aen. III, 490: Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat. Et VI, 816: Quem iuxta sequitur iactantior Ancus, sc. Marcius, qui vivente Tullo aegre ferebat, cum e stirpe regia se iactaret (erat Numae nepos ex filia), praelatum sibi Tullum. Itaque statuerat, favore populari Tullum regem cum tota familia occidere. cf. Heyn. Com. — v. 9. *Egeria* nympha, qua Numa Pompilius ad sacra instituenda usus esse narratur. — v. 11. Cunctator i. e. Q. Fabius Maximus cf. 13, 85. *Camillus*, v. Liv. V, 37 et 49. — v. 13. *Dardanae* h. e. Romanae, cf. II, 25, 9. — v. 17. *Luscus* sc. Hannibal; cf. Corn. Nep. Hann. c. 4. et Iuven. Sat. X, 157. sq: O qualis facies et quali digna tabella, Cum Getula ducem portaret bellua luscum. — v. 18. *Ruptis aceto montibus*, Aceti ea vis, ut torrida saxa dissolvat. V. Liv. XXI, 37, 2. — v. 21. De annulis v. 37, 30. — v. 32. *Asini umbra* et *lana caprina* proverbia sunt de re inutili levisve momenti. Cf. Erasm. Adag. Chil. I. cent. III, 52, 53. Hor. Epist. I, 18, 15. Significantur his verss. Iulius Caesar et Cn. Pompeius. — v. 50. *Troiugena* i. q. Romanus, ut vs. 27: Tros. — v. 54. *Pileus* libertatis insigne apud Romanos, gestabatur a novis libertis, qui cum in servitute promissum capillum et nudum caput gererent, manumissi capillum statim radebant pileumque induebant. Vid. Serv. ad Virg. Aen. VIII, 564 et Nonius v. rado. *Orell.* — v. 59. *Capreae*, cf. Suet. Tiber. c. 40. — v. 65. *Scypho* sc. veneni. — v. 66. *Caligulae* pater fuit Germanicus. — v. 71. *Ditis* i. e. Plutonis. *Nate Maia* i. q. Mercuri, ductor um-

brarum. — v. 73. *Claudi* sc. Nero Imp. — v. 75. *Flavi* sc. Domitiane. — v. 87. *Valeria Messalina* uxor fuit Claudii Imperatoris. — v. 89. *Livia*, uxor Tiberii Neronis et Augusti. *Iulia*, Augusti et Scriboniae filia. — v. 102. *Ulpius* h. e. Traianus. — v. 105. *Tholi*, v. IV, 45, 25. — v. 113. *Afer* sc. s. Augustinus episcopus Hipponensis, cui haec adscribitur sententia: O miser Aristoteles, qui laudaris, ubi non es, et ubi es, ureris!

Ode XXIX. v. 4. *Ture Latino*, sc. orationibus Latino habitis sermone. — v. 22. *Nymphae* i. e. Virginis divae. Cf. Od. II, 38, 1 et 2.

Ode XXX. v. 2. *Clamante Iano* h. e. populo Romano acclamante vel flagitante. cf. Hor. Epist. I, 1, 49: haec Ianus summus ab imo prodocet. — v. 12. *Palinurus*, gubernator classis Aeneae, in puppe dormitans impetu fluctuum in mare eiectus periit ad promontorium Lucaniae in Italia, quod postea dictum Palinurus est; v. Virg. Aen. III, 560. sqq. *Lycurgus*, rex Edonorum in Thracia, cum populum suum vino immoderate deditum videret, vites omnes toto regno excidi iussit. v. Mitsch. ad Hor. Od. II, 19, 18. — v. 50. Tollite barbarum morem, verecundosque cet. Ex Hor. Od. I, 27, 2.

Ode XXXI. v. 6. *Inempta*, sc. dabatur gratis petentibus hoc oleum ex lampade Divi. — v. 18. *Pallas* olearum creatrix habebatur et patrona. — v. 28. *Achaemenius* i. q. Persicus. cf. ad Od. I, 1, 7. — v. 29. *Clymene*, uxor Meropis Aethiopiae regis, Phaethontis mater. Unde adj. Clymeneius i. q. Aethiopicus. — v. 30. *Mitium diceris humorum*. Ita Hor. Od. III, 13, 13: Fies nobilium tu quoque fontium. Cf. infra IV, 42, 21. — v. 32. *Hippocrates* Cous medicus illustris, artis medicae pater, vixit circa 436 a. Chr.

Ode XXXII. v. 1. *Coire* de luna se implente vel plenilunio dicitur, quum eius cornua clauduntur quasique coeunt. Quamvis fessa iam laboris sc. cursus renuunt tamen astra aspectum iuvantis Reginae amittere. — v. 3. *Metuuntque pelli.* Cf. Hor. Od. II, 2, 7: penna metuente solvi. — v. 6. *Phalaris*, crudelis Agrigenti tyrannus in Sicilia, qui homines tauro aeneo inclusos subiecto igne torrebat, quibus eiulantibus aes reddebat mugitus taurinos. Inventor tormenti fuit Perillus, quem, ut experiretur instrumentum novum, tyrannus primum includi iussit. — v. 9. *Malea* (Μαλέα) promontorium Laconiae praealtum contra Cytheram insulam, naufragiis infame. Cf. Stat. Teb. VII: Raucae circumtonat ora Maleae. — v. 11. Ex Orellii coniectura legendum *cinctam* pro cinctum, quod habent edd. *Sicana nympha* i. e. Scylla, Phorci filia, cuius pars inferior Circes veneficiis mutata est in canes, quod sentiens in mare Siculum se egit, et a Glauco, qui eam deperibat, conversa est in scopulum navigantibus periculosum; cui allisi fluctus procul videntur latratus esse, unde ortam Scyllae esse fabulam liquet. Cf. Virg. Ciris v. 59: Candida succinctam latrantibus inguina monstris. Senec. Medea, 350 sqq.

Ode XXXIII. v. 3. *Cynthia* i. q. Luna, a Cyntho monte Delio, ubi nata est Diana. cf. 11, 10. Od. I, 4, 16. — v. 5. *Lodix*, alibi opertorium lecti, hic vero vestimentum e densa lana vel pellibus consutum. Opponitur tenui cycladi, tunicae muliebri. cf. Iuven. Sat. VI, 259: Hae sunt, quae tenui sudant in cyclade. — v. 6. Post *virgines* pone comma. — v. 7. *Instita* est fasciola, quae stolam s. tunicam matronarum ambibat. Sed Scholiastes ad Hor. Sat. I, 2, 29. interpreta-

tur fasciolam, quae praetextae, puerorum vesti, adsuebatur. — v. 11. *Tyriis* i. e. purpureis vel pretiosis. — v. 16. *Nobilis*. Ex Ochsneri coniectura scribendum: mobilis. cf. Hor. Od. I, 4, 14: Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas Regumque turres. — v. 30. *Elysius Polus* i. q. Elysii campi, regio aurea, deliciarum plena apud inferos. — v. 33. *Plaudere* sc. pedibus choreas.

Ode XXXIV. Cf. Senecae Epist. 110. — v. 26. sq. alluditur ad tritum sermone proverbium.

Ode XXXV. v. 2. *Cerberus*, v. II, 4, ult. — v. 4. *Pharius* i. e. Aegyptius, a Pharo insula Aegypti prope Alexandriam. — v. 8. *Eumenides* i. q. Furiae. — v. 12. *Erebus* (Ἔρεβος) i. q. Infernus vel Orcus. — v. 29. *Cymba vitae* i. e. corpus, quod est quasi vehiculum animae. — v. 35. *Portus sepulcr.* i. q. coemeterium s. sepulcretum. — v. 40. *Virus equae* h. e. hippomanes. Virg. Aen. IV, 513.

Ode XXXVI. v. 1. De *eburnea porta* cf. 8, ult. — v. 6. *Somnus*, Erebi filius, pro deo habitus ab antiquis, papaveream fascem et coronam gerebat. — v. 13. *Igneis* h. e. astra. — v. 27. *Irretorta fronte*, cf. Hor. Od. II, 2, 23: Quisquis ingentes oculo irretorto spectat acervos. — v. 34. *Siccum lumen*, sc. oculos. V. Bentl. ad Hor. Od. I, 3, 37. — v. 37. *Sic*, cf. Hor. Od. I, 2, 1. *Tarquinius* Superbus, cum filio suo tacite significare vellet, nobilissimos Gabinorum esse tollendos, in horto summa decollavit capita papaverum; v. Liv. Hist. l. I, c. 54. — v. 42. Antrum sc. Averni. — v. 44. *Atlantiades* h. e. Maia natus, Atlantis filia, Mercurius umbrarum ductor, Ψυχόπομπος, qui, ut est ap. Hor. Od. I, 10, 18: Virga levem co-

ercet aurea turbam. — v. 46. *Apeliotes* (ἀπηλιώτης) subsolanus sive eurus.

Ode XXXVII. v. 3. *Diota* (διώτη) genus amphorae. Hor. Od. I, 9, 8. H. l. de quavis re tenui. Herder: wie du das kleinste Eigenthum zu verwenden weisst. Cf. III, 3, 1. — v. 18. *Croesus*, rex Lydiae opulentissimus. Post *habebitur* pone comma. — v. 21. *Stygius portitor*, h. e. Charon — v. 25. *Eunuchum*. Hoc verbo significatur Fl. Eutropius, qui Arcadii Imperatoris favore ad summos provectus magistratus, prospera elatus fortuna, tanta usus est superbia ac violentia, ut non paucos viros probissimos ageret in exsilium, omnibusque exosus fieret. Quare agentibus Tribigildo et Gaina ab Arcadio primum in exsilium missus Cyprum, paulo autem post Chalcedone supplicio capitis est affectus. Consul factus est cum Fl. Manlio Theodoro a. Chr. 399. — v. 29. P. Licinius Crassus Dives, Consul, feneratione atque insatiabili avaritia nobilitatus, in bello Parthico gladio periit. Eius caput abscissum cum afferretur, Orodes Parthorum rex auro iubet impleri liquido, et Saturare iam, inquit, auro mortuus, cuius famem vivus sedare non poteras. — v. 30. Hannibal, Hamilcaris filius, dux Carthaginiensium, in pugna Cannensi tres annulorum aureorum, qui sunt insigne equitum Romanorum, modios occisis exuit. Qua victoria atque praeda elatus in Campania cum exercitu suo corruptus est luxuria. — v. 32. *Polycrates*, Sami insulae tyrannus, quod nullam unquam expertus esset infelicitatem, Amasis, rex Aegypti, renuit eius diutius esse socius, homines nimium felices tristem manere exitum arbitratus. Ille autem ipse tantae suae fortunae diffidens, ut aliquo tandem afficeretur damno,

pretiosissimum annulorum suorum iussit in mare proiici. At is repertus in visceribus piscis. Non ita multo post Orontes Persarum dux Polycratem dolo captum in crucem egit. Herod. III, c. 41. — v. 38. *Aelius Seianus*, Seii Strabonis Equitis Romani filius, Tiberio familiarissimus, cuius favore ad summos promotus honores maximam sibi arrogavit potentiam ac tyrannidem. Quo factum est, ut, quem Imperator statua posita in theatro honoraverit, populus paene adoraverit ut deum, cuiusque natalem publice coluerit diem, is tandem omnibus invisus, iussu Tiberii conspirationis accusatus, damnatus a Senatu, unco tractus ad scalas Gemonias praecepsque datus tribus diebus plebis esset ludibrium. De quo Tacitus: Corpus illi laborum tolerans; animus audax sui obtegens; in alios criminator; iuxta adulatio et superbia; palam compositus pudor: intus summa adipiscendi libido, eiusque causa modo largitio et luxus, saepius industria et vigilantia, haud minus noxiae, quotiens parando regno finguntur. Cf. Iuven. Sat. IX, 59., quem locum respiciebat Balde. Herder: Die Laufbahn dieses unternehmenden, glücklichen, stolzen, anmassenden Feldherrn (Wallenstein) im dreissigjährigen Kriege ist durch die Parallele mit dem Sejan, dem Lieblinge des Tiberius, im Kurzen fest gezeichnet. Das Bild vom Pferde in der Rennbahn beider will sagen: eben so gross waren Sejans Anstrengungen, eben so schnell dessen Sturz und Ende. —

Ode XXXVIII. Cf. Proverb. 8, 24. sqq. cf. Hor. Od. I, 12, 1. sq. — v. 5. *Exulis primi* sc. Adami. — v. 9. *Titan* i. q. Sol. — v. 10. *Aethon* equus Solis; item Plutonis. — v. 11. *Fratre plena* i. e. sole illuminata. Herder: Das Bild der berathenden, schaffenden Weis-

heit (Sprüchw. 8, 24. u. f.) hat den morgenländischen und christlichen Dichtern zu sehr philosophischen Einkleidungen Anlass gegeben. Hier wird sie als Schutzgöttin und Retterin des menschlichen Geschlechtes beschrieben, die aus jeder Verwirrung eine höhere, lichtere Ordnung hervorgebracht habe: Felix culpa Adami, quae talem Servatorem promeruit, singen die christlichen Hymnen. — v. 18. *Nereus* deus marinus, cuius filiae multae nymphae Nereides vocatae, quarum una Thetis (*Θέτις*) vs. 19. Saepe ista confunditur cum Tethye (*Τηθύι*) uxore Nerei, qua non raro designatur mare. — v. 25. De *Gedeonis*, Israelitarum iudicis, vellere cf. Iud. c. 6. — v. 44. De arca Noae v. Gen. 6, 7., et de rubo ardente Exod. 3. — v. 49. *Iesse* pater Davidis, unde Iessaea gens regia dicitur. — v. 59. *Assueri sponsa* i. e. Esthera cf. 24, 14. — v. 60. *Ammon* s. Aman Assueri regis socius et administer omnium consiliorum, Iudaeorum vero crudelissimus adversarius, eorumque omnium una die internecionem tentans, principis iussu ipse laqueo est suspensus. Cf. L. Esth. — v. 61. *Sion* v. 1, 34.

Ode XXXIX. v. 22. *Debere* subst: quod naturae debemus, i. e. mortem, fatum. — v. 27. *Stamus in casum* repentem; cf. C. Sarbiev. Lyr. I, 7, 5: Statur casibus. — v. 34. *Ralla* vestis subtilis ac levis. Plaut. Epid. Act. II, sc. II, v. 46. — v. 37. *Atropos*, trium una Parcarum, occans seu incidens filum; altera Lachesis nens; tertia Clotho colum baiulans. — v. 46. *Proteus*, Neptuni filius, a quo in varias figuras se mutandi facultatem accepit. Lat. Vertumnus. — v. 47. Ser. Sulpicius Galba, Imperator Caesar Augustus, M. Salvii Othonis iussu a militibus suis ob denegatum donativum succensis ira iugulatus ac mu-

tilatus est. Suet. V. Galbae. Sed B. ante oculos habuisse videtur Iuven. Sat. VIII, 3: et Galbam auriculis nasoque carentem, sc. statuas Sulp. Galbae diuturnitate temporis imminutas et truncas. — v. 50. *Pauper Ibycus* (sic l.) venit in proverbium ex Hor. Od. III, 15, 1. — v. 51. cf. Hor. Epist. I, VII, 23. — v. 53. *Lamus*, Neptuni filius, Laestrygonum rex. Hom. Odyss. XX, 81. cf. Hor. Od. III, 17, 1. — v. 54. *Inachus* priscus Argivorum rex. Virg. Aen. 7, 371. Cf. Hor. Od. II, 3, 21. — v. 55. *Hiems an aestas* h. e. senescens an adolescens. — v. 56. *Libitina* dea, in cuius fano vendebantur aut locabantur quae ad funus necessaria erant. Pro morte utuntur poetae. — v. 57. Cum Ochsnero scriberem: Qua dextra sceptrum, qua fuerit ligo, Qua falx et ensis, si per metrum liceret. — v. 73. *Idalios ignes* h. e. Cupidinis, cf. 22, 12. *Cavo*, sc. oculorum. — v. 81. *Fidelia alba* h. e. vas aquae calcariae ad dealbandos parietes et sim. *Forma* i. q. imago, tabula. — v. 94. *Splenia* etc. H. e. optima vanae gloriae ac superbiae remedia sunt simulacra mortis atque monstra. *Simulacra sua vita functa* i. q. umbrae, manes. Ovid. Met. IV, 435 et X, 14: Simulacraque functa sepulchro. Splenia enim sunt emplastra, quibus rugas vel oris deformitates tegebant foeminae. Cf. Mart. Epigr. II, 29: Et numerosa linunt stellantem splenia frontem. — v. 95. *Lac asellarum.* Plin. Hist. Nat. XXVIII, c. 50: „Cutem in facie erugare et tenerescere, candorem custodire lacte asinino putant; nctumque est quasdam quotidie septingenties custodito numero fovere. Poppaea hoc Neronis Principis instituit, balinearum quoque solia sic temperans, asinarum gregibus ob hoc eam comitantibus.“

Ode XL. Imitatio odae Horatianae: Rectius vives; L. II, 10.

Ode XLI. v. 1. *Tempus in ultimum* h. e. ad ultimum periculi (Liv. IX, 39.), in summo discrimine; cf. Hor. Od. II, 7. 1: O saepe mecum tempus in ultimum deducte. — v. 10. *Amara morborum.* Cf. Hor. Od. IV, 12, 19: amaraque Curarum eluere efficax.

Ode XLII. v. 2. *Hydrochous* (ὑδροχόος) Aquarius, sidus v. signum coeleste. — v. 12. *Leporum pulpa* s. caro efficax venustatis habebatur. *Numida volucris* h. e. gallina Numidica, quae inter cupedia numarabatur. — v. 15. *Cynthia*, v. 23, 3. — v. 19. *Arcas* i. q. Mercurius in monte Arcadio Cyllene natus. Mart. — v. 20. *Iupiter* patronus hospitum; adversarius raptorum atque latronum. — v. 24. *Babylon* alta turri illustris, *Chaldaea* et Aegyptus sunt patria astrologiae. — v. 26. *Anubis*, rex et deus Aegypti, capite canino, unde rabidus et latrator vocatur. Liniger i. e. vestitus bysso. — v. 28. *Isis* (Io) dea Aegypti. — v. 31. *Memphis* urbs regia Aegypti mediae. — v. 34. *Nazarenae* i. e. Mariae ortae a Nazaretho oppidulo Palaestinae. — v. 36. *Syene*, urbs Aegypti superioris. — v. 37. *Carcinus*, *Scorpius* et *Capricornus* sunt signa coelestia. — v. ult. *Lycius* i. e. Apollo, cuius erat oraculum Patarae in Lycia. *Petosiris*, astrologus et mathematicus Aegyptius. Iuv. VI, 500.

Ode XLIII. In locum enthusiasmi in Neronem Caesarem substitui iuventutis gratia oden quartam L. V. Sylv. Lyr. — v. 5. Duro sc. genere molle, lenibus vero numeris asperos mutans varietatem efficiet longe gratiorem. — v. 8. *Accidunt gratius* h. e. melius cadunt, venustius apparent, se offerunt. — v. 12. *Lucilius*, antiquus poeta Satyricus Romanus. Cf. Hor. Sat.

I, 10, 64. I, 4, 57. I, 4, 6. cet. — v. 16. *Appulia* regio Italiae inferioris, ab Aufido fluvio divisa in Dauniam et Peucetiam, patria Horatii. — v. 20. *Quintilio*. Huius mortem deflet Hor. Od. I, 24. — v. 21. *Evae*, v. I, 25, 4. — v. 22.. *Bassareus*, cognomen Bacchi, a βασσάρα, pelli vulpina Baccharum. Cf. Hor. Od. I, 18, 11. — v. 25. *Orpheo*, v. Epod. 12, 41. — v. 28. *Fumosum*. Cf. Hor. Od. III, 8, 11: Amphorae fumum bibere institutae. Colum. I, 6, 20: Apothecae recte superponentur iis locis, unde plerumque fumus exoritur; quoniam vina celerius vetustescunt, quae fumi quodam tenore praecocem maturitatem trahunt. — v. 29. *Proteus*, v. II, 39, 46. *Aonius* i.q. poeticus cf. II, 50, 34. — v. 30. cf. Hor. Od. II, 20. — v. 31-32. Cf. Hor. Epist. I, 4, 15: Me pinguem et nitidum bene curata cute vises, cum ridere voles Epicuri de grege porcum. — v. 48. *Torti vorticis impetum*. Ita Virg. Aen. VII, 567: Dat sonitum saxis et torto vortice torrens.

Ode XLIV. v. 8. *Horae* finguntur esse deae vel nymphae, Solis filiae ac ministrae, spargentes rosas, candidis pictisque vestibus si felices sint, atris si infaustae. Sed hoc loco redolens Hora dicitur Aurora. —

Ode XLV. v. 14. Is est L. Quintius Cincinnatus, ab aratro ad dictaturam vocatus, superatis hostibus reversus ad praediolum suum. Cf. Liv. III, 21.

Ode XLVI. Cf. C. Sarbiev. Lyr. I, Od. 16. — v. 2. *Tractis vultibus* h. e. imaginibus trucibus. — v. 5. *Sacri patris* i. q. avi defuncti: des seligen Ahnes. — v. 8. *Orichalcum*, (ὀρείχαλκος) genus aeris, et quae ex eo facta sunt, loricae, sim. *Peregrinis* i. q. remotis, ep. ornans. — v. 14. *Hunni*, i. e. barbari Germanorum hostes, etiam Turcae, cf. I, 37, 12. — v. 17.

Ulyssen h. e. prudentiam astutiamque. *Briareus* pro virtuosus, fortis. Fuit enim hic validissimus gigas, habuitque centum manus, Caeli ac Telluris filius. — v. 25. *Eous* (subst.) i. e. Lucifer, vel equus solis, vel aurora, quod est quasi mare igneum, quod exhauriendum Getis obtulerunt sc. pectora animosissima opponendo hostibus. Lyrica audacia. — v. 26. *Getae* v. 14. et I, 37, 12.— v. ult. *Vandali*, populi Gothicae originis, inter Albim et mare Balthicum, barbarie, pervastandi libidine, depopulationibusque invisi atque infames.

Ode XLVII. v. 5. *Canopicus* i. e. Aegyptus, a Canopo, Nili ostio et oppido.— v. 18. *Tabulis* pro legibus. Duodecim enim tabularum leges apud Romanos. — v. 14. *Cippus* est columella, in qua fines vel termini agri, communi sepulcreto dicati, descripti et designati fuerunt. Cf. Hor. Sat. I, 8, 12. — v. 20. *Gaeto* tenus h. e. usque ad humationem.— v. 22. *Syrus* pro divite et luxurioso. *Malobathrus* arbor Syriae, ex qua oleum fragrantissimum exprimitur.— v. 24. *India* aromatum ferax atque odorum.— v. 30. *Neptuni* pro maris *vomitum*. — v. 32. L. Cornelius Sulla dictator atrocissima innumerorum civium internecione probissimorumque expulsione virorum infamis. — v. 34. C. Fabricius Luscinus, Consul Romanus, Samnitum, Lucanorum, Bruttiorumque victor ac triumphator, abstinentia vitaeque innocentia illustris. Legatus ad Pyrrhum regem missus animum adversus dona invictum gessit. — v. 36. L. Iunius *Brutus*, liberator Romae a tyrannide Tarquinii Superbi. P. *Decii* Mures, pater et filius, consules Rom. bello Latino unus, alter Samnitico, morti se devoverunt ad salutem patriae servandam. M. Porcius *Cato*, v. 15, 32.

— v. 37. *Britannicum* Claudii Messalinae filium veneno sublatum Nero parricida conspersit gypso, quo scelus occultaret. Dio Cassius Hist. l. LXI, c. 7. ed. Reimar. narrat Britannici veneno exstincti corpus gypso multo oblitum a Nerone fuisse, ne livor appareret e veneno, sed pluviam coortam eluisse gypsum dum cadaver per forum efferretur, omniumque oculis scelus subiecisse.

Ode XLVIII. Sub imagine ac nomine Sic. Bombycis alloquitur poeta hominem docetque vitae brevitatem necessitatemque mortis, simul laetiorem non obscure vitam significans alteram. — v. 7,: *Hinc est*, sc. ex necessitate.

Ode XLIX. *Scazon* (σκάζων i. e. claudicans) genus metri poetici, senarius iambicus, in ultimo pede (claudicante) admittens spondaeum vel trochaeum. Quo usus est Baldaeus in poemate de vanitate mundi, eumque agentem ac loquentem fingit. — v. 6. *Philemon* et Baucis, pauperes rustici in Phrygia, aliquando liberalissime piissimeque exceperunt Iovem, pro quo beneficio illorum casam commutavit in templum. Ovid. Met. VIII, 621 sqq. — v. 9. S. Simeoni, eremitae Antiocheno saec. V. cognomen erat Stylitae. — v. 13. *Bilbilis*, Celtiberorum oppidum in Hispania Tarraconensi ad Salam vel Salonem fluvium, ubi olim equi et ferrum optimum. Patria est *Martialis*, poetae satyrici et obscoeni. — v. 19. *Angelinus Gazey* (Gazee) S. I., nobilis Arthesius et poeta religiosus, unde hic *Castalius* (a fonte C.) est dictus. Obiit Leodii 1630. — v. 22. *Sole super* h. e. praeter solem, quod quoniam minus aptum, corrige: sole sub est. Sic Edit. Monach. 1729. — v. 29. Cf. Hor. Epist. I, 10, 24: Naturam expellas furca, tamen usque recurret. — v. ult.

Graiugenae i. q. Graii vel Graeci. Ad Calendas Graecas h. e. nunquam, quoniam Calendas non habent Graeci in Calendariis suis.

Ode L. Iac. Kellerus, natus Seccingae a. 1568, ingressus societatem Iesu a. 1588, clarus professor philosophiae ac theologiae et rector collegii primum Ratisbonensis, dein Monacensis. Assumtus est non raro ad gravissima consilia atque negotia a Maximiliano I., fuitque Alberti Ducis confessarius. — v. 19. *Pharos* olim insula prope Alexandriam, postea continenti adiuncta, in qua Ptolemaeus rex turrim fieri iussit amplissimam, in qua maximi nocte accendebantur ignes ad regendos adventantium navium cursus. — v. 22. *Danubius* (Ister pro: Germana, Tyberis pro Latina lingua. — v. 28. *Pindarus* Lyricorum Graecorum maximus. — v. 34. *Aonia* est pars Boeotiae montosa, nemorosa ac plena fontium, sacra Apollini Musisque. Ibi fontes Aganippe, Dirce et Hippocrene, et Helicon Parnasusque montes. — v. 37. *Capaneus*, v. I, 41, 40. celebratur scalarum inventor fuisse. — v. 40. *Phoebo* i. e. Apolline. — v. 44. *Caballo* h. e. Pegaso, cf. III, 1, 9. — v. 51. *Cirrha*, Delphorum portus ad sinum Crissaeum, pro Castalio fonte ponitur: ut Cirrhaea unda. — v. 58. *Pontus Euxinus* exilium Ovidii, ad quem alludit poeta. Cf. II, 27. — v. 63. *Sueco praetore* h. e. rege Suecorum Gustavo. — v. 69. *Thebae*, urbs Aegypti superioris magnifica, centum habens portas. Significat poeta barbariem bellum Succicum insecutam, morum scientiarumque ruinam, subortum virorum genus literatorum pessimum, qui multa effutiebant sine sensu et elegantia, eruditorum sacrum sibi nomen arrogantes. — v. 71. *Pierides* i. e. Musae, cf. I, 43, 7. — v. 73. *Memphis* pro quavis civitate barbara.

Cf. 42, 31. — v. 74. *Fauni*, cf. 22, 20. — v. 77. *Sacrum culmen* h. e. Parnasus. — v. 80. *Permessis* fons et fluvius parvus ex Helicone profluens in Coparden lacum. — v. 81. *Phocis*, cf. I, 23, 7. — v. 85. *Daphne*, invita ab Apolline amata, fugiens mutata est in laurum. Usurpatur pro poesi. Cf. III, 38. 6.

Liber tertius.

Ode I. Cf. IV, 17 et 18. eidem Sabino Fusco inscript. et Sarbiev. Lyr. II, 5. — v. 2. *Nigredine* sc. comarum. Cf. IV, 17, 5. 18, 33 — 35. — v. 3. *Hala* (Hall) oppidum Tirolis situm ad Oenum fl. — v. 4. *Rumpe moras*, cf. Hor. III, 29, 5: Eripe te morae. — v. 9. *Pegasus* urgente siti in Helicone monte ungula excitavit fontem Hippocrenen floribus varii coloris coronatam. Ovid. Met. V, 264. Supervacua Orellius coniectura putat scripsisse poetam: Exsultat pro exsudat. Sudante enim caballo fontem prolicit ungula. *Nilo*, h. e. flumine largo, copioso. Est enim pro signo ubertatis, copiae, multitudinis. — v. 13. *Copernicus* (nat. Thorunii a. 1473) illustris astronomus primus solem stare, terram vero circumagi docuit. — v. 14. *Archimedes* insignis mathematicus Syracusanus (Siculus senex 13, 18), qui sphaerae constructionem invenit. Syracusas a Marcello obsessas triennium defendit artificiosis suis instrumentis, quibus naves machinasque hostium exussit aut evertit. Denique capta per subitam impressionem urbe, figuras in arena describens a milite occisus est, quia immersus studio non responderat, quis esset. V. Claud. Epigr. 21. Silius I. 14, v. 342. — v. 16. Sensus est: Noli Archimedis in-

star incurvatus spectare circulos in arena descriptos; sed erecto corpore coelum suspice.— v. 17. *Vitreus Atlas* i. e. sphaera, in qua solis et lunae reliquarumque stellarum motus insunt. Cic. de Rep. I, 14, 22. Globus terrestris et coelestis. — v. 19. *Triones*, sidus magnae ursae septemtrionale (arctos) nunquam occidens. — v. 23. *Uranie* et *Thalia*, duae Musarum, illa astrologiae, haec commoediae praeses. — v. 27. *Oenus* fluvius Norici et Alpium Tirolensium. — v. 30. *Cornibus*, signo potentiae, ab antiquis induntur delineanturque dii fluviorum.— v. 34. *Brisacum*, v. I, 36, 17. II, 27. — v. 36. *Nuda seges* sc. tanto privata munimento patria. — v. 37. *Lilia* Galliae, *aquilae* Imperii Germanici, *leones* Bavariae sunt insignia. — v. 42. *Noto* universe pro vento.— v. 45. *Iberia* i. q. Hispania.— v. 52. *Gange*, maximo Indiae flumine pro divitiis Orientis.— v. 55. *Vah bruta deformisque tellus.* Cf. Hor. Od. I, 34, 9. — v. 64. *Sicambri* v. Sygambri populus Germaniae ad Segum et Lippam fluvios, cuius flavam caesariem laudat Claudian. de laud. Stilichon. L. III. vs. 18: illinc flavente Sicambri Caesarie, nigris hinc Mauri crinibus irent. — v. 66. *Solis* v. Phoebi Apollinis soror dicitur Diana s. Luna. — v. 71. *Gradivus* i. q. Mars. — v. 73. *Quercus* Iovi erat sacra. — v. 76. *Hyperborei* populi Scythiae ad septemtrionem, apud quos sex mensium nox esse dicebatur. Diutissime felicissimeque eos vivere fingunt poetae. — v. 77. sqq. Hor. Od. III, 4, 5: Auditis? an me ludit amabilis Insania? — v. 80. *Pythagoras*, v. II, 21. De musica sphaerica v. Cic. Somn. Scip. et Plat. de Rep. X.— v. 86. *Dum rota volvitur* sc. astrorum vel totius coeli, dum sphaeram stellae suam percurrunt. — v. 89. sqq. *Cygnus*, *Lyra*, *Orion*, *Perseus*,

Andromeda et Bootes sunt signa coelestia s. astra. Lyra a Mercurio inventa atque Orpheo tradita eo mortuo petentibus Musis ab Iove inter astra est relata. *Dividit lessum.* Cf. Hor. Od. I, 15, 15: carmina divides h. e. modo huic modo alii carmen canes. Et I, 36, 5: dividit oscula. — v. 94. *Orionem* fortissimum quondam Boeotiae venatorem etiamnunc in coelo venantem fingunt poetae ingenti cinctum baltheo tresque gladios vibrantem. *Pyrrhicha* (πυρρίχη) est saltationis genus armatae. — v. 101. *Cepheus*, rex Aethiopum, in coelum translatus cum suis. Cassiope, eius uxor pulchra, ausa est Nereidas superare forma. Hae excitato monstro marino, quod totam vastaret Aethiopiam, hoc ediderunt oraculum: non desiturum pestem ante, quam Andromeda Cassiopes filia eidem exponeretur. Ergo alligatur saxo: sed a superveniente Perseo liberatur. — v. 105. *Bootes* (bubulcus), Cereris filius, inventor aratri, quod bobus iunxit. Ob id inter astra relatus etiam Arctophylax (i. e. custos ursae) nominatur. *Illepidus*, cf. Ovid. Met. II, 176: Te quoque turbatum memorant fugisse, Boota; Quamvis tardus eras, et te tua plaustra tenebant. — v. 106. *Ferae* h. e. ursae. — v. 112. *Salii* erant genus sacerdotum saltantium, imprimis Martis. Hi armati galea et hasta per urbem saltabant, vario modo vibratis pulsatisque scutis. Cf. Hor. Od. I, 36, 12: Neu morem in Salium sit requies pedum. — v. 118. *Phaethontis*, v. II, 20, 58. — v. 121. *Appia via*, inde a Roma usque Brundusium ducens, ampla et illustris, regina viarum dicta.

Ode II. v. 1. cf. Hor. Od. III, 22, 1.

Ode III. v. 1. cf. II, 37, 3. — v. 7. *Virile* sc. pectus.

Ode IV. v. 9. *Vesta*, Saturni et Opis f., dea Ro-

manorum ac reipublicae patrona, per caput Iovis iuravit se mansuram esse virginem, estque symbolum ignis et foci. In eius templo erat collegium Vestalium virginum, a quibus focus seu ignis ab Aenea ex Troiae excidio allatus perpetuo nutriebatur. — v. 15. Sine causa, quamvis ingeniose, ed. August. coniunxit: si nescis in horto pacta. Nam Pacta (act. i. q. paciscens) coniung. cum Eva. — v. 25. *Larva* imago mortis. Cf. Senec. Epist. 24: Nemo tam puer est, ut Cerberum timeat et tenebras et larvarum habitum nudis ossibus cohaerentium. — *Iris*, arcus nubium, hic pro variis florum coloribus vel pratorum. Cf. Epod. 7, 80. — v. 33. *Hesperus* vocatur Lucifer, cum vespertinus videtur, utrumque est unum astrum orientale atque occidentale, planeta Veneris. Hic fingitur surgere e sepulcrali fossa atque excitari a vespillone. — v. 35. Dii Manes dicuntur *sarcophagi* (σαρκοφάγοι) quasi carnivori, condentes mortuorum corpora. — v. 36. *Hymen* est deus nuptiarum. — v. 40. *O thalami tumulique nostri*, cf. Sophocl. Antig. v. 891: ὦ τύμβος, ὦ νυμφεῖον. — v. 41. *Solymitides* h. e. filiae Solymorum sive Hierosolymorum; respicit poeta Cant. Salomonis. — v. 42. *Vaccinia*, v. I, 14, 11. — v. 43. *Nympha* h. e. sponsa obvelata vel nupta. — v. 44. *Flammeolum* est velum sponsale, ignei coloris. — v. 48. *Libitina*, v. II, 39, 56. — v. 49. In funeribus cantabatur carmen lugubre, qui dicitur lessus, a mulieribus, quibus praeficarum nomen. — v. 53. Ubicunque moreris imperiumque exerceas splendidum, ne despicias tenuem casam humilis virginis Francamque visere sponsam. *Pyramides* monumenta erant sepulcralia regum Aegyptiorum. *Mausoleum*, amplissimum Mausoli regis sepulcrum, Artemisia,

regina Cariae, suo marito aedificatum. — v. 64. *Vectus equo.* Cf. s. Io. Apoc. VI, 8. *Anhela,* trans. quae anhelare faciunt. Ovid. Epist. ex Ponto I, 10, 5: Nec dolor ullus adest, nec febribus uror anhelis. — v. 77. *Nemus atrum* i. q. Elysium, cf. II, 33, 30. — v. 78. Hor. Od. I, 37, 1. — v. 79. *Manes coronati* i. e. reges mortui. cf. II, 27. — v. 88. *Libani,* v. II, 1, 32. Alludit poeta ad Salom. cant. II, 8. — v. 91. *Myrtus,* arbor parva, semper virens, Veneri sacra. — v. 94. Cf. Claudian. de Rapt. Proserp. II, 92: Sanguineo splendore rosas, vaccinia nigro Induit et dulci violas ferrugine pingit.

Ode V. Die bekannte Vorstellung, da die Mutter mit dem Kinde triumphirend vom Glanze der Sonne umleuchtet wird (Offenb. 12, 1.), ist hier mit dem Moment, da sie im tiefsten Schmerz mit einem Blick der Liebe dem leidenden Sohn Tröstung zusandte, schön gruppirt. Herder.

Ode VI. v. 3. *Lenaeus* (*Ληναῖος* a *ληνός*) Torcularius, cognomen Bacchi. — v. 7. *Saturno,* prisco Italiae rege, fuit aetas aurea. Praetereuntis auri; cf. Hor. Od. IV, 2, 39: quamvis redeant in aurum Tempora priscum. — v. 10. Gothuni, v. I, 37, 11. — v. 17. *Corrigere est nefas.* Cf. Hor. Od. I, 24, 10: levius fit patientia, Quidquid corrigere est nefas. cf. vs. 44—45. — v. 21. *Duplicis Sueci* h. e. dolosi, perfidi. Cf. Od. II, 26, 25. sq. IV, 45, 52. Duplex Ulysses. Hor. Od. I, 6, 7. — v. 23. *Vicinus* (sc. nobis Suecorum) *amicus* h. e. Gallus, de quo alibi Baldaeus: Gallia omnium in Germania bellorum sinuosa causa. — v. 24. *Danaum* i. q. Graecorum pro hostium irruentium. — v. 25. *Dicere diem* h. e. accusare.

Ode VII. Herder: Das Gemälde Raphaels in Dresden ist in demselben Geist gedacht, wie diese Ode. — v. 6. *Auditum est resonare carmen dulce* sc. Salom. Cant. 8, 5. — v. 8. *Tesqua* sunt loca inhospita et deserta, Bergheiden, Steppen. Vet. Schol. ad Hor. Epist. I. 14, 19: linguâ Sabinorum loca difficilia et repleta sentibus sic nominantur. Vid. Festus h. v. et Varr. de Ling. lat. l. VI, 2. — v. 14. *Arctos*, ursa maior, v. 1, 19. — v. 15. *Arcturus* est stella Bootae lucidissima. cf. 1, 105. — v. 16. *Orion*, v. 1, 44. — v. 19. *Cristata* plura sunt avium genera, ut gallus. — v. 26. Superfusum i. e. abundans, abunde.

Ode VIII. Sub nomine Flavii Pollionis latet Andreas Brunnerus, natus Halae Tirol., professor, orator et historiae Bavariae scriptor nobilis. Quos composuit Annales virtutis et fortunae Boiorum (1624—1637) magnopere laudavit Leibnitius. Cf. Od. I, 33. Inscript. Ingressus Soc. I. a. 1605, obiit Oenoponti a. 1650. — v. 1. sqq. Ex literis sacris Eccles. XI, 3: Si ceciderit lignum ad Austrum aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit. Matth. III, 10. Luc. II, 9. XXIII, 30. Ies. II, 19. Apoc. 17, 16. — v. 5. *Gelboa*, mons Palaestinae, in quo ceciderunt Sauli filii cum universo exercitu ipseque rex necem sibi conscivit gladio. 1. Sam. 21. — v. 6. *Libanus*, v. II, 1, 32. — v. 7. *Othrys* Thessaliae, *Rhodope* Thraciae mons. — v. 10. *Malea*, v. II, 32, 9. — v. 12. *Scopulosa cete* (e Stat. Achill. I, 55 desumta verba) i. e. scopulorum magnitudinem habentia, vel quia duritie corporis certant cum scopulis. Schol. — v. 20. *Equitavit Auster.* Cf. Hor. Od. IV, 4, 44: equitavit flamma per taedas vel Eurus per undas. Equitare ut καθιππεύειν de omnibus, quae concitatiore impetu ferun-

tur. — v. 60. *Araxes* fluvius Armeniae et *Aquarius* (v. II, 42, 2) pro Oeno, quo significatur orator ille copiosus.

Ode IX. v. 1. *Tantae molis erat*, h. e. laboris, operae. Cf. Virg. Aen. I, 33: Tantae molis erat Romanam condere gentem. — v. 6. *Carceris* i. e. corporis. Animae esse carcerem corpus dixerunt Pythagoras et Plato. — v. 12. Alludit ad servorum mercaturam Afrorum, quorum magnus in Brasilia usus ac numerus. — v. 15. *Maia satus* i. q. Mercurius, cf. II, 13, 2.

Ode X. Uterque Ragusius, Franciscus et Edmundus, populares scriptoris atque in Academia Anglipolitana sodales. Symbola Pythagorae collegerunt Diog. Laert. in vita Pythagorae l. VIII. segm. 17. Plutarch. in Symposiacis l. VIII, c. 7. et plenissime Iamblichus in Exhortatione ad philosophiam Pythagorae. p. 131. sqq. ed. Arcerii; explicavit Erasmus Adag. Centur. I. — v. 2. Cf. Hor. Od. I, 12, 17: Unde nil maius generatur ipso. — v. 3. *Θεοῦ τύπον μὴ ἐπίγλυφε δακτυλίῳ* (Iamblich. L. I.). Noli religionem ostentare, ne tibi et aliis vilescat. — v. 5. *Χύτρας ἴχνος ἀπὸ σποδοῦ ἀφάνιζε.* Plut. in Sympos. L. I. II. e. Ne remanere sinas vestigia irae. — v. 6. *Πῦρ μαχαίρᾳ μὴ σκαλεύειν* (Plut.) H. e. Ira inflammatis noli addere stimulos. Cf. Hor. Sat. II, 3, 275: Adde cruorem Stultitiae, atque ignem gladio scrutare modo, inquam. — v. 11. Deest hoc symbolum apud Plut., Diog. Laert. et Iamblich. — v. 13. *Στέφανον μὴ δρυπέσθαι.* H. e. interprete s. Hieronymo adv. Rufin. „Urbium leges observandas esse, nec violandas, nec reprehendendas; quod urbes legibus magis firmentur, quam turritis moenibus, quae coronarum speciem praebent.“ — v. 17.

Τὰς λεωφόρους ὁδοὺς ἐκκλίνων διὰ τῶν ἀτραπῶν βάδιζε. (Iamblich.) H. e. Nimiam hominum consuetudinem devita. Cf. Matth. VII, 13. — v. 21. Hor. Epist. I, 2, 55: Sperne voluptates: nocet empta dolore voluptas. — v. 23. *Μελανούρου ἀπέχειν· χθονίων γάρ ἐστι θεῶν.* (Iamblich.) H. e. Plutarcho interpretante: Impiis et qui male audiunt non sociare. Deducta esse similitudo videtur a sepia, pisce testaceo, qui persequentibus se e cauda succum obiicit nigerrimum. — v. 25. Hor. Epod. III, 3: Cicutis allium nocentius. Condimenta enim accendunt, carnes nutriunt libidines, quarum omniumque animi perturbationum sedes esse iecur et cor arbitrabantur veteres. *Mycenae*, urbs Peloponnesi, Atrei regia, ad cuius Thyesteas alluditur epulas. Cf. II, 13, 55. Inest etiam hoc monente Iamblichio: Neve aliorum, neve tuum cor dilanies aegritudine nimiisve curis. — v. 29. Alienis abstine, maxime amicorum. — v. 33. *Ζυγὸν μὴ ὑπερβαίνειν.* (Iamblich.) H. e. *τὸ ἴσον καὶ δίκαιον μὴ ὑπερβαίνειν.* Arbiter esto celer ac iustus. — v. 37. Vivere iubet Pythagoras cum Socrate tam caste ac bene, ut laetus inspicere speculum possis, neve sit, quod horreas. Et naturae defectum agnoscens noli incusare. — v. 39. Humanitatem ac reverentiam vel adversus hostem adhibe. — v. 41. Plutarchus: *Τοῖς μὲν οὐρανίοις περισσὰ θύειν, ἄρτια δὲ τοῖς χθονίοις.* Rationem addit Theocriti epigramma: *Κηδόμενοι γὰρ Ἀθανάτων αὐτοὶ πλεῖον ἔχουσι βροτοί.*

Ode XI. *Ebersperga*, ubi amoenam habebant Iesuitae Monacenses villam, oppidum Bavariae est superioris Monacum inter et Wasserburgum. Cf. I, 34. et Silv. Lyr. VIII, 20. eius loci descriptionem. — v. 1. *Severis in exedra curis* i. e. orationibus de re-

bus sacris habendis. — v. 9. *Doris*, Nerei uxor aut filia, nympha marina; *caerula Doridos* pro lacu, sc. Chiemio. — v. 11. Quotannis poeta, viso oppidulo, navicula tranare lacum quercea et annosa solebat. — v. 15. sq. cf. Parab. Salomonis, cap. 31, 14: Facta est quasi navis institoris de longe portans panem suum. Et Od. II, 1. — v. 22. *Nostrum stagnum* h. e. vita humana fluctuum ac procellarum plena. — v. 23. Sic, cf. Hor. Od. I, 3. — V. ult. *Cymodoce* nympha mar., Nerei filia.

Ode XII. v. 1. *Stoae* vel porticus Athenis erant plures, quarum una in primis illustris vocabatur pulchra (ποικίλη sc. στοά), in qua Zeno Cittiaeus Cypri insulae (nat. 340 a. Chr.) docebat, unde eius secta et philosophia dicta est Stoica. Antiquitate appellatur foetens et incuria. — v. 2. *Deucalione sati*, i. e. durum et quodammodo saxeum genus. Huius Thessaliae regis fabulam canit Ovid. Met. I, 316 sqq. cf. Od. IV, 9, 50. Priorem v. stoae syllabam producere solet poeta. Cf. 16, 21. 23, 1. 3. Ed. Monac. II. corrigit: latebrae foetentes. Frustra. An Baldaei est correctio? — v. 4. *Ogyges* conditor et rex Thebarum, quo regnante ingens in Thessalia diluvium fuisse perhibetur. — v. 5. *Amphion*, Iovis ex Antiopa filius, rex Thebarum, cum urbis moenia conderentur, cithara adeo suaviter cecinit, ut saxa accurrerent ultro inque murorum ipsa se disponerent ambitum. — v. 16. *Vigent*; cf. Tertullianus de Anima: prout aut Platonis honor, aut Zenonis vigor, aut Aristotelis tenor, aut Chrysippi stupor, aut Heracliti moeror. — v. 17. *Pisones*, nobilis familia Romana, inde a Numa Pompilio ducentes ortum superstitiosius. *Verpi* h. e.

Iudaei, cf. Hor. Sat. I, 5, 100: credat Iudaeus Apella. — v. 23. *Inane* subst. i. q. vacuum; cf. infra 16, 50.

Ode XIII. *Palamedes*, Nauplii regis Euboeae filius, prudens ac callidus, simulatam Ulyssis amentiam detexit, eumque ad bellum Troianum coegit proficisci invitum. Idem invenisse dicitur ludum latrunculorum, verius tesseram militarem. Cf. Plin. H. N. l. VII, c. 56: „Ordinem exercitus, signi dationem, tesseras, vigilias Palamedes invenit Troiano bello." Sed apud Romanos scaccho similis ludus latrunculorum vel calculorum erat imitatio quaedam belli, constabatque capiendo atque ligando. — v. 1. Nove et felici audacia Baldaeus dixit: dividere libros, quod nostrae librorum formae magis convenit, quam antiquum evolvere. *Spissos foliis*, cf. Hor. Od. II, 15, 9: spissa ramis laurea. Virg. Aen. 9, 508: corona non tam spissa viris.— v. 4. *Veritas volvitur* i. e. volvendis uno assere calculis explicatur ac docetur. — v. 6. *Imputet* h. e. attribuat, impertiat. Cf. Mart. XII, 48: imputet ipse Deus nectar mihi, fiet acetum. — v. 8. *Signis* sc. qualibuscunque, ut vexillorum, colorum, insignium.— v. 10. *Rutuli*, priscus Latii populus, adversus quos Aeneas cum Troibus bellum gessit. *Versicoloribus* h. e. colorum variorum, poet. pro diversorum.— v. 11. *Turrigeri bores* i. q. elephantes (cf. vs. 92): pro turribus. Cf. Plin. H. N. VIII, 6: Elephantes Italia primum vidit Pyrrhi regis bello, et boves Lucas appellavit, in Lucania visos, anno urbis quadringentesimo septuagesimo secundo. Lucret. V, 1302: inde boves Lucas, turrito corpore tetros.— v. 13. *Nec tuba protinus* sc. auditur.— v. 15. sqq. Construe: Patientia ducum et speratus honor secretos quos acuunt dolos dispensat.— v. 18. *Diduxere sonum* exqui-

site pro diffuderunt.— v. 23. Post *rustici* pon. comma.— v. 24. *Stat* i. q. constat. Cf. Liv. XXIII, 30: multo sanguine et vulneribus ea Poenis victoria stetit. — v. 26. *In vitulis arant* est Hebraismus. Nam ex literis Hebraeorum proverbium istud ducit originem. Iud. 14, 18: Si non arassetis in vitula mea, inquit Samson, non invenissetis propositionem meam. — v. 29. Hor. Epist. I, 2, 14: Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi. — v. 31. *Corydon* pro quovis rustico paupere. — v. 32. *Sterileis* i. e. pauperes, vacuas; cf. Plaut. Truc. I, 2, 3: manus steriles. — v. 33. Post *homuncio* pon. comma.— v. 35. *Quondam* i. q. quandoque; cf. Hor. Od. II, 10, 18. *Animosior* h. e. munificentior; cf. Tac. Hist. I, 24: animosus corruptor. — v. 36. *Respicit* i. e. favet. — v. 37. *Idoneus permutare*; cf. Hor. Epist. I, 18, 12.— *Tamberlanus* s. Tamerlanus, Timur s. Timurlencus (h. e. Timur claudus), famosus Mongolorum Imperator saeculo XIV. — v. 38. *Frondes aureae*, i. q. laurus aurea, insigne imperatorium Romanorum.— v. 39. *Trabeas Ausonii imperi* h. e. purpuram Romani imp. Cf. Plin. H. N. VIII, 48. IX, 39. — *Iustinus* I. Imperator Byzantii (ab a. Chr. 518—527) a patre ortus erat rustico, ut alii volunt, suario. V. Procop. de Bello Pers. l. I, c. 2. *Ausonii* i. q. Romani. — v. 41. *Capripedes* (non re, sed effectu) i. q. salientes, vel caballi, equites. — v. 43. *Transmissas obliquat salebras* i. e. obliquo saltu transmittit salebras. — v. 45. *Dissimulat fugam* i. q. speciem prae se fert fugae, pro simulat. — v. 46. Cf. Hor. Sat. I, 4, 85: hic niger est, hunc tu, Romane, caveto. — v. 48. Cf. Virg. Ecl. III, 8: transversa tuentibus hircis h. e. inspectante grege, inter greges; v. interpr. ad l. c.— v. 50. *Aiax*, Telamonis filius, fortissimus inter

Graecos heroes, cum Hectore congressus. — v. 50. *Fatui cursoris* et v. 52. *morio* a designatione cursoris Gallica *fou*. *Vulnera dividit* h. e. dispensat. Hor. Od. I, 15, 15. 36, 5. et supra 1, 89. — v. 61. *Peditum phalanx* sc. rustici. — v. 62. *Elephas* sc. turriger, cf. v. 11. *Porus*, rex Indiae fortissimus, ab Alexandro M. devictus a. 327 a. Chr. n. — v. 65. Sensus: Quanta etiam valet (quantacunque), non tamen permittenda est semper, ut eat in gl. h. c. Cf. Senec. de Ira I, 7: animus non permittitur reprimere impetum. — v. 67. *Observatur* sc. clam, num cupidior proelii incauta procedit. — v. 68 *Aruns non datur unicus*. Plures in historia Romana occurrunt homines nominis huiusce. *Aruns* hic ex Etruscis, quos Tarchon Aeneae adduxerat, qui Camillam Volscorum reginam diu observatam multaque arte circumventam, dum Chloreum Phrygem incauta persequitur, hasta traiecit. Virg. Aen. XI, 759 sqq. Nihil amplius, puto, poeta vult dicere, quam similium huic insidiatorum saepe multa alia dari vel offerri exempla. Nec cogitavit de Tarquinii Superbi filio (Liv. II, 6.) nec de fratre Lucii Tarquinii Superbi (Liv. I. 46, 48.) a Tullia sua coniuge sublato. — v. 69. *Vertit* i. q. evertit. Cf. Virg. Aen. X, 88: fluxas Phrygiae res vertere fundo. — v. 70. *Nimius sui* h. e. non potens sui, impotens. Cf. Tac. Hist. IV, 23: rebus secundis nimii; et Fragm. Sallust: nimius animi; it. Liv. VI, 11. ubi Gen. redundat. — v. 75. *Tanaquil*, Tarquinii Prisci uxor, celebratae prudentiae matrona. — v. 76. *Fulvia*, uxor M. Antonii Triumviri, superba arrogantia ac tyrannide infamis, conspirasse cum Octaviano dicitur in suum maritum. — v. 77. *Adrastus*, rex Argi, caput expeditionis adversus Thebas fuit atque solus ex se-

ptem regibus evasit equi beneficio ereptus. *Pedem tu quoque promove.* Evocatio ultima ironiae plena, cum iam *Iacta est alea;* quasi diceret: Rex, nunc tu quoque imitans Adrastum progredere, ut rebus gerendis ipse intersis. Sed iam captus es; sero est. — v. 78. *Nocuit ἀορίστως.* — v. 81. *Iulius* Caesar. — v. 82. *Epiri potens* h. e. vel Pyrrhus, rex Epiri, fortissimus accerrimusque Romanorum hostis, vel G. Castriotus Scanderbegus, princeps Epiri, quod, si ordinem temporis spectas, verius est. Cf. Od. I, 39. — v. 84. *Carolus*, Burgundiae Dux et partis Belgii, cognomine Audax. Occidit in proelio apud Nanceium a. 1477. — v. 85. Quintus Fabius Maximus Cunctator, prudentissimus Romani exercitus dux bello Punico secundo, de quo Ennius: Maximus ille Unus homo nobis cunctando restituit rem. — v. 87. *Otia vendimus* h. e. tempus perdimus *unguentis rosisque* i. e. luxuria. — v. 88. *Iacta alea est* Caesaris verba traiicientis Rubiconem. Suet. 32. — v. 90. *Triarii* milites apud Romanos erant tertia acies veteranorum probatissimorumque militum, et in discrimine proelii *Res ad triarios rediit.* Liv. VIII, 8. Hic latrunculi significantur reliqui. — v. 92. *Laconicam* (h. e. militarem atque duram) *buxum* pro latrunculos buxeos, quibus constat *pompa ludicra* i. e. ad ludum pertinens; cf. Cic. Nat. D. I, 37. — v. 94. *Hic alveus* i. q. theca, quasi cymba Charontis vel capulus. Cf. Virg. Aen. VI, 412. — v. 98. *Sub vano nomine* i. e. sub nomine vanae gloriae. — Nisi divina respicis et quaeris aeterna, ludus vivitur et sumus. — Cf. Lechneri Progr. Gymn. Neoburg. a. 1843.

Ode XIV. Fabula expeditionis Argonautarum navalis ad recuperandum vellus aureum factae notissima praeter Iasonem auctorem ac ducem nomi-

nat praecipuos heroes hos: Herculem, Castorem et Pollucem, Theseum, Telamonem, Pirithoum, Peleum, alios, qui quoniam a filiabus Minyae, regis Thessaliae, originem ducebant, etiam Minyae (v. 22.) appellantur. Fabricata in Thessalia (v. 3.) longa navi nomine fabri Argo dicta in Colchidem appulsi ab Aeeta rege benigne accepti aureum sibi vellus dari petierunt, quod ἐν Ἄρεος ἄλσει κρεμάμενον ἐκ δρυὸς ἐφρουρεῖτο ὑπὸ δράκοντος ἀΰπνου (Apollod. I, 9, 16.) et tauris aeripedibus atque ignivomis (v. 7—8). Promittitur Iasoni, si superaret custodes. Is opitulante Medea Regis filia venefica perficit quod erat imperatum, eamque una cum eius fratre Absyrtho sponsam secum abduxit. Quare *ius tridentis* i. e. tricuspidis Neptuni sceptri laesum esse dicit poeta (v. 1.), sc. avaritia ac rapina. Cf. Hor. Od. I, 3, 9. sqq. — v. 13. *Lachesis* una Parcarum, cf. II, 39, 37. — v. 15. *Colum totam* sc. totam vitam.

Ode XV. *Maria Annae*, Ferdinandi II. Imperatoris filia, Maximiliano I. Electori Bavariae in matrimonium collocata a. 1635. Cf. Od. II, 26. — v. 1. Imitatus est poeta Hor. Od. III, 4, 1. — v. 3. *Vocatae* (dat.) h. e. invocatae sc. tibi tendit manus. — v. 6. sqq. Cf. Hor. Od. IV, 5, 16 sqq. — v. 11. *Naris emunctae* i. q. subtilis palati vel iudicii, sapiens. Hor. Sat. I, 4, 8. Bene hoc epitheton convenit Voluptati humana specie indutae. Contrarium *naris obesae* de homine stulto. Hor. Epod. 12, 3. — v. 27—28. Ex Isai. vatic. C. II, 4. cf. Hor. Od. I, 35, 1. — v. 29. *Massagetae*, populus Scythiae versus orientem maris Caspii. Hic pro Turcis. cf. I, 27, 12. — v. 44. *Choraulae* sunt tibicines chori. — v. 45. *Dimidii*, sensu eo, quo Hor. Od. I, 3, 8: animae dimidium meae appellat Virgilium. — v. 53. *Iuditha* Bethuliensis, matrona heroica, Holofer-

nis, ducis Assyriorum, triumphatrix.— v.57. *Gotthus* i. e. Suecus. Gothones enim, Guttones, Gutae, vel Gothi partem Sueciae incolebant; cf. I, 37, 11. Ib. *Mare Balthicum*, cf. II, 26. 13. *Marisque rector barb.* cf. Od. I, 40.— v. 60. *Utrumque solem* h. e. orientem et occidentem. — v. 63. *Syene torrida*, cf. I, 26, 5. Loquitur de propagata religione Christiana.

Ode XVI. v. 7. M. Iunius *Brutus*, et M. Porcius *Cato* Uticensis, Stoici Romani. cf. II, 15, 32.— v. 9. *Duo Annaei*, v. ad. I, 33, 14.— v. 15. *Statuae* sc. Marsyae pastoris, qui fistula ausus est Apollinem in certamen provocare. At iste victo et ad arborem vincto pellem detraxit. Huius statua erat in foro Romano pro rostris, ad quam solebant convenire causidici, qui lites et negotia tractabant et componebant. Sublata manu funem gestabat, tanquam vindictam minitans litigantibus iniuste.— *Cecrops*, conditor et rex Athenarum.— v. 16. *Quirini* i. q. Romuli, cui id nomen honoris causa inditur. — v. 20. Permultas *Seneca* literas de moribus *Lucilio* cuidam scripsit. — v. 15. *Epictetus*, philosophus Stoicus atque illustris morum magister, natus est Hierapoli in Phrygia. Epaphroditi, carissimi Neronis liberti servus erat. Tota eius suppellex erat lucerna fictilis, quae eo mortuo mille drachmis est emta a quodam.— v. 35. *Siculo carcere* h. e. freto periculoso propter Charybdim et Scyllam, cf. II, 32, 11.— v. 40. *Vesevus* (Virg.) vel Vesvius (Mart.) vel Vesbius (Stat.) i. q. Vesuvius. — v. 44. *Cylindris* pro oculis volubilibus admodum.— v. 49. *Aristarchus* nobilis criticus Alexandrinus, nimius castigator Homeri.

Ode XVII. In titulo l. *inconstantia*.— v. 6. *Charitum* i. e. Gratiarum erant tres sorores, Aglaia, Pa-

sithea et Euphrosyne, Iovis ex Eurynome filiae, pulcherrimae atque inter se coniunctissimae una saltant. Cf Hor. Od. III, 21, 22. — v. 10. In editt. falso: Qui dulcis ori. — v. 13. *Alonius* ignotus. V. 17. *Scandola*, poetae popularis. Cf. Sylv. V, z. 21, 49: Scandola Pieridum coetu notissimus olim Alsaticae flos Scandola terrae. — v. 27. *Baccis* i. q. margaritis. Hor. Ep. 8, 14. Sat. II, 3, 241. — v. 29. *Thalassius* (s. Tal.) et Thalassio, praeses nuptiarum. Cf. Liv. I, 9. ubi est nobilis Romanus, cui raptarum una Sabinarum dabatur in matrimonium.— v. 30. *Eumenis* i. q. Furia, cf. ad IV, 3, 11. — v. 36. *Libitina*, v. II, 39, 56.

Ode XVIII. Laudat Divae Virginis misericordiam erga eos, quos culpae poenitet, eandem implorans. — v. 1. Imit. Hor. Od. II, 4, 1. — v. 3. *Secundus Adamus* dicitur Christus, ut Maria secunda Eva, (v. 6.) mater generis humani.

Ode XIX. Cf. Tibull. IV, 1, 7. sqq. — v. 4. *Phocis*, v. I, 23, 7. — v. 5. *Melpomene*, una Musarum, praeses tragoediae. — v. 8. *Pindus*, Thessaliae mons altus, Musis sacer. — v. 11. *Erecti Phoebi* h. e. enthusiasmi poetici. — v. 14. *Echo*, nympha Narcissi capta amore, neque audita a iuvene casto prae moerore contabuit et in nudam est conversa vocem. *Alipes* i. e. Pegasus, quem aureo Minervae freno domuit Bellerophon, Glauci filius, heros ac rex Lyciae. — v. 16. *Cedit alas* h. e. Pegasum cedit alatum. — v. 19. *Hippocrene*, fons Musis sacer in Helicone monte. cf. 1, 9. — v. 25. C. Valerius *Catullus Veronensis*, poeta elegiacus Romanus. Celebrata est eius elegia in passerem Lesbiae suae. Andibus, suburbano oppido *Mantuae* natus est P. Virgilius Maro poeta. — v. 29. *Appulia* Italiae regio inferioris, quam Aufidus fluvius in Dauniam dividit et Peucetiam.

Ode XX. v. 1. *Mitte* h. e. relinque. Despice terrena, suspice coelestia. — v. 10. *Stante Neptuno* h. e. mari immoto. — v. 18. *Phrygia* sylvosa, maxime consita pinis ad aedificandas naves idoneis. Cf. Hor. Od. I, 14, 11: Quamvis Pontica pinus, silvae filia nobilis. — v. 21. *Getulia* (s. Gaet.) est regio Africae interioris iuxta Garamantes. Ponitur pro Africa vel Libya; cf. I, 1, 3. — v. 23. *Gades*, insula cum oppido nominis eiusdem extra fretum Herculeum et columnas Herculis ad ostium Baetis fluvii. Ponitur pro ultima terra. *Triton*, cf. II, 17, 30. — v. 31 sqq. Elegans descriptio catarrhactae Rheni in confinibus urbis Scaphusiae. *Colostrum* propr. lac primum post partum: Priemst, h. l. tralatum ad spumam lacteam undarum torrentis impetu raptarum. Orell. — v. 45. *Trionum*, v. 1, 19.

Ode XXI. v. 2. *Baucidis*, v. II, 49, 6. *Acronius* lacus Alpium, quem transit Rhenus, inferior pars est Brigantini lacus. Zellersee. *Sedit in cineres*; cf. Prop. III, 9, 37: Non flebo in cineres arcem sedisse paternos Cadmi. — v. 5. *Boii Romuli* h. e. Maximiliani I. Electoris Bavariae, regia urbs, Monachium. — v. 6. *Attilae* pro rege Suecorum Gustapho Adolpho. cf. Od. II, 26, 11. — v. 7. *Librare* i. e. tentare, corrumpere, cf. II, 26, 25 sqq. — v. 8. *Senonum* sc. Gallorum Brenno duce Romam vastantium. — v. 9. *Alsaticas alpes* h. e. mons Iura. Hannibal Romam petens Alpium saxa rupesque, ut patefieret via, dissolvisse fertur ferventi aceto. Cf. Liv. XXI, 37, 2. et infra 28, 18. *Hannibale novo* significatur Bernhardus Vinmarius Dux, cf. I, 36, 17. II, 27, 12. — v. 12. Ad *Tyberim* sita est Roma, qua urbe procul dubio ostenditur Vienna urbs imperatoria. — v. 13. *Carthago*

triplex i. e. hostis triplex, Suevi, Galli et Vinmarius consociati. — v. 14. *Scipio Batthicus* fortasse Bannerus Suecorum dux. — v. 15. *Numantia*, urbs Celtiberiae in Hispania, nec muro nec turribus munita, et quatuor tantum militum millibus instructa quatuordecim annis fatigavit magnos Romanorum exercitus. Tandem Scipio Africanus minor eam fame devicit (133 a. Chr.). Numantinis similes Germaniae significantur civitates. — v. 18. *Tenedos*, insula maris Aegaei prope Troiam, quo occultarunt classem Graeci, cum relicto equo ligneo simularent obsidione solutam Troiam deserere. Significantur adversariorum insidiae ac machinae. Priamo, rege Troiae, notatur Ferdinandus III, Austriacus Imperator. — v. 17. *Dardani* i. q. Troiani pro Austrii. — v. 18. De *Dyma*, *Iphito* et Pelia, sociis Aeneae excidio Troiano v. Virg. Aen. II, 428 sqq. — v. 21. *Cassandra*, Priami et Hecubae filia, vates. *Polyxena*, eiusdem filia formosissima severaque insignis castitate. De *Deiphobo*, Priami filio, et *Ucalegonte* sene cf. Virg. Aen. II, 310: dum Deiphobi dedit ampla ruinam Volcano superante domus, iam proximus ardet Ucalegon.

Ode XXII. v. 8. *Iniquos Soles* i. q. dies pestilentes. Cf. Hor. Od. IV, 2, 46. Sat. I, 9, 72: solem tam nigrum.

Ode XXIII. v. 3. *Stoa*, v. 12, 1. Ed. Monac. II: sectae. — v. 4. *Clazomenae* oppidum Ioniae maritimum, ubi fanum erat Apollinis. Igitur Clazomenes (i. q. Clazomenius) pro Apolline. — v. 5. Miseram Stoicorum conditionem et vitae asperitatem simili modo describit Baldaeus in Encomio Torvitatis: Tales producit sessores porticus alta Tres cubitos, sex lata pedes, oblonga trecentos. Quanquam autem ob-

stipos angusto limite sepsit Parva domus, tamen et gelidum Praeneste Neronis Et Tibur Memphinque ipsam transcendit honore. Hic homines fiunt, hinc sacra oracula manant. Appellent alii mandram stabulumque caninum: At tu delubrum venerabile dixeris esse, Quale nec in Libya possedit corniger Hammon. Huic mandrae Senecam debes, proh quanta sonantem Ausculta, excusso si forte rubore salubri Stoica perfrictam pingant conchylia frontem. Vera quidem loquitur, sed non et grata prementi Vellus Amyclaeum, spondae vel in otia merso. — v. 7. Liburna. Leg. *Liburno*. Ex Iuven. Sat. III, 240: vehetur Dives et ingenti curret super ora Liburno. Liburnum sc. vehiculum est lectica vecta a servis Liburnis. — v. 8. *Manlius*, v. II, 15, 29. — v. 9. L. Licinius *Lucullus*, Consul et Mithridatis regis Ponti victor, insatiabili avaritia immensisque, quas in Asia collegit, divitiis nobilitatus. In luxuriam effusus incredibilem tandem in podagrae morbum incidit adeo, ut hexaphoro, quod est genus lecticae, ferretur. *Macetum* (v. ad I, 39, 12.) *deus* h. e. Alexander Magnus, qui victo Persarum rege Dario deus haberi voluit. (Ael. Var. Hist. II, 19.). A quo Diogenes apricans nihil petiit aliud, quam ut Alexander nonnihil recederet, ne umbra corporis sibi lucem solis adimeret; alio enim se non indigere. — v. 14. *Foetere docte*, cf. Bald. Encom. Torvitatis: Sacer est cibus iste Sophorum Pythagorasque facit vel saltem Pythagoreos. Foetent et ducunt foetorem talia, dices, Fercula. Pone metus, indignas mitte querelas. Hic odor est proprius doctorum, altasque cathedras Pressantum... ... Diogenes certe nullum spiravit amomum. — v. 16. *Cynicus* i. e. Diogenes, patria Sinopensis, auctor

philosophorum Cynicorum, vixit Athenis libere nimis ac impudenter canis instar. Diog. Laert. VI, 22: *Διογένης ὁ κύων ἐπικαλούμενος παντὶ τόπῳ ἐχρῆτο εἰς πάντα, ἀριστῶν τε καὶ καθεύδων . . . Καὶ πήραν ἐκομίσατο, ἵνα αὐτῷ τὰ σιτία ᾖ.* Obiit Corinthi in Achaia. — v. 17. *Trinodi fuste* i. e. baculo, cui innitebatur Diogenes aegrotans. Diog. Laert. VI, 22. Idem solebat habitare in dolio. — v. 19. *Testam* i. e. concham. Senec. Epist. 15. ad Lucil: Quantum potes, circumscribe corpus tuum. Animo locum laxa. Id bonum cura, quod vetustate fit melius. — v. 22. *Conviciator*, cf. Encom. Torv. I: (Diogenes) per plateas gradiens, veluti latrator Anubis, Publica mordaci laceravit rictu. — v. 23. *Impexus;* cf. Sen. Epist. 124. ad Lucil: Quid excolis formam? Cum omnia feceris, a multis animalibus decore vinceris cet. — v. 26. *Ceres*. Crambe et pane hordeaceo plerumque Diogenis constabat coena, ad quam interdum mures ibant, quos parasitos suos vocabat. Diog. Laert. VI, 40. Ael. Var. Hist. XIII, 26. — v. 27. *Farris canini*. Prandium caninum vocat Plautus, in quo vinum non bibitur. H. l. in universum: victus non mundus. — v. 30. *Contemptus auri*. Seneca: Indictum argento odium. Ep. V. ad Lucil. — v. 34. *Lucernae*. Diog. Laert. VI, 41: *Διογένης, λύχνον μεθ' ἡμέραν ἅψας, ἄνθρωπον, φησί, ζητῶ.* — v. 36. *Aristoteles* Stagirites, clarissimus Platonis auditor, eruditissimus philosophorum, corpore erat gibbosus. — v. 41. *Stupere*, hoc verbo Stoicorum significatur *ἀπάθεια*, immota animi tranquillitas. *Hic labor, hoc opus*, cf. Virg. Aen. VI, 128. 29. — v. 44. *Patimurque manetis*, h. e. tormenta, cf. Od. II, 5, 6. III, 32, 87. — v. 56. *Hermes* est rude statuarum genus, inprimis Mercurii. — v. 58. *In antecessum prae-*

cipue h. e. praeveniendo, praeoccupando, e Seneca petitum. — v. 66. *Chrysippus*, Solensis e Cilicia, Cleanthis, qui Zenonem audierat, discipulus, philosophus stoicus magnae severitatis et acerrimo vir ingenio. Cic. de Divin. I, 3. *Speusippus* Atheniensis, discipulus Platonis, quo mortuo in Academia docuit philosophiam. — v. 72. *Pelorus* s. Pelorum est promontorium Siciliae, versus Italiam. — v. 84. Proverbium est Nodum in scirpo quaerere h. e. difficultates, ubi res plana. — v. 88. *Nimbo scaphii;* cf. Bald. Encom. Torv. IV: atqui hic (Socrates) croceo perfundi rore putabat, Cum scaphii nimbos bene loto vertice sensit, Xanthippeque super portas, illa inclyta Iuno, Tempestate potens rapida de nube tonaret Valvarum. — v. 90. *Andabatae*, genus gladiatorum s. pugilum, qui obligatis oculis certamen inibant. Cic. ad Div. VII, 10, 2.

Ode XXIV. v. 2. Editt. habent *suos*; sed opp. *castis solibus* flagitatur: *suo igne*, quod dedit Orell. — v. 5. *Idalis* pro Idalia vel Idalie i. e. Venus, cf. II, 22, 12. — v. 12. *Scipionum* familia virtute ac fortitudine illustris, cf. II, 3, 20. — v. 17. *Cynthia* i. e. Luna, cf. II, 33, 3. — v. 19. *Diurna Cynthia* est amica Sexti Aurelii Propertii, poetae elegiaci, immane obscoeni.

Ode XXV. v. 8. *Olympus*, altissimus Thessaliae mons, sedes Superum. — v. 10. *Hermus*, v. II, 15, 14. — v. 11. cf. Hor. Od. III, 16, 28. Bald. Od. II, 19. — v. 14. Post *nunquam* duo puncta exciderunt.

Ode XXVI. v. 4. *Sandapila* est feretrum ignobilium. — v. 8. *Opis*, Boreae filia, nympha, Dianae socia ac nuncia. *Clio*, una Musarum, praeses historiae. — v. 10. *Attilae*, v. III, 6, — v. 16. *Getici*, v. I, 37, 12. — v. 24. *Amaryllis* nomen puellae vel ancillae

rusticae. Virg. — v. 31. *Indulge* i. e. confide, crede. — v. 57. *Bellis* (idis) Masslieben. — v. 58. *Persia* ferax odorum. — v. 60. Amarantus (ἀμάραντος h. e. immarcescibilis) Tausendschoen, Sammtblume. — v. 64. *Rubra dona maris* h. e. coralia — v. 65. *Thyrianthinus* i. e. purpureus et violaceus simul. — v. 70. *Norum* sc. sertum. — v. 71. *Clotho*, una Parcarum colum baiulans.

Ode XXVII. *Spinulus* (spinus) genus oscinum (Zeisig) — v. 5. *Pythagoras* invento Σεωρήματι, quod Pythagoreum vocatur, perfusus gaudio Iovi, qui in Attica religiosissime colebatur, victimam centum boum immolasse dicitur. — v. 6. *Magna parte mei*, cf. Hor. Od. III, 30, 6. — v. 11. *Caelo Musa beat*, cf. Hor. Od. IV, 8, 28, 29. — v. 20. *Simias volucres* vocat ob vocis imitationem humanae psittacos. — v. 26. Post *histrio* dele duo puncta. — v. 27. *Bistonium* i. q. Thracicum, cf. I, 37, 12. — v. 28. *Itys*, Prognes filium parvulum a matre necatum a Philomela in lusciniam mutata assidue deplorari fingunt poetae. Utraque autem erat Pandionis regis Atticae filia; et illa Terei, regis Daulidis in Thracia, uxor. Ovid. Met. VI, 412 sqq. — v. 32. *Fies nobilium* h. e. sacrarum, immortalium *arborum;* cf. Hor. Od. III, 13, 13.

Ode XXVIII. De aurea B. Virginis statua v. Od. II, 26.

Ode XXIX. v. 2. cf. Hor. I, 16, 1.

Ode XXX. *Dies Alcyonii* vel Alcyonei vocantur ii, quibus alcyones s. alcedines ovis incubant, quo tempore mare tranquillum esse atque iacere dicunt. — v. 1. *Columbus* (Colombo) et Nonius Blascus (Nunjo Vasco) illustres orbis novi inventores. — v. 5. *Prometheus*, Iapeti filius, Iovi furatus est ignem, quo

hominem ex limo et aqua fictum animaret. — v. 6. *Iovis secundi* i. e. Neptuni. Cf. I, 5, 21. — v. 15. *Nereus*, Oceani filius. — v. 21. *Tethys* eiusdem uxor. *Minerva* praeses scientiarum atque artium. — v. 24. Frequens Iberus h. e. tot Hispani immolant Neptuno boves nigros, coloris marini. — v. 46. *Tiphys* gubernator Argus, navis Minyarum. — v. 53. *Murice* i. q. purpura. — v. 72. *Tridentum* urbs Tirolis. — v. 74. Orbem dividam, cf. Hor. Od. III, 27, 75: tua sectus orbis Nomina ducet (h. e. dimidia pars orbis). — v. 79. *Thespiae* oppidum Boeotiae praecipuo Musarum cultu nobile.

Ode XXXI. v. 7. *Concisus tyrannus* h. e. numi veteres forma Caesarum percussi. — v. 9. *Sic oculos*, cf. Virg. Aen. III, 489: Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat. *Nero*, v. II, 43. — v. 10. P. Aelius *Hadrianus* Caesar Romanus. a. 117. p. Chr. — v. 12. *Titus* Flavius Vespasianus pater et filius Imperatores bello Iudaico illustres eversisque Hierosolymis (a. 70. p. Chr.). — v. 13. *Iulianus* Apostata, Christianorum adversarius, imperium tenebat ab a. 360 — 363 p. C. — v. 14. *Phocas* Imperator Graecorum crudelissimus, improbissimus (602—610 p. C.). — v. 19. *Stellae capilli* erant bracteolae s. lamellae aureae, genus ornamenti. — v. 20. *Contus* est sceptrum triumphantis eburneum, in quo summo aquilae signum. — v. 22. M. Ulpius Traianus *Nerva* clavum imperii tenebat ab a. 98—117. p. C. — v. 24. *Minio pictus*; cf. Plin. V. 33, 7: „triumphantium ora minio illimi solita et sic Camillum triumphasse, quod tamen posterioribus temporibus exolevit.“ Anachronismus. — v. 25. *Iucunda pl. iurgia* h. e. athletarum certamina, spectacula, ludi publici. — v. 27. *Daci*, populus Scythi-

cus ad sinistram Istri ripam, Romanis diu formidolosus, a Traiano demum devictus ac subiugatus. — v. 34. *Boethius*, Senator et Consul Romanus, generosissimus atque eximiae vir sapientiae, a Theodorico Ostrogothorum rege, una cum Symmacho socero suo iniustissime crudelissimeque est interfectus; cf. II, 16, 41. — v. 35. *Gracchorum* et *Fabiorum* familiae Patriciae summis insignes virtutibus. M. Porcius *Cato* Tusculanus, Consul et Censor, in omnibus rebus singulari prudentia et industria, agricola sollers, reipublicae peritus, iuris consultus, magnus imperator, probabilis orator et cupidissimus literarum. Corn. Nep. — v. 43. M. Aemilium *Scaurum*, hominem gravissimum, civem egregium, fortissimum senatorem appellat Cic. pro Mur. 17. — v. 44. *Thraseas* Paetus regnante Nerone senator Romanus, probissimus vir et incorruptissimus. Cf. Tac. Annal. 14, 48 sqq. 16, 33 sqq. — v. 50. *Pollice Delphico* h. e. arte vaticinandi.

O d e XXXII. v. 3. *Punicas aures* i. e. assuetas conviciis calumniisque, et hostiles. In proverbio est fides Punica. Cf. Plaut. Poen. prol.: Poenus plane est; quid verbis opu'st? — v. 5. Dec. Iunius *Iuvenalis* Aquinas (nat. 38. p. Ch.) acerrimus poeta satyricus. — v. 8. *Volsci* populus Italiae inter Latium et Campaniam. *Mimallones* (μιμάλλονες) sunt Bacchae, a Mimante Lydiae monte nivoso, ubi Bacchi sacra. — v. 10. Qu. Horatius *Flaccus*, poeta satyricus salis Attici. — v. 11. Aulus Flaccus *Persius* (nat. Volaterris 50. p. Ch.) satyricus acerbissimus. Caius *Lucilius* (nat. 145. a. Ch.) princeps et pater Satyrae Romanae severissimus. — v. 15. *Zoilus*, Amphipolites, rhetor Graecus, malignus ac nimius scriptorum calumniator, maxime Platonis et Homeri, unde Ὁμηρομάστιξ ap-

pellatur. — v. 21. *Iamborum* inventor Archilochus Parius, satyricus acerbissimus, quibus *Lycamben* cum filiabus eius ob acceptam repulsam ad laqueum compulit. Cf. Ovid. Ibis v. 51. — v. 29. Muffo, Nellus, Maracipsa, Vappius sunt nomina ficta adversariorum et obtrectatorum Baldaei. Cf. Sylv. Lyr. V, 21. — v. 36. *Vincula surae* pro caligis. — v. 50. *Genuinus* sc. dens. Plin. Hist. Nat. XI, 37: Homini novissimi, qui genuini vocantur, dentes circa vigesimum annum nascuntur in extrema gingiva. Graecis dicuntur σωφρονιστῆρες. Cf. Iuven. Sat. V, 65. — *Exermi* nove pro inermi, metri gratia. — v. 55. *Ardui Sabini* i. e. montosam Italiae regionem incolentes inter Latium, Umbriam, Picentes et Samnites. Naturali rigore ac probitate morum laudati. — v. 60. *Gratia*, v. 17, 6. Hor. III, 21, 22. — v. 81. *Androclus* servus Romae fugitivus a domino persequentem declinans in speluncam se recipit, ibique leonem invenit vulneratum pede, quem cum evulsa spina sanasset, ab eo diu nutritur. Postea vero uterque captus in arena exhibentur, servus nempe leoni obiectus; at leo ferocissimus servi se pedibus subiiciens blandiebatur ei. Re cognita uterque dimissus est, ac leo tenui vinculo per urbem cum omnium admiratione ductus a servo. cf. A. Gell. Noct. Att. 5, 14. — v. 87. *Manes*, v. II, 4, 6. — v. 90. *Momus* (Μῶμος), Noctis filius, dicitur numen, quod vitia, quae insunt operibus Deorum et hominum, callidissime animadvertit. Lucian. Deinde ponitur pro quovis reprehensore nimio et obiurgatore. Cf. IV, 9, 73.

Ode XXXIII. v. 22. *Charon*, filius noctis, nauta apud inferos, a poetis fingitur sordido habitu truci-

que vultu senex. — v. 24. *Euclio* est sordidi et avari senis nomen apud Plautum in Aulularia.

O d e XXXIV. v. 14. *Cereris lacuna pallentis* h. e. cerevisia alba. Cf. I, — v. 18. *Rangensis vinea*, generosioris ferax vini in Alsatia celebrata. — v. 19. *Tusculum*, municipium Latii prope Romam, locus amoenissimus, ubi multi Romanorum horti et praedia. — v. 22. *Saguntum* (Cic.) vel Saguntus et Saguntium (Morviedro) oppidum Hispaniae Tarraconensis trans Iberum, quod Hannibal diuturna obsidione ad tantam famem compulit, ut cadavera hominum comederent, alia indigna. Sil. It. c. I. et II. *Numantia*, cf. 21, 15. — v. 25. *Vinmarius*, cf. I, 36, 17. II, 27, 12. — v. 26. *Lucretilis*, mons in Sabinis villae Horatii imminens; cf. Hor. Od. I, 17, 1. — v. 37. *Niobe*, uxor Amphionis regis Thebarum, visa liberorum morte prae dolore in saxum obriguit. Ovid. Met. 6, 148 sqq. cf. Od. I, 35, f. — v. 47. *Entellus* Siciliensis validissimus, a quo Dares Aeneae socius et pugil gloriosior victus est. Virg. Aen. V, 417. sqq. — v. 53. *Ithaca* insula parva et inops maris Aegaei, patria Ulyssis. — v. 55. *Penates*, cf. Virg. Aen. II, 293. 717. III, 148. IV, 598. — v. 58. *Telamonius* h. e. Teucer Telamonis filius, qui a bello Troiano redux non receptus a patre ob segnitiem non vindicatae fratris iniuriae Salamine transmigravit Cyprum, ubi urbem condidit cognominem. Cf. Vellej. Paterc. Hist. 1, 1. Hor. Od. I, 7, 21. sq. — v. 59. *Anchises*, pater Aeneae, qui post Troiae excidium primum delatus est Carthaginem, Tyriorum coloniam, deinde ad Italiam appulsus Rutulos debellavit. Cf. 13, 10. — v. 67. *Brisacum*, v. I, 36.

O d e XXXV. *Utopia* nomen terrae fictum ex omni parte felicissimae, quales sunt Insulae fortu-

natae, Pindari Hyperborei, Platonis res publica, Thomae Mori Utopia et aurea aetas veterum. Ovid. Met. I, 89 sqq. Pind. Olymp. II, 67 sqq. III, 17 sqq. — v. 7. *Epicurus* Atheniensis philosophus, homo admodum continens ac rigidus, docebat in amoenissimo Athenarum horto, summum bonum consistere in voluptate, sed animi dicebat voluptatem et quietem. Cf. Sen. Epist. 21. — v. 13. *Veneremque* h. e. flores; cf. vs. 57. — v. 19. *Lesbos* insula maris Aegaei fertilissima vini generosioris. *Rhodos* insula celebris maris Carpathii, ubertate et serenissimo coelo insignis. *Tarentum* opulentissima Italiae inferioris urbs, luxuria ac mollitie incolarum notata. — v. 48. *Napaea*, v. II, 22, 23. — v. 52. *Sideris* h. e. solis. — v. 54. *Argus*, custos Ionis, centum praeditus oculis. — v. 57. *Cypris* i. q. Venus, quae Adonidis apri dente caesi cruorem in anemonen mutans spina rosae ipsa vulnerata albas ad id tempus rosas convertit in rubras. — v. 62. *Daulias* (ita scribendum pro Daunias monente Orellio) *ales* i. q. Philomela, luscinia, a Daulide, oppido Phocidos sub ditione Terei. Cf. Albinovan. Eleg. I, 105, cf. 27, 28. — v. 65. *Ariadna*, Minois regis Cretensis filia, cuius filo usus Theseus Minotauro interfecto Labyrinthi inexplicabiles evasit ambages; cf. II, 15. — v. 67. *Nomadum* h. e. Numidarum pro Libyci marmoris columnis, cf. Od. I, 13. II, 8, 7. — v. 71. *Charites*, v. 17, 6. — v. 74. *Hermo* pro auro, v. II, 15, 14. — v. 80. *Morpheus*, Somni filius ac famulus, qui dormientibus varias affert species, figuras, et somnia fingit pictoris instar. Ovid. Met. XI, 635. — v. 83. sq. Pind. Pyth. 8, 96: *ἐν δ' ὀλίγῳ βροτῶν τὸ τερπνὸν αὔξεται. οὕτω δὲ καὶ πιτνεῖ χαμαὶ ἀποτρόπῳ γνώμᾳ σεσεισμένον. Ἐπάμεροι τί δέ τις; τί δ' οὔ τις; σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος.*

Ode XXXVI. v. 1. *Lethe*, v. II, 8, 44. — Ib. *Styx*, fluvius Arcadiae aqua virulenta; item apud inferos. — v. 8. *Hippomanes* (n.), virus ex equarum inguinibus profluens, veneficium. *Medea*, v. ad III, 14. — v. 9. *Parce tenacibus*; Herder: Halte die Wunde nicht mit scharfen Nägeln offen. — v. 17. In triclinium deorum, cum Pelei ac Thetidis celebrarentur nuptiae, ab Eride, litium dea, immissum pomum aureum *Pulcherrimae* inscriptum, a Paride, Priami filio, adiudicatur Veneri, ex quo superba Iovis uxor Troianis irata, Venus contra amica. — v. 18. *Manserat attius* cet. E Virg. Aen. I, 26: Manet alta mente repostum Iudicium Paridis spretasque iniuria formae, Et genus invisum, et rapti Ganymedis honores. — v. 27. *Cordis insanum leonem*. Cf. Hor. Od. I, 16, 15: Fertur Prometheus insani leonis Vim stomacho adposuisse nostro. — v. 30. Ferdinandus I. Imperator pari clementia ac iustitia illustrissimus (1558—1564), cuius haec tessera: Fiat iustitia, aut pereat mundus. Pacis amator et auctor. — v. 33. *Aspera* h. e. calumnias.

Ode XXXVII. v. 5. cf. Hor. Od. II, 2, 2: inimice lamnae Crispe. — v. 9. *Motorchus*, pauper Cleonaeus in Argoli, qui excepit Herculem hospitio. Stat. Theb. IV, 170 sqq. Tibull. Eleg. IV, 1, 12 sqq.

Ode XXXVIII. v. 6. *Daphne*, Penei fluvii filia, nympha, Apollinem fugiens amantem conversa est in laurum (δάφνην). Ovid. Met. I, 452 sqq. — v. 11. *Tethys*, v. III, 30, 21. — v. 16. *Nais*, v. II, 17, 29. — v. 30. sqq. Caecilia, Basilissa, Margarita, Musa, Costis, Agnes et Ursula sunt ss. martyres; Clara, Euphrasia, Walpurgis ac Teresa divae virgines, e quarum nominibus aut historia a poeta diversa derivantur dona speranda. — v. 35. Pergamenas *pumice* ra-

dendi vel purgandi, titulosque *minio* vel purpura inscribendi mos apud antiquos. — v. 62. *Cunque* h. e. quacunque ratione. Cf. Hor. Od. I. 32, 15.

Ode XXXIX. v. 2. *Servilis* erat conditionis Epictetus, cf. 16, 25. — v. 9. *Phrygis*, h. e. Epicteti, cf. 16, 25. Is humanae subsidia vitae cochleolis, quibus ludunt pueri, comparavit. — v. 16. *Tiresias* vates Thebanus, visu orbatus a Iunone aut Pallade. Ovid. Met. III, 318. *Pythagoras*, v. II. 21. — v. 17. *Pittacus* Mytilenaeus, unus e septem Sapientibus Graeciae. — v. 18. *Cecropiis* (h. e. Atheniensibus) *sordibus* significatur Diogenes, cf. III, 23, 16. 16, 15. — v. 32. *Sirius*, stella maior Canis sideris; dein pro ipso sidere. Iunge: *Intra tabifica viscera bile nigrantia Sirius, canis vindictae appetens, exercet rabiem.* — v. 42. *Icarus*, Daedali filius, quem pater e Labyrintho secum avolare docens alis ei cera applicatis monuit, neque altius volandum, ne pennarum solveretur ligamen, neque profundius, ne plumae tingerentur aquis. At temerarius iuvenis praealte volans solis calore liquescentibus pennis praeceps actus est in mare, quod Icarium vocatur.

Ode XL. Cf. Hor. Od. I, 21: In Dianam et Apollinem. et Sarbiev. Lyr. II, 18. — v. 15. *Novo nomine*, cf. Apoc. s. Ioan. 3, 12. 21, 20.

Ode XLI. Alberti VI, Ducis Bavariae, filius primogenitus obiit anno aetatis vigesimo secundo, 1640. — v. 6. Oetinga vetus, peregrinationibus B. Virgini sacratis celeberrimum Bavariae oppidum ad Oenum fluvium. — v. 13—14. Cf. Hor. Od. I, 24, 9. 10: Multis ille bonis flebilis occidit; Nulli flebilior quam tibi, Virgili. — v. 18. Cf. ib. vs. 2: Tam cari capitis. —

v. 20. *Miscuerunt* corripitur. — v. 28. cf. Hor. Od. I, 24, 17: Non lenis fata recludere.

Ode XLII. v. 2. *Tessera* militaris apud Romanos certa erat nota, qua noscerentur milites. — v. 14. *Capaneus*, v. I, 41, 40. — v. 18. *Poli* h. e. urbi Thebis. — v. 20. *Ogygias* h. e. Thebanas, v. 12, 4. — v. 22. *Bistona* i. e. Thracium poeta vocat Gradivum h. e. Martem, cui Thracia sacra. — v. 39. *Hunni*, v. I, 37, 11. 12. — v. 43. *Pampelone*, s. Pompeiopoli, quae urbs Navarrae munitissima, quam defendens Ignatius vulneratus est saxo. — v. 47. *Beltroniades* forsitan a matre dictus Ignatius Bertrandi filius, Loyolae in Cantabria natus. — v. 50. *Orion*, v. 1, 94. — v. 55. Mons Serratus Barcinonensis Comitatus celeberrimo ordinis s. Benedicti monasterio illustris, quo profectus Ignatius suspensis ante aram beatae Virginis armis sacrae militiae se dicavit, cingulum et vestem viatoris assumens. — v. 58. *Finni*, v. I, 38, 13. — v. 61. *Sic*, cf. Hor. Od. I, 3, 1. *Gedeon*, v. II, 38, 25. *Tholo* sc. in templo. — v. 67. *Alani*, v. I, 37, 12.

Ode XLIII. Cf. Catulli carmen in passerem, quod imitatus est Baldaeus, et Ovidii in psittacum. — v. 2. De *phoenice* v. Herod. II, 73. Plin. H. N. X, 2. — v. 4. *Iunoni* sacer est pavo. — v. 11. Catull. vs. 3: Quoi primum digitum dare adpetenti Et acres solet incitare morsus. — v. 17. *Lyra* h. e. cantus vel vox oscinis. — v. 18. *Plumae* (dat.) *redeat veteris metri temperies* i. e. pristina venustas et comptus. — v. 33. *Atropos*, v. II, 39, 37. — v. 35. *Smyrna* urbs Ioniae, Homeri, ut fama fert, patria. Respicere videtur poeta ad locum illum de Argo cane Ulyssis Odyss. XVII, 326: Ἄργον δ' αὖ κατὰ Μοῖρ' ἔλαβεν μέλανος θανάτοιο.

— v. 36. *Pierides*, v. I, 43, 7. — v. 38. *Melpomene*, v. III, 19, 5.

Ode XLIV. v. 5. Cf. Erasm. Adag. Chil. 1. cent. IV, 73. *In aere serere* vel *piscari*, proverbium in eos, qui frustra laborant. — v. 15. *Cristae* dicuntur surgere iis, qui mirifice sibi placent atque superbiunt. Iuv. IV, 70.

Ode XLV. v. 1. *Phrixus*, Athamantis regis et Nephelae filius in Boeotia, Iunonis novercae devitans odium, aurei velleris (χρυσόμαλλον) arietem, cui insidens transportatus est in Colchidem, immolavit Iovi, eiusque vellus in Martis nemore suspendit. Huius soror Helle simul cum fratre transmigratura mare de ariete decidit in Helles pontum. Cf. Ovid. Her. ep. XVIII. Herder: Der Sinn der ersten Strophe ist: ehe es den in der Fabel berühmten Widder des Phrixus mit dem goldenen Felle gab, gab es natürliche und schönere Wollenheerden. — v. 8. cf. Hor. Epod. 2, 5. — v. 13. Hor. Epod. 2, 7. — v. 15. Hor. Epod. 2, 23. — v. 17. *Rota fervida* sc. solis. Ita Senec. Herc. Oct. vs. 1022: Testor nitentis flammeam Phoebi rotam. — v. 23. Cf. Hor. Od. I, 1, 21. — v. 25. Hor. Epod. 2, 48. — v. 29. *Sylvanus*, deus agrestis et tutor finium. Hor. Epod. 2, 22. Od. III, 29, 23. — v. 35. Apud Hor. Od. II, 6, 10. oves dicuntur pellitae, quia oves agri Tarenti, ne sentibus et dumetis corrumperetur earum lana praestantior, pellibus velari solebant. Colum. VII. 2. Varro R. R. II, 2. Idem adhuc fieri solet in iis regionibus, ubi lana praestantior gignitur. *Doer.* — v. 42. *Filia carminis* h. e. oscen. Cf. Ecclesiastes c. XII, 4: Obsurdescent omnes filiae carminis. — v. 50. *Vocalis sanguinis*, cf. Gen. 4, 10: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de

terra. — v. 52. *Quem decora facies Rachelis*, filiae Labani nimio amore torsit, sc. Iacobum, qui etiam Israel vocabatur, unde vs. 54. binominis gener appellatur; cf. Gen. 29. — v. 53. Cf. Virg. Aen. IX, 185: an sua cuique deus fit dira cupido? — v. 60. *Bidentes* h. e. oves. Phaedr. I, 17, 8. Ex Virg. Ecl. X, 77: Ite domum saturae, venit Hesperus, ite capellae. — v. 62. *Avenam disparem*, cf. Tibull. Eleg. II, 5, 31: Semper decrescit arundinis ordo; Nam calamus cerae iungitur usque minor. Virg. Ecl. I, 2. — v. 68. *Maenalium* h. e. Arcadium, pastoritium cf. Od. II, 11, 2. — v. 81. H. e. Verbis sacris cohibere vitia. — v. 82. Carolomannus Ludovici Germanici f. rex Bavariae aliarumque provinciarum tum temporis coniunctarum. Pari sanctitate ac fortitudine clarissimus. Cuius in templo Benedictinorum Oetingae veteris sepulcrale hoc est: Anno Domini DCCCLXXX. Cal. April. Carolomannus Rex Bojoariorum obiit, Filius Ludovici Regis Orientalis Franciae, ac Nepos Ludovici Pii Imperatoris, Fundator huius Ecclesiae hic sepultus. — v. 85. Menalcas, Corydon et Thyrsis poetica pastorum nomina. — v. 87. *Celticae* esse originis dicuntur Boii. — v. 88. *Siderei horti*, Sternenau. Cf. Od. II, 20. — v. 89. *Taygetus* Libero sacer et *Amyclae*, v. II, 11, 9. — v. 91. *Pales*, dea pastorum apud Romanos, cuius Palilia festa cantantur Ovid. Fast. IV. *Pan*, pastorum sive ruris deus, Mercurii filius, maxime cultus in Arcadia. — v. 93. *Cedrinis* i. e. mansuris, perennibus; nam resina cedrina vel cedrium arcet putredine. Hor. Ep. ad Pis. 332. Plin. H. N. XIII, 12. — v. 94. *Phitagnes* nomen fictum, quo se ipsum significat poeta tanquam ovium amantem. — v. 96. *Parthenia* (i. q. virgo) saepe vel de Diana vel

de Maria usurpatur, ut hic. — v. 99. *Supremus Daphnis*, h. e. summus Pontifex. Daphnis, Mercurii et nymphae filius, pastor formosissimus. — v. 100. *Purpuream tanam* i. e. pallium Cardinalium.

Ode XLVI. v. 5. *Splendens murice* (i. q. purpura) *pagina* h. e. nomina et tituli inscripti libris vel diplomatis vel codicillis. cf. 38, 35. — v. 14. Nonnulli spretis honoribus publicis et ambitione, clam tamen vehementissime cupiunt honores et gloriam. — v. 18. Alii vel deferri calumniarique se callide patiuntur, ut maiorem inde gloriam sibi comparent. — v. 20. Observant alios h. e. sunt alii, qui (sic leg. puto pro: ut) crimina sua tegere iocis aut dolis studeant. — v. 24. Doctores et oratores sacri, nimium sui studiosi, adduci nullo pacto possunt, ut locum cedant alteri. — v. 32. *Etesiae* (ἐτησίαι ἄνεμοι) ventus placidus, qui tempus observat. — v. 34. *Naxos* insula cycladum maior ac longe fertilior, vino potissimum, in mari Aegaeo. — v. 40. *Libero* i. q. Baccho, cui sacra Naxos. — v. 45. *Claves* insigne sunt potentiae. — v. 48. *Triennia* (sc. sacra) i. q. trieterica orgia, genus Bacchanalium. Ovid. Met. IX, 641. — v. 55. Hor. Od. II, 2, 9: Latius regnes avidum domando spiritum.

Ode XLVII. v. 7. *Stylites*, v. II, 49, 9. — v. 13. *Tybris* deus amnis. — v. 18. *Adriani* (cf. 31, 10.) *moles* i. e. Mausoleum permagnum ad Tiberis ripam situm, quae nunc arx S. Angeli appellatur. *Titi* (cf. 31, 12.) sc. arcus triumphalis in foro Romano. — v. 19. *Magni* h. e. Constantini Magni triumphalis arcus prope forum Romanum. *Traiani* (cf. 31, 22, 27.) sc. columna in foro Traiani a Senatu erecta in memoriam victoriae e Dacis reportatae. — v. 29. Describitur

altitudo Pyramidis physicorum more. *Sagittam si iecero* sc. linea directa vel horizontali, ut aiunt. Umbra vero sagittae aut propter altitudinem loci terram tangere non potest, aut in pyramidis umbram aut lucem incidit. — v. 38. *Erythrus* (ruber), Persei filius et rex Erythraeae orae s. maris rubri fuisse perhibetur. — v. 45. *Thetis*, v. I, 5, 39. — v. 51. *Armati* h. e. falcati *currus*, quibus utebantur veteres. — v. 54. *Lagus* Macedonius est pater Ptolemaei I. Soteris et Magni, unus e ducibus Alexandri M. ac deinde regni Graeci in Aegypto conditor. Ptolemaeus(XII) *Dionysus* est Ptolemaei (XI) Auletae filius et frater Cleopatrae, quacum de imperio dimicavit, pessimae notae tres omnes. — v. 56. *Ingens Ptolemaeus* h. e. procul dubio Ptolemaeus Physcon, Ptol. Epiphanis filius, cui tam vastum erat abdomen (φύσκη), ut sine baculo incedere non posset. — v. 70. *Xerxes*, traiecto Hellesponto, incredibilis magnitudinis splendidissimique ornatus exercitum ex edito loco spectans dicitur lacrymasse. — v. 76. Narrant, Cleopatram, ut effusis sumptibus superaret Antonium, pretiosissimam margaritam aceto resolutam hausisse. — v. 77. *Ptolemaidos* sc. foeminae h. e. Cleopatrae. Lucan. 10, 69. Est etiam urbs Aegypti Ptolemais. — v. 79. Coptos, Abydus, Tentyra, Syene et Diospolis magna h. e. Thebe celebres urbes Aegypti superioris; Arsinoe (Alfiium h. t.) et Memphis regia (v. 90) in Aegypto media; Bubastis et Sais et Pelusium (v. 99) et Canopus (v. 111.) inferioris Aegypti urbes. — v. 85. *Memnon*, Tithoni et Aurorae filius, rex Aethiopiae, ante Troiam, cui auxilio venerat, ab Achille occisus et in campis Troianis sepultus est. Eius saxea effigies, ubi radiis solis icta est, vocalem sonum reddere credebatur. Tac.

Ann. II, 61. Est autem, ut Plin. H. N. XXXVI, 2. narrat, in Serapis templo forma colossi, quem quotidiano solis ortu contactum radiis crepare dicunt. Cf. Pausan. I, 42, 2. — v. 91. Alexander M. Macedoniae rex ad ostium Nili condidit Alexandriam urbem amplissimam a. 330 a. C. — v. 92. Ptolemaeus (II) Philadelphus, Ptolomaei I. filius, amator literarum ac munificentissimus bibliothecae Alexandrinae auctor, felicissime regnavit ab a. 284—246 a. Ch. — v. 98. *Melampus*(*Μελάμπους*), Amythaonis filius, nobilis medicus et vates, qui Proeti Argorum regis filias in insaniam versas sanavit helleboro (*μελαμποδίῳ*). — v. 102. *Sisyphus*, Aeoli et Enaretae filius rex Corinthi rapax, perfidus et crudelis. Dicitur vel a Theseo ob latrocinia et fraudes necatus, vel quod Iovis prodidisset arcana fulmine deiectus ad inferos, ingens ibi saxum in montis cacumen volvere usque relabens. *Sisyphium* igitur *saxum* est non permansurum. — v. 104. *Pharios* h. e. Aegyptios; cf. II, 50, 19.

Liber quartus.

Ode I. v. 27. *Chaldaei tyranni* h. e. Nabuchodonosoris regis Assyriorum somnium de grandi statua, cuius membra essent ex diversis fabricata metallis, interpretatur Daniel. c. II. — v. 37. *Septemvir* i. q. unus e septem S. R. I. Electoribus, h. e. Maximilianus I. — v. 49. *Cannae*, oppidum Apuliae Romanorum clade nobile. — v. 50. *Wimpfena* (Wimpina Cornelia), oppidum Sueviae (nunc Hassiae Darmstadti-

ensis) victoria Tillii gloriosa ex Georgio Friderico Marchione Badensis *Turlaci* a. 1622 reportata illustre. Unde Turlacia clades dicta est. — v. 54. *Luthera* est oppidum ad Barum montem prope Goslariam, ubi a Tillio stratus ac devictus est Christianus IV, rex Daniae a. 1626. — v. 55. *Cimbrorum* h. e. Danorum. — v. 67. *Ianus*, antiquissimus Italiae rex, praecipue cultus a Romanis, qui cum bellum decernerent, aperiebant Iani templum, nec claudebant prius, quam bellum erat finitum. — v. 68. *Rhombis* i. q. insignibus vel clipeis, vel labaris. — v. 69. *Pragensis regulus* h. e. Fridericus V. Cf. II, 3, 20. 73. — v. 73. Hercules conceptus est ex Iove et Alcmena Thebis. Eodem vero tempore conceptus erat etiam Eurystheus, iuraveratque Iupiter, eum qui prior nasceretur, alteri imperaturum. Iuno favens Eurystheo volebat impedire partum Herculis. Quare Eurystheus ut iam septimo nasceretur mense, Hercules autem decimo, effecit. Prima deinde qua natus est nocte duos angues Iuno huius immisit cunis; quos infans compressit palmis. Deinde Pallas, vel ipse Iupiter rogavit Iunonem, ut Herculem lactaret, quo fieret immortalis. Sed cum sugeret violentius, Iuno impatiens eum abiecit. Hercules, ut Iovis iusiurando satisfieret, traditus Eurystheo in servitutem duodennem singulis annis singulos ingentes labores ab hero sibi impositos feliciter absolvit, in his leonem in Nemea silva manu discerpsit inermi, hydram duodecim capitum in Lerna palude occidit, terribilem taurum ignivomum a Neptuno immissum Cretae ligavit. Praeterea *Nessum* centaurum Aetoliae Deianiram sponsam trans fluvium Evenum non fideliter ac caste portantem Hercules sagitta transfodit. —

v. 86. *Antaeus Balthicus* h. e. Gustavus Adolphus rex Suecorum; cf. II, 26, 11. 2, 18. Periit in *Lycio campo* i. e. in proelio ad Lucenam oppidum prope Lipsiam a. 1632. — v. 89. *Cacus*, Vulcani filius, famosus Italiae latro, qui Herculi in Italiam venienti boves surripuit, quos caudis retro in speluncam traxit, ne vestigiis proderentur. Sed Hercules mugitum audiens, Cacum ignivomum iniectis rupibus suffocavit. Virg. Aen. VIII, 193 sqq. *Cacus Egrae* i. e. Wallensteinius, cf. II, 13. — v. 100. *Basiliscus* genus lacertarum. — v. 159. *Finnus*, v. I, 38, 13. — v. 167. *Pomum* Imperatorum et Regum insigne (Reichsapfel). — v. 171. *Heidelberga*, olim regia Palatinatus Rhenani urbs.

Ode II. v. 16. *Rhodope*, mons altus ac nivosus Thraciae, quae sacra est Marti. De *Hebro* v. II, 19, 23. — v. 25. *Itala marmora* h. e. ex Etruria vel Tiroli apportata. — v. 26. Lege: rubet. — v. 33. *Myron*, statuarius Syracusanus optimus. *Corinthium aes* est temperatum ex variis metallis et notae pretiosioris. Cf. Muret. Var. Lect. III, 5. — v. 35. *Mentor* sculptor insignis vasorum, hic pro ipsis vasis. — v. 36. *Parrhasius* Ephesinus pictor insignis, Evenoris filius. — v. 45. *Scytham* (adj.) i. e. barbarum ac militarem *vultum*. — v. 68. *Aemus*, v. II, 3, 26. — v. 79. In fine versus dele comma.

Ode III. v. 9. Cf. Hor. Od. I, 3, 25. 26: Audax omnia perpeti Gens humana ruit per vetitum nefas: — v. 11. *Dirae* i. q. Furiae, vel Eumenides vel Erinnyes, vindices criminum; ab Ovidio nominantur tres: Tisiphone, Alecto et Megaera. — v. 18. *Sudant*, h. e. maxima contentione laborant. Cf. Lucret. V, 1128: incassum defessi sanguine sudant. — v. 21. *Cydon* s. Cydonia, antiquissimum Cretae oppidum, sagittandi

arte nobilissimum; cf. Virg. Ecl. X, 59. — v. 29. *Quam quae fortuna posset concoquere.* Cf. Pindari verba haec: εἰ δὲ δή τιν' ἄνδρα θνατὸν ὀλύμπου σκοποὶ ἐτίμασαν, ἦν Τάνταλος οὗτος. ἀλλὰ γὰρ καταπίφαι μέγαν ὄλβον οὐκ ἐδυνάσθη. V. Muret. Var. Lect. V, 15. — v. 32. *Athos* (ὁ Ἄθως) vel Athon (nis) mons praealtus Macedoniae in isthmo, quem perfodi iussit Xerxes, inter sinum Strymonicum et Singiticum. — v. 33. *Nepheleïas* i. e. Nephelae filia, cf. III, 45, 1. — v. 37. Immensus Xerxis, Darii Hystaspis filii, exercitus Echedorum fluvium Macedoniae exsiccasse fertur. Hellespontum, propterea quod coorta tempestate pontem rupisset, Xerxes flagellis caedi iussit (v. 39.). — v. 41. *Hybrida* s. hibrida appellatur, qui est naturae vel originis duplicis, ut equus Alexandri Bucephalus, cui caput erat tauri, si famae est fides. Is praeter Alexandrum sessorem admisit nullum, eique genua flexit. Ab Indis in pugna occiso rex monumenti loco Bucephalon oppidum condidit. — v. 44. *Macetum*, v. I, 39, 12. — v. 49. *Bactra* metropolis regionis Bactrianae, inter Indiam et Scythas. *Susa* urbs Susianae et sedes regum Persarum hiberna. — v. 50. *Taurus* mons Asiae altissimus, latissimeque patens. *Persepolis* s. Persaepolis urbs Persiae nobilissima. — v. 51. *Soydiana* regio Indiae inter Iaxartem et Oxum fluvios. — v. 53. *Arachosia* regio regni Persici in India. — v. 55. *Tethys*, v. III, 30, 21. — v. 58. *Cava* iunge cum *vorago* v. 60. — v. 62. *Porus*, rex Indiae. Cf. Curt. VIII, 13. sq. cf. III, 13, 62. — v. 68. *Testa* sc. sepulcralis vel sarcophagus testaceus. — v. 77. Cf. Hor. Od. III, 4, 65: Vis consili expers mole ruit sua. — v. 82. *Irus* pauperrimus Ithacensis opponi solet Croeso ditissimo regi Lydorum. — v. 94.

Pompei socer factus est C. Iul. Caesar Iuliam filiam suam ei in matrimonium collocando. — v. 95. Cn. Pompeius Magnus a Ptolemaeo Dionyso, ad quem confugerat, suadentibus Pothino (sic scrib. pro Phot.) et Achilla eunuchis, cum in navi veheretur, interfectus est. Plut. V. Pompei. c. 77.

Ode IV. v. 1. Cf. Hor. Od. IV, 1, 1: Intermissa, Venus, diu cet. — v. 6. *Veris comites* h. e. Zephyri (v. 8.), qui secum ferunt volucres ridentes in cavea hyemis fugam. Sed cf. Hor. Od. IV, 12, 1: Iam veris comites, quae mare temperant, Impellunt animae lintea Thraciae; h. e. aquilones. — v. 29. *Indigetes*, ἐγχώριοι, (Virg.), dii indigites (Liv.) sunt maiores deorum instar culti, hic vero pro Sanctis.

Ode V. v. 3. Coniunge: coronae civium sunt foecunda alvearia. — v. 6. *Daedalea* i. q. artificiosa; Daedalus enim erat architectus, ut est in fabula, nobilissimus. Cf. III, 39, 42. — v. 7. *Hybla* mons Siciliae, in quo multi flores, thyma, salices et apes. Sunt etiam tria huius nominis oppida in eadem insula. — v. 10. *Simul* pro simul ac. Cf. Hor. Od. I, 4, 17. 9, 9. et saepius. — v. 12. *Memnonis mater* i. e. Aurora; cf. III, 47, 85. — v. 33. *Corycus* promontorium et oppidum in Cilicia, optimo croco et specu Musarum nobile. Cf. Virg. Georg. IV, 125: Namque sub Oebaliae memini me turribus arcis Corycium vidisse senem et quae paulo post sequuntur. — v. 38. *Massici*, montis Campaniae, vina generosa.

Ode VI. v. 4. *Pontificum* hic sensu literali accipiendum: γεφυροποιῶν.

Ode VII. v. 3. *Lachesis*, v. II, 39, 37. — v. 20. *Nestor*, Nelei filius, rex Pyli, aetatem vixisse fertur tertiam. Unde trisecli senex Ennio dictus. — v. 25. Tri-

tum est sermone proverbium: Ein Krug geht so lange zum Brunnen, bis er bricht.— v. 27. *Mala lux sequetur.* Respicitur ad Ecclesiastis c. XII: Memento Creatoris tui in diebus iuventutis tuae — antequam tenebrescat sol et lumen et luna et stellae, et revertantur nubes post pluviam.

Ode VIII. v 3. *Atlas*, Iapeti filius, rex Mauritaniae et astronomus, quem Perseus capite Medusae in altissimum convertit montem, qui sustinet coelum, et per quem dei descendunt et ascendunt. Hunc onere aliquantulum liberavit Hercules. — v. 6. *Sidat* sc. Atlas. — v. 11. Herder: Und deckt im Kampf verborgene Schand auf.

Ode IX. v. 1. *Dryades* sunt nymphae arborum praesides. — v. 3. *Faunus*, v. II, 22, 20. — v. 4. *Isara*, v. II, 5, 19. — v. 18. *Ister* septem ostiis in Pontum Euxinum incidens in Germania ad fontem versus vocatur Danubius. — v. 22. *Philoxenus* philosophus optavit sibi collum gruis, ut voluptate ciborum frueretur diutius. Aristot. — v. 26. *Daedalo*, v. 5, 6. — v. 27. *Cornicibus* et *cervis* (v. 41.) diuturna adscribitur aetas. — v. 29—32. *Seu Rheam* cet. Cf. Hor. Carm. Saec. vs. 15.— v. 32. *Cybele* (Κυβέλη) dea Phrygia, Graecorum Rhea, Iovis mater Cretensis, Latinorum Ops, uxor Saturni, pro matre rerum omnium habebatur. — v. 38. *Literam* sc. Delta, sive triangulum. Cic. de Nat. Deor. II, 49: Ab Aristotele animadversum, grues, cum loca calidiora petentes maria transmittant, trianguli efficere formam. Cet.— v. 39. Cf. Plin. H. N. l. X, c. 23: Grues excubias habent nocturnis temporibus, lapillum pede sustinentes, qui laxatus somno et decidens indiligentiam coarguat. Caeterae dormiunt capite subter alam condito, al-

ternis pedibus insistentes. Dux erecto providet collo ac praedicit. Cic. Tuscul. III, 28. et Plin. H. N. l. VII. c. 48. — v. 50. Deucalion et *Pyrrha* eius uxor ingenti in Thessalia coorto diluvio soli superstites oraculum Themidis in Parnaso rogabant, ut genus propagaretur humanum. Responsum est, ut matris suae ossa post tergum iacerent. Igitur saxis tanquam costis terrae omnium matris post terga iactis extemplo exortum est durum hominum genus. Cf. Od. III, 12, 2. — v. 53. *Getuli*, v. III, 20, 21. — v. 55. sq. Fabulam de primo hominum genere e quercu progenito v. ap. Hesiod. Op. 45. et Stat. Theb. IV, 339. — v. 61. *Prometheus* ob furtum ignis iussu Iovis in monte Caucaso est alligatus, ubi a vulture perpetuo exeditur eius cor semper renascens. Cf. III, 30, 5. — v. 73. *Momus*, v. III, 32, 90. — v. 91. *Capiunt* i. e. explent, satiant. — v. 100. Dis i. q. Pluto, Saturni filius, frater Iovis alter, cui sorte obtigit inferorum imperium, cf. II, 21, 31. — v. 101. *Lyaeus* (a λύω) i. q. Bacchus, Hor. Od. III, 21, 16: tu sapientium Curas et arcanum iocoso Consilium retegis Lyaeo. Cf. Virg. Aen. I, 686. — v. 102. *Thyas* s. Thyias (θυάς, θυιάς) i. q. Baccha. — v. 107. *Phrygia*, quae complectitur Troadem, Mysiam, Bythiniam, partem Lydiae, Galatiam, Paphlagoniam, Ioniam, Cariam, mangonum famosa negotiationibus. Cf. Od. I, 29. — v. 110. *Catamitus* nomen Ganymedis, pincernae Iovis, latinum. — v. 131. Cf. Martialis Ep. VII, 37: Turpis ab inviso pendebat stiria naso. — v. 134. Setia oppidum Campaniae, unde vinum *Setinum* optimae notae. Cf. Iuv. Sat. V, 33, 34. — v. 135. *Cava pocula et ipsa sunt capri.* Intelligenda pocula in figuram caprorum caelata. — v. 139. *Gemmae bibuntur*, cf. III, 47, 66. — v. 141. Iunge: *La-*

conum marmor. In Laconia marmor praestantius. — v, 143. *Volitant sylva*, cf. II, 20. — v. 145. *Rex* sc. Persarum Xerxes, v. 3, 37. — v. 147. *Aeoli* cf. II, 43, 8. — v. 157. *Themis*, dea iustitiae, cf. 9, 50. — v. 158. *Nemesis* dea iustitiae ac vindictae. — v, 163. *Canis* sc. capillis. Cf. Ovid. Met. XIII, 465. VI, 26. VIII, 568: raris canis tempora sparsus.

Ode X. v. 1. *Pharos* pro Aegypto, qua in terra nunquam pluere aiunt (v. 4, 37.); cf. II, 50, 19. — v. 4. *Seque clepit* h. e. subducit vel abdit. Sic ap. Senec. trag. — v. 9. *Anubis*, v. II, 42, 26. *Tergemino Iovi*, quippe qui duos haberet fratres, Neptunum et Ditem; cf. 9, 100. — v 19. *Cancer*, signum coeleste, per quod sol transit tempore aestatis. — v. 23. *Simul* pro simul ac; cf. 5, 10. — v. 31. *Canopus*, v. II, 47, 5. — v. 32. *Ausoniae*, v. II, 10, 14. — v. 36. *Thraces*, v. I, 37, 12.

Ode XI. v. 1. *Tillius*, v. I. 42, 19. — v. 2. *Martis coniux* est Venus, adultera uxor Vulcani. — v. 13. *Hannibal*, v. II, 37, 30. cf. Hor. Od. III, 4, 69. 70: Testis mearum centimanus Gyges Sententiarum. — v. 14. *Capua* urbs Campaniae felicis, ut est apud Livium, omnium urbium Italiae secundum Romam princeps. — v. 15. *Cannae*, v. IV. 1, 49. — v. 18. *Turnus* v. II, 3, 57. *Amazonas*, v. II, 17, 9. Significatur vero hic Camilla, Volscorum regina. Cf. III, 13, 68. — v. 22. *Thuscia* sive Etruria arte haruspicina famosa; *Chaldaea* (v. 23) astronomia. Cf. II, 42, 24. — v. 27. Respicit poeta ad Virg. Aen. IV, 462: Solaque culminibus ferali carmine bubo Saepe queri et longas in fletum ducere voces. — v. 28. *Dirae*, v. 3, 11. — v. 29. *Vulnera* meton. pro instrumentis, quibus infliguntur vulnera. V. Virg. Aen. II, 529: infesto

vulnere insequitur. *Paci* coniunge cum v. *militent*, et *palmae* cum *florent*.— v. 41. *Fabius*, v. III, 13, 85. — v. 45. *Duella* opposita bello publico hoc loco sunt certamina singularia, sensu non classico. Nec *Cadmi nepotes* i. q. Cadmea seges (v. II, 28, 55.), sed Eteocles et Polynices, quorum proavus fuerat Cadmus ex Laio Oedipi patre, intelligendi. — v. 56. *Nemesi*, v. 9, 158.

Ode XII. v. 9. *Diana*, gemella Apollinis soror, semper virgo.

Ode XIII. Carmen amoebaeum. Cf. Hor. III, 9. — v. 49. *Parrhasius*, v. 2, 36.

Ode XIV. *Traianus*, v. III, 31, 22. 27. 47, 19. *Pugio* insigne erat imperatorium dependens a cervicibus ante pectus. Cf. Sueton. Galba c. 11. Cf. vs. 14. — v. 2. *Iustus Lipsius* Bruxellensis (nat. a. 1547) iuris peritus ac philologus clarissimus. — v. 14. *Licinio Surae*, qui Traiano imperatori indicatus ab aliquibus erat tanquam clandestinus eius insidiator, ille gladium porrexisse nudum narratur, Accipe, inquiens, gladium, quem pro me, si bene atque cum ratione imperavero, distringes; sin minus, eo ad interitum utere. — v. 15. Cinctus Gabinus dicebatur, cum lacinia togae extrema laevo brachio subducta in tergum reiiciebatur ac retrahebatur ad pectus atque ita in nodum colligebatur, ut togam breviorem, adstrictiorem et ad pugnandum magis expeditam redderet. Hoc autem habitu utebantur consules bellum indicturi vel vota facientes, omnesque, qui se devovebant pro patria. *Orell.* Cf. Drakenb. ad Liv. Hist. l. VIII, 9. *Gabina cum cap.* h. e. cum Gabinorum more arma cap. pro patria morti se devovens. Quare nil mutandum puto, nec scribendum

suadente Orellio *Gabino* sc. cinctu. Traianus Consul factus est Domitiano regnante a. C. 91. una cum M. Acilio Glabrione. — v. 23. *Noctu senat. citant.* sc. ad epulas. Significatur Domitianus; cf. Iuven. Sat. IV, 38. 39: spatium admirabile rhombi, h. e. immensus rhombus, piscis genus. — v. 25. *Thracia*, regio Asiae, confinis Macedoniae, quam Edoni, Bistones, Cicones, Odrysae, Getae, Scythae, Sithonii, Bisaltae, Bessi incolunt. — v. 26. *Taurica aulaea* h. e. tapetia fabricata vel acu picta in Taurica Chersoneso sive Tauris. — v. 33. *Iras tyranni cet.* Alludit Balde ad fabulam illam de Diomede, rege Thraciae, qui cum equos suos humana carne aleret, ab Hercule victus ipse suis equis in pabulum est obiectus. V. Ovid. Met. IX, 194. sqq. *Orell.* — v. 41. Cf. Ovid. Met. I, 190: immedicabile vulnus Ense recidendum, ne pars sincera trahatur. — v. 50. *Tanais* (Don), flumen inter Asiam et Europam grande, ex Riphaeis ortum montibus incidit in pontum Euxinum. *Padus*, olim Eridanus, fluvius Italiae maximus, in mare Adriaticum incidens. Cf. Hor. Od. II, 2, 9—11: Latius regnes avidum domando Spiritum, quam si Libyam remotis Gadibus iungas. — v, 51. *Gades*, v. III, 20, 23. *Dedecorum proci* h. e. laudatores quasique amatores. — v. 61. *Pellaeus* h. e. Alexander; cf. Od. I. 1, 46. Alluditur ad necem Cliti. — v. 69. *Halyatticis* i. q. barbaris. Alyattes (g. is et ei) erat rex Lydiae, Croesi pater. Cf. Hor. Od. III, 15, 41. — v. 75. In conchis nasci ex pluviae vel roris gutta decidentis margaritas, notissima fabula est. — v. 86. *Molli lupato* fortius attrahit. *Ὀξύμωρον.* — v. 90. *Tagus*, fluvius Hispaniae auriger. cf. I, 13, 27. — v. 91. Pharon, v. 10, 1.

Ode XV. Duntenhusa (Duntenhausen) oppidulum Bavariae superioris b. Virgini sacrum crebrisque peregrinationibus celebre. Situm est Eberspergam inter et Rosenhemium. — v. 3. *Facioque* sc. sacra, ut Gr. ῥέζειν, sacrificare.

Ode XVI. v. 9. *Charon*, v. II, 8, 40. *Hamum* (sic Edd. oo.) accipe de obelo Charontis vel naulo. Orellius dedit *ramum* (sine auctoritate) sc. Proserpinae deferendum munus. Cf. Virg Aen. VI, 135 sqq. — v. 15. *Morus*, v. I, 3. — v. 37. *Camerarius*. Intelligitur Ludovicus Camerarius Iurisconsultus Norimbergensis, Cancellarius et a secretis Frederici V. Electoris Palatini, et Gustavi Adolphi ad Batavos legatus. Isto significantur nomine perturbationes religionis; civiles vero Nicolai Macchiavelli (v. 40), literatissimi Thusciae hominis ac rationis civilis peritissimi, sed rerum novarum studiosi et doctrina liberiore. Natus est Florentiae a. 1467. — v. 45. *Achitophel*, Davidi a consiliis, Absaloni adversus patrem coniuranti ac rebelli impiissimum dedit consilium. II. Reg. 16, 21. — v. 51. sqq. Cf. Cic. de Off. II, 12: Vera gloria radices agit atque etiam propagatur; ficta omnia celeriter tanquam flosculi decidunt nec simulatum quidquam potest esse diuturnum.

Ode XVII. v. 14. *Diris*, v. IV. 3. 11. *Thessalica ratis*, cf. III, 14. — v. 17. *Hispatis* Iberorum oppidum, hic pro Hispanis vel Hispania nova. — v. 35. *Aeoli*, v. II, 43, 8. — v. 36. *Mexicum* amplissima Indiae occid. urbs ac metropolis.

Ode XVIII. v. 9. H. e. Sollicitudinem ac operam, quam impensurus novo eras orbi, Germania sibi poscit patria. — v. 13. *Insulae Philippinae*, regnante in Hispania Philippo II. inventae, versus orientem Asiae inter Chinam et Moluccas sitae sunt. —

v. 15. *Aeacides* i. e. Aeaci nepos, Achilles, Pelei filius. Huius mater Thetis oraculo docta, Achillem iuvenem moriturum in bello, ne ad bellum Troianum proficisceretur, foemineis indutum vestibus inter Lycamedis regis filias occultavit in Scyro, insula maris Aegaei prope Euboeam. Latentem dolo detexit atque extraxit Ulysses, rex Ithacae insulae, institoris forma. — v. 21. Decimus Magnus *Ausonius*, poeta heroicus, praeceptor erat Gratiani Imperatoris. Natus est Burdegalis in Gallia a. 309. p. C. — v. 22. *Arsenius* Senator Romanus e nobili genere ortus, filiorum Theodosii M. educator praeceptorque. — v. 26. *Novem* sc. Musae. — v. 27. *Caducifer Ales* i. e. Mercurius, cf. II, 13, 2. 7.

Ode XIX. v. 6. *Nemesis*, v. 9, 158. — v. 10. *Anserum* iecur in deliciis erat mensae Romanae. — v. 11. *Guttata Phasis*, sc. avis; v. I, 1, 7. — v. ult. C. *Marius*, septies Consul, Cimbrorum victor, homo ambitiosissimus crudelissimusque adversariorum vindex Sullanorum, Romae, quod adventanti Sullae non posset resistere, dolore confectus obiit a. 85. a. C., postquam aliquamdiu noctu a larva exagitatus est increpante, Terribile absentis etiam esse cubile leonis.

Ode XX. v. 5. *India* pro oriente, et v. 6. *Tartessiacis fluctibus* pro Oceano occidentem solem spectante. *Tartessus* enim celeberrimum Hispaniae est oppidum maritimum. — v. 9. *Hesperi*, v. III, 4, 33. — v. 20. *Tiresias*, v. III, 39, 16. — v. 32. Cf. Hor. Od. III, 30, 7: pars multa mei vitabit Libitinam. — v. 33. *Atropos*, v. II, 39, 37. — v. 37. *Carcere*. Animae esse carcerem corpus dixerunt Pythagoras et Plato.

Ode XXI. v. 1. Porta Orci altera *adamantina*,

per quam intrant umbrae, altera eburnea; cf. II, 8, ult. — v. 3. *Orpheus* v. Epod. 12, 41.

Ode XXII. v. 1. *Cythera*, v. I, 7, 25. — v. 3. *Argolicum mare* h. e. Aegaeum. — v. 5. *Aphrodisia* (τὰ Ἀφροδίσια) sunt festa Veneris, hic pro Ἀφρογένεια (ἡ) vel Ἀφρογενής (i. e. spuma prognata) vel Aphrodite, cognomen Veneris. — v. 9. *Venetum mare* h. e. Adriaticum — v. 12. *Dira Cypri*, vs. 48. — v. 10. *Priamides* i. e. Paris, filius Priami. *Lacaenis* pro Laconibus; a scriptoribus aetatis aureae Lacaena solummodo gen. fem. usurpatur. — v. 12. *Leandrum iuvenem*, ut viseret Hero amicam, Abydo frequenter Sestum tranasse Hellespontum, donec in fluctibus periret, narrat Ovidius. — v. 15. *Europa*, v. I, 2, 27. — v. 18. *Nereidas*, v. II, 37, 18. — v. 19. *Tritone*, v. II, 17, 30. *Doris*, v. III, 11, 9. — v. 21. *Naiades*, v. II, 7, 8. *Tridens*, v. III, 14, 1. — v. 22. *Pistrix* s. pistris, monstri genus marini. — v. 23. *Sirenes*, Acheloi fluvii filiae, cum Musis ausae certare cantu, in monstra conversae sunt vultu virgineo, reliquo vero corpore primum avium, deinde, postquam se in mare praecipitavere, piscium. In mari Ionio prope Siciliam dicuntur praeternavigantes dulcissimo cantu mulcere, obtemperantes vero lacerare. — v. 28. *Mulciber* (h. e. qui mulcet ferrum) cognomen Vulcani. Eius uxor Venus. — v. 35. *Dione*, Oceani et Tethyos filia, mater Veneris. — v. 38. *Pimpla* est mons, oppidulum, et fons Pieriae Musis sacer. — v. 40. *Baiae*, amoenissimum oppidum Campaniae maritimum cum thermis salubribus. — v. 42. *Acis*, Fauni et Symaethidis filius, Galateam nympham amavit; sed a Polyphemo rivali obrutus saxo, a nympha mutatus est in fluvium. Ovid. Met. XIII, 750. sqq. — v. 43. *Byblis*, v. II, 28, 10. —

v. 44. *Narcissus*, Cephisi et Liriopes filius, adolescens formosissimus, ad fontem sedens cum forte in aqua imaginem vidisset suam, sui ipsius amore exarsit, quo lente contabescens periit et in florem est conversus. Ovid. Met. III, 346 sqq. — v. 46. *Alpheus*, fluvius Elidis in Peloponneso, dicitur amasse Arethusam nympham, eaque mutata in fontem Siciliae, occulte sub terra et mari illuc profluxisse, et cum Arethusa mixtus in mare Siculum cadere credebatur. Cf. Ovid. Met. v. 487 sqq. — v. 48. *Paphos*, oppidum Cypri Veneri sacrum, unde appellatur Paphia. — v. 54. *Thetis*, v. II, 38, 18. 19. — v. 57. *Charybdis et Scylla*, v. II, 32, 11. — v. ult. cf. Proverb. Salom. 30, 15, 16.

Ode XXIII. v. 12. *Rubentis terrae*; Adam Hebraeorum lingua significat terram rubram. — v. 18. *Esuritor*, i. q. avidus, cupidus (propr. Hungerleider). Mart. III, 14, 1. — v. 27. *Eryx*, Rex Siciliae robustissimus, ab Hercule victus ac necatus in monte sui nominis est sepultus; in quo celeberrimum Veneris templum. *Amathus*, urbs Cypri, metallis abundans, Veneri sacra. — v. 28. *Ida*, mons Troadis in Phrygia, fontibus scatens, sacer Cybelae; aut Cretae Iovi sacer. Ex illo raptus Ganymedes est. — v. 31. *Acontius* in Delon insulam profectus ad sacra Dianae, amore captus Cydippes, qua ut potiretur, usus est hac fraude, Scriptis in pomo his versibus, Iuro tibi sane per mystica sacra Dianae, Me tibi venturam comitem, sponsamque futuram, pomum ante pedes puellae proiecit. Quae lecta ac temere a Cydippa coram ara pronunciata fas erant servari. V. Ovid. Heroid. 20. — v. 35. *Dryades*, v. 9, 1. — v. 36. *Faunus*, v. II, 22, 20. *Napaeae*, v. II, 22, 23. — v. 37.

Erycina i. e. Venus in Eryce monte culta, cf. V. 27. — v. 41. *Clio*, v. III, 29, 8. — v. 45. *Pyramus*, iuvenis Babylonius, Thisben amabat puellam domo vicinam. Sed a parentibus uterque sollicitis caute custoditi clam ad certam extra moenia morum decreverunt convenire. Prior aderat Thisbe ut foemina, sed adveniente forte leone relicta fugit veste, qua iste lacerata discessit. Paulo vero post allapsus Pyramus ut vestem conspicit lacerám, discerptam a fera existimans Thisben, suo se gladio perimit. Non ita multo post reversa Thisbe cum palpitantem adhuc reperisset Pyramum e vulnere tractum ferrum suo pectore condit. Ovid. Met. IV, 55. sqq. — v. 47. *Myrrha*, filia Cinyrae, patri carior iusto conversa est in myrrham arborem. Ovid. Met. X, 310 sqq. — v. 49. *Hyacinthus* iuvenis formosus Spartae ortus, amatus ab Apolline, disco a terra repercusso ictus periit atque in florem est mutatus. Ovid. Met. X, 162. sqq. *Adonis*, v. III, 35, 57. — v. 52. *Naias*, a Neptuno donati. v. 22, 21.

Ode XXIV. v. 2. *Arionis*, equi sui velocitate Adrastus, Talai et Lysimachae filius, unus e septem heroibus Thebas aggressis incolumis evasit. Cf. Hom. Il. II, 572. XXIII, 346. — v. 3. *Aethon*, v. I, 5, 32. — v. 5. *Cyllarus*, equus Castoris et Pollucis, Xanthus Achillis, ci redditus a Iunone. — v. 15. *Argaeus* mons Cappadociae altissimus, pascuis equorum nobilis. cf. Claud. in Rufin. II, 30. — v. 16. *Hebri*, v. II, 19, 23. — v. 20. *Pholoe*, mons Arcadiae silvosus, quo venerunt Centauri ex Thessalia depulsi. — v. 23. *Pilentum* vehiculi genus, quo vehebantur matronae, duabus libratum rotis. Orell. — v. 29. Cf. Iob. XXXIX, 19—25. — v. 35. *Clangorque cet.* Orellius de tintinnabulis collo

appensis accipit. — v. 48. *Remora*, antiquioris verbum Latinitatis Plauto tantum et Lucilio usurpatum, i. q. retardatio. — v. 54. *Ex stabulo — micans.* Haec verba tanquam parenthesin uncis includenda esse recte putat Orellius. Nam praecedens *tyrannis* cohaeret cum sequentibus *Decioque dicit* cet. — v. 56. *Decius* et *Maximinus* imperatores Romani, crudelissimi Christianoque nomini inimicissimi. — v. 58. *Ditis*, v. 9, 100. *Alastor* et *Orpheus* equi Plutonis. Cf. Claudian. de Rapt. Proserp. I, 282. — v. 62. *Scribitque gyros*, h. e. circulos breviores. Cf. Senec. Hippol. Act. I, 313: Ille nocturnas agitare bigas Discit et gyro breviore flecti. — v. 63. *Elea palma* s. corona i. q. Olympica; nam Olympia (sc. certamina) celebrabantur in Elide Peloponnesi regione, ad eiusdem nominis urbem. — v. 64. *Hippomedon*, *ἱππομέδων*, i. e. dominator et princeps equorum, nomen a poeta fictum.

Ode XXV. 2. *Mercuriales* sunt viri docti et poetae, quorum Mercurius patronus. Cf. Hor. Od. II, 17, 29: Mercurialium custos virorum (Faunus). — v. 4. *Cervix* pro homine, ut apud Ovid. captiva cervix pro captivo; et Iuven. locata c. pro baiula. — v. 5. *Cybele* pro natura, cf. 9, 32. quasi omnium rerum mater. II, 3, 62. — v. 10. *Canis* sc. capillis. — v. 17. *Claudia* sc. eius mater e gente Medicea Florentiae. — v. 24. *Leopoldus* Rom. Imperator, Ferd. pater. — v. 38. *Ascanius*, Aeneae et Creusae filius. — v. 39. *Sic itur ad astra etc.* Ex Virg. Aen. IX, 641 sqq.

Ode XXVI. v. 6. *Iovis satelles* i. e. aquila. — v. 9. Illius nobile pabulum est labor. — v. 15. *Lustrali sulphure*; Veteres in lustrationibus utebantur sulphure. cf. Hom. Od. XXII, 481. *Οἶσε θέειον, γρηῦ, κακῶν ἄκος, οἶσε δέ μοι πῦρ, Ὄφρα θεειώσω μέγαρον.* Cf.

Od. IV, 2, 5.— v. 27. *Arcus tota* cet. ex Pind. Olymp. IX, 8—12.

Ode XXVII. v. 1. *Orsa* i. q. initia. Liv. — v. 9. *Hermon* mons Palaestinae superioris Antilibano contiguus. *Sabamaea prata*, sc. oppidi Sebam vel Sibmae in tribu Rubenis, consita vitibus. Cf. Ies. 16, 8. 9. — v. 10. *Engaddi*, oppidum in tribu Iudae non procul a fine maris mortui inferiore situm, fertilitate palmarum insigne. Cf. Salom. Cant. I, 14. — *Balhamon*, e Salom. cant. VIII, 11. petitum nec lactum alibi. Verisimiliter est Syriae oppidum, Heliopolis, cuius amplae exstant ruinae. — v. 11. *Carmel* est mons Palaestinae fertilissimus atque amoenissimus ad mare mediterraneum situs, ubi latuit Elias propheta. — v. 14. *Libanitis* sc. cedrus. — v. 17. *Terebinthus* (hebr. elah), Pistacia Terebinthus (Lin.), arbor praealta semperque virens ac longaeva, in Palaestina frequentissima. — v. 21. *Phogor* mons terrae Moabiticae. Mos. IV, 23, 28. — v. 22. *Cadanae.* Cades vel Cades Barnea est vicus deserti Idumaeam inter et Aegyptum. — v. 23. *Amana* est pars Libani montis. Sal. Cant. 4, 8. — v. 25. *Iordanis* fluvii in ripa altera posita erat Hesebon, urbs Amoritarum antea, post Israelitarum. — v. 39. De rubo ardente v. Mosis l. II, c. 3. et de scala coeli (v. 41) Gen. c. 28. — v. 45. *Cynosura* (κυνοσουρά canis cauda) est semptemtrionale sidus, Ursa minor, secundum quod Tyrii et Sidonii nautae suum iter dirigere solebant. — v. 48. *Nobilis Eos* sc. dici mavis. — v. 49. *Captivi* sc. in arca Noae. — v. 54. *Saniri* h. e. Hermonis montis; cf. Pentat. V, 3, 9. et Salom. Cant. 4, 8. — v. 86. sqq. *Niveis liliis* h. e. castitate virgineus excellit *venter* fructu plenus divino.

Ode XXVIII. v. 3. *Molesque i. m.* Cf. Hor. III, 4, 65: Vis consili expers mole ruit sua. — v. 8. *Peliacae valles* i. q. Pharsaliae ad Pelion (*Πήλιον*) montem Thessaliae altum, pinis et quercubus consitum. — v. 17. *Altera Catonis uxor* erat Marcia, M. Philippi filia, postquam priorem Atiliam Sorani filiam abegit. — v. 18. *Marmaricas arenas.* Marmarica est regio Africae, nunc Barkan; unde Marmaricus etiam pro: Africanus. Respicit poeta ad Lucani Phars. IX, 366 sqq. — v. 20. Cato eiusque uxor ipsi mortem sibi consciscere maluerunt, quam hostium videre triumphum. — v. 26. *Thracibus* ac *Dacis*, cf. III, 31, 27. IV, 14, 25.— v. 27. *Crassus*, cf. II, 37, 29.— v. 28. Carrhae, s. Carrae in literis sacris vocatur Haran, civitas Mesopotamiae, Crassiana clade, in qua viginti Romanorum millia et M. Licinius Crassus Dives a Parthis caesi sunt, nobilitata. Cf. Lucan. Phars. I, 104: miserando funere Crassus Assyrias Latio maculavit sanguine Carrhas. Herder: Der Streit zwischen Pompejus und Cäsar kann wohl für den, der in unsrer Geschichte zwischen den zwei grössesten Männern über die grösseste Sache geführt ward, gelten. Die Ode, obwohl ohne Vorbereitung geschrieben, ist in einem grossen Sinne gedacht. Jenen beiden steht Cato entgegen, ein grösserer Weltüberwinder.

Ode XXIX. Cf. III, 12. 16. 23. 39.— v. 13. *Birrus*, *Virnia* (sic), *Bascaudus*, et *Riverna*, Stoici; cf. I, 30, 35. II, 10, 37. IV, 37, 38. quibus adde Wernerum Nusium II, 34. Marcum Labienum IV, 30. Christoph. Immolam IV, 31.— v. 15. *Thraseae*, v. II, 43, 39. III, 31, 44.— v. 16. De *Helvidii* Prisci moribus et ingenio v. Tac. Hist. IV, 5. — v. 51. *Cochleolas*

Phrygis, v. III, 39, 9. — v. 53. *Corduba*. v. I, 33, 14. — v. 54. *Zenonis*, v. III, 12, 1. 16, 25.

Ode XXX. v. 4. *Umbra iuventae* i. q. lanugo. Cf. Stat. Theb. IV, 336: Dum roseis venit umbra genis. Orell. — v. 29. cf. Hor. Od. II, 10, 1—4. — v. 58. Nereus, v. II, 38, 18. — v. 67. *Sinistri pollicis unguem*. Inversus sc. pollex apud Romanos denegati favoris et adversi animi signum. Cf. seq. Od. 13—14. et Iuvenal. Sat III, 37. *Orell.*

Ode XXXI. v. 14. *Suburra*, vicus Romae, ubi forum venalium, et habitatio meretricum. H. l. in gen. de vili popello, faece vulgi. Orell. Premere pollicem favoris indicium; contrarium, vertere; cf. 30, 67. Plin. Hist. N. XXVIII, 2.

Ode XXXVI. v. 2. *Immani Latiae Urbis templo* h. e. S. Petri Romae. — v. 12. *Entheus* (ἔνθεος) i. e. divino spiritu vel numine afflatus. Mart. — v. 13. Oetingae, v. III, 41, 6. — v. 15. Helvetarum Eremus h. e. Einsiedeln in pago Suitensi, celeberrimum Benedictinorum monasterium B. Virgini dicatum. — v. 17. *Cedarena pellis*. Cf. Salom. Cant. I, 5. — v. 31. *Mihi ridet iste angulus*, ex Hor. Od. II, 6, 14.

Ode XXXV. v. 1. *Patilia* sc. festa, v. Od. III, 45, 91. et Ovid. Fast. IV. — v. 12. *Terrificant classico* sc. impetu aestuque, quo in mare influunt. *Orell.* — v. 13. *Altricis infans uberibus lupae pastus* h. e. Romulus, Rheae Sylviae filius, expulsum ab Amulio fratre Numitorem regem Latii regno restituit. Quum novae urbis muros et fossam duceret, ludibrio transsilientem Remum fratrem hasta transfodit (v. 15). — v. 20—21. *Consul ante boves*, Cf. II, 45, 15. — v. 22. *Falisci* populus Etruriae. — v. 23. *Fidenae*, et Gabii oppida Latii. — v. 25. De *Pyrrho et Fabricio* v. II,

47, 34. — v. 31. *Veiente.* Veii vel Veientes civitas Etruriae. M. Furius Camillus captis Veiis curru equis albis iuncto triumphans urbem ingreditur. Liv. V, 21. — v. 33. *Alba* (Longa) urbs Latii regia. — v. 36. *Curibus.*, Cures Sabinorum oppidum, patria Numae Pompilii, qui teste Virgilio Aen. VI, 812: Curibus parvis et paupere terra Missus in imperium magnum. Cf. I, 2, 3 — 4. — v. 37. *Sabaeas*, v. II, 1, 26. — v. 40. *Si modico cet.* Duxeris refertur cum ad tecta tum ad vitam, at diverso sensu. Ducere tecta, muros, est exstruere, erigere; Ducere vitam i. q. degere. Cet. in his et seq. poeta Horatii vestigia premit III. Od. VI. *Orell.*

Ode XXXVI. v. 1. Cf. Iuv. Sat. I, 1: Semper ego auditor tantum? — v. 7. *Graeculus*, h. e. Icarus, effugiens Cretam et Minois Labyrinthum.

Ode XXXVII. v. 1. *Byzas* (*Βύζας*) Poseidonis et Ceroessae filius, Byzantii conditor. Coniunge: hoc mare habitavit. — v. 4. *Memnonius* i. q. orientalis. cf. 5, 12. — v. 6. *Liburnica* (sc. navis) genus naviculi. cf. Hor. Epod. I, 1. — v. 20. *Palaeologus* hic est Andronicus II, qui unionem diremit ecclesiasticam. — v. 25. *Getonos*, v. I, 37, 12. — v. 27. *Tethys* pro mari; cf. III, 30, 21. — v. 29. Crimina pro signa criminum, sc. capta arma, insignia, similia. — v. 35. *Dragoses*, v. Drages, cuius pater Zarcos vocatur, princeps ad Rhodopen montem, irruentibus Muradi ducibus parum restitit atque ita Macedoniam patefecit.

Ode XXXVIII. v. 3. *Niobe*, v. III, 34, 37. — v. 16. *Thraciae*, v. IV, 14. 25. — v. 19. *Getula*, v. III, 20, 21. — v. 44. *Galbana vestis* (Iuv. II, 97.) est viridis et flavi coloris, mulierum, ac mollis. — v. 51.

Mufftius h. e. summus apud Turcas pontifex sive popa. — v. 52. *Bistonios*, v. I, 37, 12. — v. 58. *Pelusiacis*, v. III, 47, 79. — v. 68. *Salii*, v. III, 1, 112. — v. 70. *Berecynthiae deae*, h. e. Cybeles, a monte Berecyntho, in quo templum Cybeles erat celebre. — v. 93. *Sinon*, v. I, 8, 36. — v. 97. *Phinees*, v. Mosis lib. V. c. 25, v. 6. sqq.

Ode XXXIX. v. 4. *Flavius*, sc. Marc. Flav. Valer. Constantinus, v. 37, 3. — v. 23. *Getonorum*, v. I, 37, 12. — v. 24. *Dardanius* i. q. Romanus, quod a Dardanis s. Troianis originem suam duxerunt Romani. — v. 29. *Rhodon* et *Cyprum*, v. I, 11, 2. III, 35. — v. 30. *Bosporus* sc. Thracius. — v. 33. *Propontis*, mare inter Hellespontum et Euxinum, hodie mare marmoreum. — v. 40. *Geticus*, v. I, 37, 12. *Sybarita* pro homine molli. — v. 51. *Argo*, v. I, 5, 15. III, 14.

Ode XL. v. 2. cf. Hor. Od. I, 1, 2. — v. 9. *Depectit mobiles radios* h. e. chordas pectine pulsat. Virg. Aen. VI, 647. — v. 14. *Aonius*, v. I, 25, 2. — v. 17. *Auritum nemus*; cf. Hor. Od. I, 12, 11: auritas fidibus canoris ducere quercus. — v. 19. cf. Hor. I, 19, 1: Mater saeva Cupidinum. — v. 20. *Pieridum*, v. I, 43, 7.

Ode XLI. v. 14. *Adolphus*. v. II, 26, 11. — v. 16. *Nubigenas amneis*, Διιπετεῖς ποταμοί. Hom. Ita Stat. Theb. I, 365. — v. 19. Belgarum insigne est Leo. — v. 22. *Cattigenae*, v. Od. I, 25, 42.

Ode XLII. v. 5. *Zoilos*, v. III, 32, 15. — v. 6. cf. Catull. 22, 21: non videmus manticae, quod in tergo est h. e. vitia nostra. Et Pers. 4, 34: praecedenti spectatur mantica tergo, i. e. vitia aliena. — v. 9. *Dardanos*, v. 39, 24. — v. 10. *Momus*, v. III, 32, 90. — v. 19. *Harpyiae*, monstra vultu virgineo, uncis et alis instructa, *Phinei*, regis Arcadiae divitis atque avari,

mensam cibosque foedare solebant aut diripere, parricidii filiorum ultrices. Cf. Virg. Aen. III, 211. — v. 21. *Talium Censorum fieri.* Cf. Od. II, 31, 30. — v. 25. *Epidaurius* serpens i. e. Aesculapius, deus medicorum, qui Epidauri Peloponnesi praecipue colebatur, unde a Romanis tempore pestis advectus est Romam forma serpentis. Cf. Ovid. Met. XV, 640. — v. 38. *Nasica.* P. Cornelius Scipio Nasica Serapion cum D. Iunio Bruto Consul erat a. 136 a. C., adversarius Tib. Gracchi, quem in Capitolio iussit occidi. Cf. Cic. pro Milone c. 30. Od. III, 16, 7. — *Numa Pompilius*, v. 35, 33. — v. 53. *Antonius*, v. II, 25, 4. 10. 14. — v. 52. *Pinnirapus* h. e. qui pinnum galeae prendere vel rapere studet gladiatorum more. Iuvenal. 3, 158. — v. 68. *Fulvia* est M. Fulvii Bambalionis filia, primum P. Clodii, deinde C. Curionis, denique M. Antonii uxor, inimicissima Ciceroni. Cf. III, 13, 76.

Ode XLIII. v. 2. *Sarmatae*, v. II, 27, 24. — v. 3. 4. *Summo tholo*, v. 45, 25. — v. 5. *Poloni* gentis eiusdem. — v. 8. *Pannones* i. q. Ungari. — v. 9. *Dalmatia*, regio Illyrii inter alpes Noricas, m. Adriaticum et Macedoniam. — v. 20. *Aemi*, v. II, 3, 29. — v. 22. *Tanais*, v. IV, 14, 50. — v. 23. *Orontes* fluvius Syriae. — v. 26. *Heu nimis;* ita scripsi pro: haud parum, quod minus est Latinum. Cf. Epod. 4, 57. — v. 45. *Bistones*, v. I, 37, 12.

Ode XLV. v. 1. *Amystidem ducere* (ἀμυστὶ πίνειν) h. e. avidius uno haustu bibere et poculum exhaurire Thracum more. Amystis enim Hesychio interprete est συνεχὴς πόσις. Cf. Hor. Od. I, 36, 14. — v. 5. et 9. cf. 9, 55. — v. 6. *Scinis* vel Sinis famosus Corinthiae regionis latro, qui hospites curvatis arboribus alligans discerpere solebat. A Theseo vi-

ctus atque artificio est necatus eodem. — v. 7. *Sciron* latro Atticae prope Megaras, qui solebat hospites cogere, ut sibi in scopulo maritimo sedenti pedes lavarent, atque inter lavandum eos in mare proculcare. A Theseo interfecti cadaver in mare deiectum mutatum est in scopulos. — v. 10. Pro Epimethea scribendum coniecit Orellius: *Epimethida* i. e. Pyrrham, quae uxor Deucalionis, filia autem erat Epimethei. Accusativum Epimethida Ovidius quoque habet Met. I, 390. — v. 17. *Genus durum*, cf. Ovid. Met. I, 414. — v. 21. *Quanquam-ranas*. H. e. quamvis illi minere vel minatus fueris nigras ranas. Respicit sc. poeta Iuvenalis locum Sat. II, 149: Esse aliquos Manes, et subterranea regna, Et contum, et Stygias ranas in gurgite nigras Nec pueri credunt, nisi qui nondum aere lavantur. *Orell.* — v. 23. *Pachynus* (*Πάχυνος, ἡ*) vel Pachynum promontorium Siciliae Graeciam spectans, nunc *Capo Passaro*. — v. 24. *Caledonia* i. q. Scotia, quae est pars Britanniae, cf. Tac. Agric. 10. 11. — v. 25. *Avito tholo*. Tholi Romanis dicebantur erectiores testudines templis vel aliis aedificiis addi solitae, in quibus deorum dearumque imagines ponebantur. Cf. 44, 3. 4. Vid. Sulzer Theorie d. sch. K. v. Giebel. Giebelfeld. *Orell.* — v. 33. *Paenula foetens eodem stillat ab ulcere*. Cf. Mart. X,56, 5: (de pituita) multo stillaret paenula nimbo. — v. 42. *Typhoeus*, (g. ei v. eos) vel Typhon, unus gigantum, vertice coelum tangebat. — v. 43. *Odrysias* i. q. Thracias pro immanibus. — v. 46. *Turnus*. Henricus Matthias Comes de Thurn, auctor praecipuus turbarum Pragensium, quae funestissimo illi bello 30 annorum ansam dederunt. Cf. II, 3, 57. *Bethlen Gabor*, princeps Transylvaniae, maximos eo

tempore in Hungaria circaque motus excitavit, Imperii Germanici partem orientalem infestans. *Orell. Iazyges* populus Scythiae vel Transylvaniae. — v. 49. *Mansfeld*, Ernestus de Mansfeld, frater Caroli Principis de Mansfeld naturalis, fortissimus vir et Domus Austriacae acerbissimus adversarius, multis proeliis insignis. Obiit a. 1626. quadragesimo vitae. — v. 50. *Walesteinius*, v. II, 13. — v. 52. *Duplex Suecus*, cf. III, 6, 21. — v. 53. *Balthis*, v. II, 26, 13. — v. 58. *Hecateide in herba*: h. e. medicamine venefico (qualia sunt aconitum et cicuta). Nam Hecate invocabatur a veneficis; cf. Ovid Met. VI, 139. — v. 65. *Parelia* h. e. soles duplices, quos vocamus Nebensonnen. Cf. Cic. de Rep. I. Senec. Quaest. Nat. I, 11. — v. 71. *Grando diversi coloris*. Intelligit poeta duplicem grandinem cum pluviae congelatae, tum glandium iactarum e tormentis bellicis. *Orell.* — v. 73. *Rudentum incocta cano vincula sulphure* h. e. pyroboli sulphurati, Pechkränze. *Orell.* — v. 75. sq. *Cocytus*, *Acheron*, *Styx* et *Phlegethon* (φλεγέθων) sunt quatuor flumina apud inferos, quorum ultimus igneas volvit undas.

Ode XLVI. v. 3. S. Bernardum aliquando coelesti gratiarum quasi lacte a Matre divina esse refectum, nota est historia. — v. 65. *Guilielmus* sc. Aquitaniae dux. — v. 10. *Tyrrhenum* (Etruscum) sal i. q. mare inferum. — v. 33. *Culeo* plectebantur apud Romanos parricidae. — v. 39—40. *Marpesus* est mons marmoreus in Paro insula. Cf. Virg. Aen. VI, 471. — v. 45. *Thais*, famosa in Aegypto meretrix, a s. Paphnutio ad poenitentiam conversa severissimam. Vixit medio saeculo quarto.

Ode XLVII. v. 1. *Noemus* i. q. Noe vel Noachus. — v. 7. In *Hymetto* monte Atticae prope Athenas

caedebatur marmor praestantius. — v. 8. *Scopas*, insignis sculptor in marmore, artifex Mausolei. — v. 9. *Eburnum* appellat poeta Mentorem sculptorem vel caelatorem in argento, quoniam in ebore eum sculpsisse existimavit. Cf. Plin. Hist, N. XXXIII, 12. XXXV, 5. — v. 13. *Sabaeo*, v. II, 1, 26. — v. 26. *Palpo*. Palpus i. e. fucus, blanditiae. Vocabulum Plautinum, qualia noster valde amat. Orell. — v. 30. *Bracteas* pro re levi vel inani fuco. — v. 37. *Laureatas literas*, h. e. cum victoriae nunciis. — v. 38. *Sparte relicta*. Videtur Balde ante oculos habuisse locum Ovidii Heroid. Epist. I, 67: Misimus et Sparten, Sparte quoque nescia veri. Orell.

Ode XLVIII. v. 7. *Remos lentabimus*, i. e. ducemus. Remi enim, dum impelluntur, in aqua videntur curvari. Cf. Virg. Aen. III, 384. — v. 9. *Mergi* et *fulices* pluviam et procellas praesagiunt. Cic. de Divin. I. 8. — v. 17. Orion, v. III, 1, 94. — v. 19. *Gladio findat*, ut III, 1, 96: rutilique flammas educit ensis (sc. Orion). — v. 25. *Parvique* sc. solis faber.

Ode XLIX. v. 6. *In mare Creticum*: epitheton ornans, pro quovis mari; cf. quem imitatus est poeta Hor. Od. I, 26, 1: Musis amicus tristitiam et metus Tradam protervis in mare Creticum Portare ventis. — v. 10. *Tres fabulosae anus* h. e. Parcae, v. II, 39, 37.

Liber Epodon.

Ode I. v. 7, *Thraces*, v. I, 37, 12. IV, 14, 25. *Bosporus*, sc. sinus maris Thracius. — v. 20. *Geloni*, v. I, 37, 12. — v. 23. *Pindus et Othrys* etc. cf. III, 19, 8. IV, 38, 8. 3, 32. — v. 25. *Helicon*, v. I, 25, 2. — v. 27. *Orpheus*, v. Epod. 12, 41. — v. 29. *Eurotas* fluvius prope Spartam ex Maenalo monte lapsus *Alphaeo* se iungit, iterumque secedit, sacer Apollini, consitus lauris et oleis. Cf. IV, 22, 26. — v. 30. *Peneus* fluvius Ossam inter et Othrym fluit, iuxta quem Daphne in laurum mutata. — v. 31. *Inachi filia* i. e. Io (v. Isis) quae ab Iove conversa in vaccam, eoque in furorem acta totum pervagata est orbem terrarum. Cf. II, 39, 54. — v. 33. *Achelous* fluvius e Pindo vel Taphiaso labens tangit Aetoliam, transit Epirum et Acarnanes. Hic in taurum se vertens cum Hercule certavit pro obtinenda Deianira sponsa. Sed Hercules ei alterum evulsit cornu. — v. 34. *Concano*, v. I, 40, 14. — v. 35. *Lemnos* cet. insulae maris Aegaei, *Rhodos* vero Carpathii, *Cyprus* prope Syriam. — v. 38. *Chalcedon*, urbs Bithyniae exadversus Byzantium. — v. 44. *Tithonus*, coniux Aurorae. — v. 45. *Memnona* v. III, 47, 85. — v. 55. *Buda*, metropolis Hungariae (Ofen). — v. 56. v. IV, 35, 33. ibid. *Strigonium* (Gran) oppidum Ungariae munitum ad Danubium. — v. 65. *Nicopolis* urbs Turciae Europaeae. — v. 67. *Antiochia* et *Damascus* urbes Syriae nobilissimae. — v. 94. *Strymon*, v. II, 17, 8. — v. 106. *Flavius* h. e. Constantinus. Cf. IV, 39, 4. — v. 135. *Alcides* i. q. Hercules; cf. IV, 1, 73. — v. 145. *Naupactaeus gurges*, a Naupacto

urbe Locrorum, nunc Lepanto. — v. 148. *Nereus*, v. II, 38, 18. — v. 149. *Toto patre* h. e. Aeolo sive vento. — v. 154. *Castor et Pollux* propitii navigantibus dii credebantur. Cf. I, 5, 17.

Ode II. v. 4. *Zoile*, v. III, 32, 15. — v. 21. *Formiano humore* pro vino generosiore; Formiae v. Formii oppidum Campaniae. — v. 23. *Tuccius* quis fuerit, non constat. Orellius putat poetam fortasse memoriae lapsu Tuccium confudisse cum Furio illo, quem festive consolatur Catullus Carm. XXIII. — v. 24. *Luculli*, v. III, 23, 9. — v. 25. *Catonis*, cf. II, 15, 32. — v. 27. *Theon*, poeta maledicus in omnes; cf. Hor. Epist. I, 3, 13: Theonino dente. — v. 26. *Manlianis Coss.* sc. Manlio Torquato et L. Aurelio Cotta anno U. C. 689. praestantissimum vinum nascebatur, quod reconditum fuerat a locupletioribus. Vid. intpp. ad Hor. Od. III, 21, 1. — v. 31 — 34. *Gobius* piscis et gammarus cancri marini species inter vilissimos cibos referuntur a Columella IX, 7. et Iuvenali Sat. V, 82. XI, 37. *Orell.* — v. 38. *Phasidis*, v. I, 1, 7. — v. 39. *Naso* cognomen Ovidii, qui exemplo Callimachi diras scripsit in malevolos, quas Ibin inscripserunt ambo. — v. 43. Ex Virg. Aen. II, 682 sqq. — v. 50. *Nasica*, v. IV, 42. 38. et Valer. Max. III, 7, 3. — 56. *Orpheus*, v. Epod. 12, 41. — v. 57. *Mome*, v. III, 32. 90. — v. 62. *Intonatus* i. q. attonitus, sensu veteribus non usitato. Cf. Hor. Epod. 2, 51. — v. 67. *Benign. iacere carb.* Alludit ad s. Pauli Epist. ad Rom. 12, 20.

Ode III. Cf. Hor. Epod. 11, 1. 2. 3. — v. 8. *Tago*, v. I, 25, 22. — v. 20. *Arsacii tori* i. e. Parthici vel regii, ab Arsace, primo Parthorum rege. Parthicae pelles, de quibus ut pretiosissimis et pulcer-

rimis tam frequens in libris mentio, pantherarum et pardorum erant pelles et tigrium. *Salmas.*

Ode IV. v. 3. *Ianus*, rex antiquissimus Italiae, cui sacratus est mensis Ianuarius, deus anni et pacis, Saturnum ad se confugientem benigne excepit. Hic igitur eiectus regno ab Iove filio suo latuit in Latio. Sub eodem aurea dicitur aetas fuisse. Pingitur ut senex nudus, instructus falce, vorans puerum. Habebatur deus temporis. — v. 13. *Alvarus*, Don Alvaro de Sandi Hispanus, praefectus militum in navali expeditione adversus Dscherben (insulam Lotophagorum Homeri) a. 1560. Cf. Hammeri Hist. R. Othm. vol. II. p. 300 sqq. — v. 25. *Partumeia* h. e. facilis ad pariendum. Hor. Epod. 17, 50. *P. servitus* i. q. ars obstetricia. — v. 30. *Alcmene*, v. IV, 1, 73. — v. 39. *Statorius* vocatur Iupiter, ut narrat Liv. 1, 12. propterea quod fugere prohibuit Romanos ac stare coegit. Cicero vero Cat. I, 13. Statorem appellat ut servatorem vel salvatorem.— v. 45. *Vespasianus* (Titus Flavius) septuagenarius correptus febri moriturus in Sabinis Caesarem, ait, decet mori stantem. — v. 54. *Sarranus imber* pro purpura. Sarra enim antiquum est nomen Tyri. — v. 57. Scripsi: *minus* pro: *parum*; cf. Od. IV, 43, 26. — v. 69. *Metalli nugientis* h. e. tauri Phalarei. — v. 70. Busiris, tyrannus Aegypti, qui sterilitatis tempore deis mactavit peregrinos, in his primum eius facinoris suasorem. — v. 77. *Prensare cristas cet.* cf. Od. IV, 42. 52. (III, 44, 15.)

Ode V. v. 40. Tillius, v. I, 42. 19.

Ode VI. v. 5. Praxiteles statuarius, (v. 6.) Zeuxis Heracleensis pictor nobilis. — v. 7. Antoninus Pius, Caesar Romanus, ab a. 138—161 regnavit.

— v. 18. Rupertus, Bavarorum apostolus, a quo baptizatus est Theodo, Bav. dux. — v. 18. *Titan* i. q. Sol; cf. I, 3, 2. — v. 21. *Dardanis* i. q. Romanis, cf. IV, 39, 24. — v. 22. *Phanes* (*Φάνης* numen mysticum in sacris Orphicis), hic pro Sole. — v. 23. *Avique probrum* i. e. Saturnus, Iovis pater.

Ode VII. Herder: Der Dichter, wetteifernd mit Ovid, malt sowohl eine fliehende als eine verwandelte *heilige* Daphne. — v. 10. *Tabernae* (sc. Alsatiae) h. e. Elsasszabern, oppidum. — v. 12. *Paris*, v. III, 36, 17. — v. 14. *Pallas* s. Minerva pro sapientia s. prudentia. — v. 17. *Morus*, v. I, 3. eiusque Epistolam ad Gonellum liberorum suorum praeceptorem in I. M. Saileri Briefe aus allen Jahrh. fascic. V. — v. 19. M. Tullii Ciceronis filia *Tulliola*, *Terentia* uxor. — v. 27. *Divae novenae* i. q. Musae. — v. 31. cf. Ovid. Met. I, 481: Saepe pater dixit: Generum mihi filia debes. Saepe pater dixit: Debes mihi, nata, nepotes. — v. 37. *Peneia* Daphne, v. 13, 51. — v. 38. *Naxio deo* i. e. Baccho, a Naxo insula Cyclade, ubi Ariadnen a Theseo relictam Bacchus duxit. — v. 48. *Noricum* regio Germaniae montosa, complectens partem Bavariae, Austriae, Tirolis. Eius ferrum et chalybs sunt celebrata; cf. Hor. Od. I, 16, 9. — v. 49. *Hyrcania* regio montosa Asiae prope mare Caspium, abundans tigribus. — v. 58. *Faunos*, v. II, 22, 20. — v. 62. *Iugi lumine*, ut Hor. Serm. II, 6, 2: iugis aquae fons; i. q. perenni, perpetuo. — v. 66. *Crinalis*, sc. fascia; cf. Ovid. Met. V, 53: curvum crinale. — v. 131. *Iolas*, (*Ἰόλαος* dor. *Ἰόλας*) vel Iolaus, Herculis comes coniunctissimus. At hic est pro quovis pastore, cf. Virg. Ecl. II, 57. III, 76, 79.

O d e VIII. v. 6. *Carystos* urbs Euboeae marmore nobilis. — v. 8. *Aquosa* i. q. alma, prospera, munifica. — v. 13. *Bandusiae* (Edd. Blandusiae) fons amoenissimus prope Venusiam. Hor. Od. III, 13, 1. — v. 14. *Lycormas* fluvius Aetoliae, flavae arenae; alibi Evenus. — v. 15. *Ladon*, fluvius Arcadiae placidissimus, lauris consitus, Apollini sacer. — v. 16. *Langia* fons in silva Nemeae. — v. 19. *Iacchus* i. q. Bacchus, a vociferando.

O d e IX. v. 2. *Chamaeleon* genus lacertae mutans colores. — v. 30. *Myrtilus*, Mercurii f., auriga Hippodamiae, uxoris Pelopis. — v. 35. *Nocte suda* h. e. serena; cf. Apulei Met. lib. XI: Coelum autem nubilosa caligine disiecta, nudo sudoque luminis proprii splendore candebat. — v. 39. *Cithaeron* (*Κιθαιρών*) mons Boeotiae sacer Baccho. *Ida* mons Phrygiae Cybeles cultu celebratus. — v. 43. *Moeris* nomen pastoris. Cf. Virg. Ecl. VIII, 95: Has herbas atque haec Ponto mihi lecta venena ipse dedit Moeris: nascuntur plurima Ponto. His ego saepe lupum fieri et se condere silvis Moerin (vidi). — v. 46. *Ogulnia* gens Romana. — v. 65. *Anticyra* oppidum Thessaliae ad Maliacum sinum, ubi nascuntur herbae medicae, praesertim helleborus ad curandam insaniam. Hinc adagium: pete Anticyram, h. e. fac ut cureris ab insania. Cf. Hor. Sat. II, 3, 83. Est etiam Anticyra oppidum Phocidis maritimum, ubi sesamo condiebant helleborum. *Ἀντίκυρα* et *Ἀντικῦρα*, unde Gr. proverbium: *Ἀντικύρας σοι δεῖ*. — v. 67. *Canaria* sc. insula. — v. 68. cf. Hor. Od. I, 38, 1. — v. 70. *Ledae filia* (abl.) h. e. Helena. Cf. I, 2. — v. 105. *Funis Spartanus* h. e. sancta paupertas.

Ode XI. *Stagira* (orum), Macedoniae oppidum Aristotelis natale. Cf. Hor. Od. I, 3: sunt quos curriculo pulverem Olympicum Collegisse iuvat.

Ode XII. v. 7. *Lamiae* gens Romana Aeliorum, unde apud Iuven. Sat. VI, 384: Quaedam de numero Lamiarum: pro quavis Romana foemina illustri. *Metellus* cognomen Caeciliae familiae Romanae clarissimae. Cf. Iuv. Sat. VI, 265: Dicite vos neptes Lepidi caecive Metelli. — v. 10. *Gracchi Cornelia*, P. Cornelii Scipionis filia, T. Sempronii Gracchi uxor, mater generosa generosae prolis, Titi et Caii Sempronii Gracchi. Cf. Iuv. Sat. VI, 167: Malo Venusinam, quam te, Cornelia mater Gracchorum, si cum magnis virtutibus affers Grande supercilium, et numeras in dote triumphos. — v. 17. *Trivia* i. q. Diana (gr. *Τριοδος* vel *Τριοδίς*). — v. 18. *Lacaenas* h. e. Helenas. — v. 22. *Sithonia* i. q. Thracia, a Sithone monte. *Lac ungentis asellae.* V. Od. II, 39, 95. — v. 25. *Briseis*, filia Brisae, i. e. Hippodamia ab Achille capta et amata. — v. 32. *Indubito*; cf. Virg. Aen. VIII, 404: absiste precando Viribus indubitare tuis. Stat. Sylv. III, 5, 110. — v. 33. *Calpurnia* alia Antistii uxor, quae occiso marito sibi conscivit necem; alia Iulii Caesaris uxor quarta. Herder: jene dreiste Römerin, die das Edict veranlasste, dass künftig kein Weib in Person ihre Sache vor Gericht treiben sollte. — v. 36. *Pentheus*, rex Thebarum, Cadmi nepos, qui ob contemta Bacchi sacra a matre Agave eiusque sororibus vivus discerptus est. Ovid. Met. III, 514, sqq. — v. 41. *Orpheus* Appollinis et Calliopae filius a matre accepit artem musicam, in qua adeo excelluit, ut arbores et saxa et feras ad saltandum commoveret, ventos ac flumina sisteret. Is Eurydice uxo-

re ex morsu serpentis mortua inferos adiit tamque dulciter cecinit, ut omnes inferi obstupescerent, et Pluto illi redderet umbram seu animam Eurydices; hac tamen lege, ut si Orpheus respiceret antequam egressus esset orcum, illa remanere cogeretur. Orpheus vero ductus amore et curiositate respexit et uxorem denuo perdidit. Postea coepit omnes odisse mulieres, et solus in Rhodope, Haemo aut Pangaeo montibus habitans musicam exercere, aliosque dehortari viros ab amore mulierum. Hinc Thraciae mulieres Bacchae furentes in eum irruunt ac discerpunt. Ovid. Met. X. et XI. Hor. Od. I, 22. — v. 46. *Aoniis*, v. I, 25, 2. — v. 51. *Peneida* i. q. Daphnen, a Peneo fluvio, qui inter Ossam et Othrym fluit, et ad quem Daphne in laurum mutata est. — v. 52. Pierides, v. I, 43, 7. — v. 59. *Sabinas* (v. III, 32, 55.), exempla fidei ac obedientiae. — v. 62. Echo, v. III, 19, 14 — v. 64. *Hecube*, uxor Priami, Troia capta prae dolore mutata est in canem. — v. 75. *Infringo*, dextrum pollicem. Cf. Stat. Achill. 575: digitosque sonanti Infringit citharae. — v. 78. *Sappho*, nata Mitylenes Lesbi, poetria aequalis Alcaei. — v. 84. *Penetope*, uxor Ulyssis, constantia et castitate insignis. — v. 98. *Lucina*, h. e. Diana vel Iuno, quae partubus adest. Cf. Hor. Od. III, 22, 3. Epod. 5, 6.

Ode XIII. Herder: Dieser stille Schmerz, diese hohe Ergebung sammt dem Blick, der beide Leidende verbindet, hat in Poesie und Kunst unter dem Namen der *mater dolorosa* den stärksten und zartesten Ausdruck gefunden.

Ode XIV. Cf. Apocal. c. XII. — v. 8. *Atreus*, v. II. 13, 61. — v. 9. *Colchicae* sc. veneficae, qualis Medea. — v. 18. *Apellarum* i. q. Iudaeorum, cf.

Hor. Sat. I, 5, 100. — v. 21. *Gyges*, pulcher iuvenis Gnidius. Hor. Od. II, 5, 20. III, 7, 5. — v. 22. *Hylas* iuvenis Herculis Argonautae socius, qui ex fonte hauriens aquam a Nymphis arreptus est in undas. — v. 23. *Crispus* filius erat Constantini M. Tentatur a Fausta noverca adolescens. Repulsa vero a castissimo lata iuvene ira inflammata incusat eum apud patrem de libidine. Is causa incognita praeceps iubet natum occidi. Comperta vero falsitate splendidum adornari balneum, in eoque uxorem Faustam suffocari iubet. — v. 24. *Phaedra*, uxor Thesei, Hippolytum privignum pulchritudine insignem amat impure. Illo flagitium detestante vindictam quaerens impudica noverca apud maritum libidinis accusat insontem, qui iratus a Neptuno petit, ut ab equis discerpatur marinis iuvenis. — v. 25. *Getae*, v. I, 37, 12. — v. 41. *Cretatus* h. e. ornatus ut victima vel ad immolandum. Etiam i. q. candidatus. — v. 80. *Thyesti*, v. II, 13, 61.— v. 90. *Antiochus*, Seleuci f. secundus, Syriae rex, crud. Iud. tyr. — v. 92. *Sorores* i. e. Furiae tres. — v. 95 *Tityus* Latonae tentator in orco laniatur a vulture aut aquila. Cf. Virg. Aen. VI, 596. et Hor. Od. II, 14, 8. *Phlegyae satus*, h. e. Ixion, cf. Epod. 16, 36. Sic emendavi Baldei *Phlegyae pater* sine dubio volentis significare Ixionem filium. Phlegyae enim pater est Phorbas. — v. 97. *Sisyphus*, v. III, 47, 102.

Ode XV. v. 1. *Gustavi* sc. Adolphi, v. ad IV, 1, 86. II, 26, 11. 2, 18. — v. 3. *Octavus* sc. Urbanus Pont. Max. — v. 4. *Tertius* sc. Ferdinandus Imperator. — v. 7—8. *Dorstensonius* et *Hornius*, practores Suecorum; cf. II, 18, 36.

Ode XVI. v. 15. *Adeodatus*, Augustini filius. — v. 17. *Alipius* eiusdem sodalis atque amicus coniunctissimus. — v. 24. *Aegides*, h. e. Theseus, Aegei filius; cf. Epod. 7, 38. — v. 31. Cf. Hor. Epod. 17, 64: Novis ut usque suppetas doloribus. — v. 36. *Ixion*, Phlegyae filius, ausus Iunonem tentare a Iove ad tartara missus est, ubi rotae volventi alligata eius membra perpetuo laniantur. — v. 38. *Tantalus*, v. I, 9, 30. — v. 60. *Aglaia*, *Thalia* et *Euphrosyne* nomina sunt trium Gratiarum vel Charitum. — v. 1 *Canidia* saga, anus libidinosa; v. Hor. Epod. 12, 17. — v. 4. *Alcides* i. e. Hercules; cf. IV, 1, 73. Huic Deianira uxor vestem cruore Nessi venenatam muneri misit, qua indutus mox vi veneni confectus ac rogo a se ipso structo impositus in flammis exspiravit. — v. 6. *Iolcos* urbs Thessaliae, patria Iasonis. Thessalia veneficiis celebris. Cf. vs. 38. *Circe*, v. I, 22. 8.

Ode XVII. v. 5. *Nisa* pulchra quaedam puella, Damonis amica. Virg. Ecl. VIII, 18. Item *Pholoe*, cf. Hor. Od. I, 33, 9. Od. II, 5, 17. III, 15, 7. *Amyntas* pastoris nomen apud Virg. *Phyllis* puellae nomen fictum, ut et Mopsi pastoris, apud eund. et Hor. — v. 18. *Deianira*, v. Epod. XVI, 2. 4. — v. 29. *Sicanios Molossos*; cf. II, 32, 11.

Ode XVIII. v. 5. *Sophos*, cf. Phaedr. fab. III, 14, 9. — v. 64. *Libitina*, v. II, 39, 56.

Ode XIX. v. 6. *Agathyrsus* est titulus poematis Baldaei, encomium Macilentorum. Agathyrsi caeterum sunt populus borealis Scythiae, ubi hodie Transsilvania. — v. 45 *Hoc opus*; cf. Virg. Aen. VI, 128. 29. — v. 45. *Trade Notis* cet. cf. Hor. Od. I, 26, 2: Tradam protervis in mare Creticum portare ventis·

Ode XX. v. 10. *Fratres* sc. Eteocles et Polynices. — v. 12. *Proteus*, v. II, 39, 46. Cf. Hor. Od. I, 2, 7 sqq. — v. 13. *Tritonum*, v. I, 5, 38. *Satyri bimembres*, pedibus sc. caprinis. — v. 14. *Scylla*, v. II, 32, 14. — v. 15. *Arion*, natus Methymnae Lesbi, cantus sui suavitate allexit delphines. Cf. Herod. Hist. I. et Ovid. Fast. II. — v. 16. *Orpheus*, v. 12, 41. — v. 31. *Bootes*, v. III, 1, 105. — v. 37. *Hercynio luco* vel saltu Germaniae latissime patente; v. Tac. Germ. 30. Ann. II, 45. Caes. B. G. VI, 24, 25. — v. 38. *Moravas urbes* sc. Moraviae (Maehren) provinciae vicinae Bohemiae, cui Moravus fluvius nomen indidit. — v. 41. *Enceladus*, unus gigantum. Virg. *Trinacria* antiquiss. nomen Siciliae (τρεῖς ἄκραι). — v. 43. *Veseri*, v. III, 16, 40. — v. 45. *Calabria*, provincia Italiae inferioris inter Adriaticum et Ionicum mare. — v. 51. *Amphiaraus*, vates et rex Argivorum, ante Thebana moenia unacum curru suo et equis a terra absorptus est vivus. — v. 57. *Arcton*, v. III, 1, 19. 7, 14. — v. 58. *Erigone*, v. I, 5, 40. — v. 98. *Histrioniam facit*. Plaut. Amph. prol. 90.

Ode XXI. *Minoressa* vel Minorissa est Manresa parvum Cataloniae oppidum, ubi s. Ignatius annum commoratus Deo sese devovit. Alloquitur poeta divam societatem mortalcis miseratam casus, quam prima Minoressa parvis cepit cunis Hispani patris (h. e. Ignatii) ex flagranti vulnere natam. Eadem porro appellatur pulcer Ignatii Mariaeque sanguis (i. e. filia) unde diffusum (h. e. propagatum est) sociale (Iesuitarum) foedus in hanc usque aetatem universumque paene orbem terrarum. — v. 22. *Herculis Calpe*, altera columnarum; hodie Gibraltar. — v. 40. *Thule*, v. I, 9, 7. *Peuce* insula ante ostia Istri.

— v. 41. *Mons* iunge cum *tamen ambulatur*.— v. 44. *Gryphes* fabulosae aves quadrupedes. Virg. Plin. — v. 47. *Sola* sc. virtute. — v. 54. *Moluccae* insulae Asiae in Oceano orientali, quas invenit Ferdinandus Magellanus (Magelhaens) Lusitanus. — v. 56. *Maeotis*, v. II, 27, 23. Niphates mons inter Armeniam, Mediam et Assyriam, unde Tigris fl. oritur. — v. 61. *Iapyx*, Westnordwestwind. — 63. *Seres*, populus Asiae orientalis, unde vestes sericae Romanorum. — v. 65. *Inversae pellis* i. e. mutatae, aliter coloratae. Cf. Sil. XVI, 569: Albentes invertere lanas Murice Gaetulo. — v. 87. *Sacra Cosmae et Damiani astra* h. e. dies festus, qui celebratur 27. Septembris. Herder: Ein grosses Stück, das die ganze Geschichte des ersten Jahrhunderts der Gesellschaft (imaginem primi saeculi) in lyrischem Fluge darstellt: eben diese ganze Geschichte ist also Commentar des Liedes. Der letzte Wunsch ist des Dichters würdig. Cosmas und Damianus waren beide Liebhaber der feineren Wissenschaften, und dabei voll Eifer für Religion und Sitten gegen herrschende Missbräuche und freche Lebensart. Solche wiederkehrende Sterne, die den Eifer fürs Gute mit dem Geschmack fürs Schöne verbänden, wünschte Balde seiner Gesellschaft.

Ad Lectorem epilogus.

Dedecori Christiano esse nomini si nostra aetate clarissimus unus Latinitatis arbiter*) asseverare ac de cathedra praedicare academica non dubitavit, non lectitari explicarique Christianis in scholis Lyricorum huius nominis praeclara poemata, Horatium aequiparantia: quid est, quod haec carmina, quae quum gravitate ac venustate rerum, tum poeticae dictionis elegantia et gratia tantopere excellant, nostrae tradere iuventuti haesitemus? Nimirum integrum iuvenis pectus ex fonte purissimo sapientiae verba adbibere desiderat: antiquos vero poetas non rarius libidinum iaculari ignes, quam semina spargant virtutum, constat inter omnes. Quamobrem Archilochum poetam egregium, sed impudicorum scriptorem versuum Lacones una cum libris eius urbe expulisse legimus. Atqui maxima certe debetur reverentia puero. Nec eadem est quam laudant illi probitatis ratio atque nostrorum. Nam si causam quaeras unde virtutes commendentur ab istis, nunquam non naturalem reperies; persaepe quae est vitiorum ac sceleris eadem radix, idem fons. At enimvero hoc longe secus est apud eum, modo quem illustravimus, poetam. Huius enim laudationum omniumque causa actionum suprema semper ipsum est summum Numen, quae est omnis verissima una laudis nobilitas atque praestantia. Age assuescat sacra progenies amare coelestia divinisque accendi virtutibus. Non

*) Carolus Fried. Heinrichs prof. in academia Bonnensi anno superiore defunctus.

loquar hic de tanti ingrata atque iniuriosa patrii poetae oblivione. Non hic eorum demirabor errorem, qui quum divites sint margaritis, gaudeant ornenturque lectis de torrente silicibus. Mitto praeterita. Neque enim facile quisquam veterum vivus in scholis tritus est poeta. Falernum probatur vetustate. Nos vero non ad usum scholarum tantummodo Horatium Germanicum, ut merito est dictus, nova hac resuscitavimus editione, verum etiam ad eorum, qui quae quondam in ludis didicerunt pueri, horis subsecivis libenter recolunt, vel delectationem vel animi consolationem. Tironum servituras studio atque literarum amantium otio adiectas habes annotationes breves; enodandas vero poetae sententias non placebat exercendis iuvenilibus praeripere ingeniis. In illis nihil, quod usui esset, neglexi eorum, quae ante me annotaverunt Herderus, Orellius, Neubigius, ne quid in hac editione desideraret lector. In constituendo textu usus sum antiquioribus editionibus omnibus, Monacensi utraque scilicet et Coloniensi, quarum Monacensis altera nonnullas praebet emendationes probissimas; utrum vero Baldaci manu scriptas, an Societatis non liquet. Expungenda interpunctione vetere multum scriptori affudisse lucis mihi videor. Vale iam tibi dicens, Lector benigne, ex eadem illa Societatis editione Monacensi a. 1729. propter fidem historicam adiungam vitae descriptionem poetae.

Vita Baldaei.

Iacobus Balde, celebre Musis nomen, superioris seculi anno tertio aspexit lucem. Ensishemium illi natale solum fuit, nobilis Alsatiae civitas, ex alumno suo etiam nobilior futura. Suprema philosophiae et artium laurea donatus, ad Ius civile primo applicuit animum; dein vero rebus spebusque, quae affulgebant, haud vulgaribus, mundo relictis, divino motore Spiritu totum se Christi dedicare servitio constituit ac sequelae. Superioris Germaniae provinciam elegit, ubi in Societatem nostram admitteretur et tyrocinium. Patuit egregio iuveni Landspergae aditus, annum aetatis vigesimum primum agenti. Post iacta religiosae vitae principia ad humaniorum litterarum tractationem tum Superiorum voluntate, tum suopte quodam genio applicatus, ea continuo edidit specimina eminentis ingenii, ut facile, in quantum Musarum antistitem evasurus esset, pateret observantibus.

Rhetorices praecepta tum Ingolstadii, tum Monachii cum plausu ingenti fructuque praelegit, a magnis etiam viris et Principibus excepta discipulis; adeo ut vel procul remotos ab ipsa Polonia exciret fama tanti magistri, tanquam novum aliquem Quintilianum audituros. Eo tempore Iephtiadem in theatrum produxit Anglipoli, versuum gravitate et affectuum dexteritate admirabilem. Calybitam non minore artificio compositum et Monacensibus ludis datum nescio quae plagiaria manus invidit posteris; iactura tanto tristiore, quanto uberiores erant

lacrymae, cum spectaretur, septem omnino horis et motu et gustu auditorum sine fastidio perdurante.

Neque tamen in hoc officii genere solum tanta cum laude versatus est. In exedra etiam ecclesiastica annis aliquot potens orator ad potentes dixit. Biennio admodum ad Maximilianum I. Bavariae Ducem et Electorem eiusque aulam Monachii. Inde eiusdem Principis voluntate ad prosequendam Boicarum rerum historiam a Brunnero ultra umbilicum iam productam admotus equidem plus annuo spatio haud perduravit: sed ob eiusmodi causas, quae Iacobo tam erant honorificae, quam aliis ut affricentur non necessariae. Collegit nihilominus copiosam rerum eo facientium sylvam, quae etiamnum Monachii asservata insigne testimonium dat Baldeanae non minus industriae, quam prudentiae.

Quanquam alio teste opus non est, quam multiplici laboris fructu oculis subiecto. Lege eius Poematum tomos, lector optime, si otiosus es; et quam otiosus esse potuerit auctor, intelliges. Nullum certe inter Latinos poetas hactenus extitisse scio, qui Baldeum et multitudine poematum, et diversitate vicisset. An vero ille plerosque non vicerit ingenio, alterius iudicium esto. Quod inter alia singulare habuit, erat haec ipsa ingenii felicitas coniuncta cum admirabili industria et laboris patientia. Nihil effudit in publicum entheus. Omnia ad limam plus quam decies revocabat et poliebat ita, ut omnino effusa viderentur facilitate naturae, non artis labore. Non sine veneratione inspexeris chartas illas ad posterorum memoriam in Monacensibus scriniis repositas, quae poeticos Iacobi partus primitus exceperant. Pluribus saepe lituris ornantur quam

lineis. Nec grave illi fuit tertium quartumque verbum periclitari, dum prodiret aptissimum. Una nonnunquam linea sustulit, quod hora plus quam una parturiit. Alienissimus nempe erat a simiarum indole, nihil eorum, quae aliquando protulere, non basiantium. Aetatem latura in annum premenda monebat; saepe auctoris virgulam subire debere, quod posteritatis oculos olim auderet subire. *Ut male parta*, aiebat, *male: ita cito parta dilabuntur cito.* Unde ferre non poterat, qui Musas ad turpissimam servitutem cogerent, et nunc ad sistendos puerorum vagitus, nunc ad pingenda sponsarum flammeola, nunc ad sepelienda magna cadavera, extemporali promptitudine accinctas vellent; tanquam versus ut fungi unius noctis spatio innumeri protrudi possent. Legi ea popter meretur elegantissima *de studio poetico Dissertatio*, quam *Torvitatis encomio* praefixit.

Caeterum argumenta elegit plerumque sterilia tanquam solum ab omni colono destitutum. Sed nihil tam saxosum fuit et aridum, quod inventionum foecunditate non ad elegantias usque excoleret; nihil tam humile, quod ille non magnum redderet et Apolline dignum. Nullum poetices genus intactum reliquit. Ex omni partus vere nobiles produxit, ad ipsa adeo Romanae poeseos adhuc balbutientis incunabula eluctatus, cum *Enniis*, *Luciis*, *et Pomponiis Atellanis Osce* et *Casce* non obiter ausus colloqui. Multum delectari videbatur Satyricis. Iuvenalem et Persium tam clarum nobis reddidit, quam innoxium. Ea vi genuinum in rebus ludicris sine ullius damno exercebat, tanquam serio irasceretur; et ridendo tam valentes veritates imprime-

bat moribus, ut omnibus prodesset. In Lyricis tamen omnium aestimatione dominari est visus; et inter eos, qui in hoc carminis genere versati sunt, tanquam modimperator quidam habitus. Unde a clarissimis Viris non nisi *Germaniae Horatius*, honorificentissima compellatione dicebatur. Huic equidem, ut principi, etsi Baldeus nunquam non assurgeret, fuere nihilominus, qui dubitarent, an Flacco plus concedere deberet, quam temporis praerogativam. In primaria Romani imperii civitate a Senatoribus ambitiose certatum est pro calamo, quo usus est Iacobus. Qui obtinuit, argento inclusum suae in virum aestimationis perpetuum monumentum esse voluit. Itali, Galli, Belgae optassent civem. Ipse Pontifex Alexander eo nomine VII. *Uraniam* extremis equidem optimi senis laboribus concinnatam adeo probavit, ut missa ad ipsum aurea sui effigie, quo animo dedicatum sibi opus vatemque susciperet, testari publice sit dignatus.

Iacobus Pontificium munus Deiparae Virgini anathema Neoburgi suspendit, ut intelligeres, quam Palladem coleret, a qua laurum speraret. Mariana lilia et verecundas rosas spirant ubique versus Baldeani. Alias fides eius lyra ignorat, quam quas castissimus Agnus suffecit. Septuaginta omnino odae solum in Lyricis et Sylvulis reperiuntur, quibus Superum Reginae amores canit et laudes, tam foecundo semper ingenio quam pio; ut erubescere discerent lascivi oscines et infames poetae, quibus continuo vox haeret, nisi prostibula cantanda sint; et vena exarescit, nisi describendae sint Cynthiae, aut pingendi Adonides. Unde non minorem e laboribus suis utilitatem collegit, quam famam; cum

non pauci fuerint, qui profiterentur, se vel singularia pietatis virtutisque incitamenta, vel rerum humanarum contemptum non sine voluptate hausisse e Poematum ipsius sacratiorem utique Phoebum spirantium lectione.

Inter applausus tam communes quam sibi non ignotos sui ipse semper memor, modestiae oblitus nunquam, despicere solebat neminem, colere omnes; et ut erat, amoenissimi ingenii conversatione demereri; laudum tamen aeque ac vituperiorum Stoicus contemptor. Uti censuris sua scripta subiiciebat lubens, ita, si iniquiores ferebantur, non irasci solebat invidiae, sed misereri ignorantiae. Corpori indulgebat nihil, parcus cibi potusque, eiusque admodum vulgaris. Cultus externi negligens, interni studiosissimus. Nunquam id magis patuit, quam decrescente paulatim aetate, et increscente, ad quam pronus erat, hectica. Subtrahere se tunc consortiis hominum; suspirare coelestia, et solis colloqui Superis. Pedes sustinendo corpori penitus fracto exhaustoque neutiquam pares erant. A patrando igitur ad aram sacrificio abstinere cogebatur. Trahebat nihilominus collectis, quae supererant, virium reliquiis corpus debile in templum publicum, ad ipsam usque sacrificantis aram, ubi divinae quotidie rei genibus innixus tanto cum pietatis sensu intererat, ut qui spectarent viri sanctimoniam, ingenii dotibus, etsi maximae fuerint, longe haberent maiorem. Ultimo biduo nulli mortalium nisi quae parando ad coelum viatico conducerent, loqui voluit. Eo, ut confidimus, abivit V. Id. Aug. Ann. MDCLXVIII. Neoburgi ad Danubium.

Metra Horatiana, quibus in Odis usus est Jacobus Balde.

I. Metrum Asclepiadeum primum, *μονόκωλον μονόστροφον*, versum Asclepiadeum minorem usque repetens.



I, 1.
IV, 38.

II. Metrum Asclepiadeum secundum, *δίκωλον δίστροφον*, quod ex versu Glyconico et versu Asclepiadeo minori alternatim se excipientibus compositum est.



I, 9. 13. 18. 21. 23. 25. 27. 30. 43.
II, 5. 7. 18. 27. 47.
III, 27. 33. 39. 43. 46.
IV, 4. 17. 40. 42.

III. Metrum Asclepiadeum tertium, *δίκωλον τετράστροφον*, constans ternis versibus Asclepiadeis minoribus, quos subsequitur versus Glyconicus.



I, 6.
II, 33.
III, 13. 41.

IV. Metrum Asclepiadeum quartum, *τρίκωλον τετράστροφον*. Constat ex Asclepiadeo versu minori bis posito, versu Pherecratio et Glyconico.



I, 4.
II, 14. 37. 43.
III, 9. 40.
IV, 5. 13. 20. 26.

V. Metrum Asclepiadeum maius, *μονόκωλον μονόστροφον*; versum Asclepiadeum maiorem usque repetens:



I, 17.
IV, 6.

VI. Metrum Sapphicum, *δίκωλον τετράστροφον*. Ter repetit versum Sapphicum minorem sequenti Adonico.



I, 2. 7. 10. 14. 19. 29. 32. 35. 38. 42.
II, 2. 4. 9. 11. 13. 19. 21. 24. 29. 32. 38. 40. 45.
III, 2. 5. 7. 10. 14. 18. 20. 22. 25. 28. 32. 35. 38. 44. 48.
IV, 7. 9. 12. 15. 21. 27. 30. 32. 34. 43. 46.
Epod. 21.

VII. Metrum Sapphicum maius, *δίκωλον δίστροφον*. Habet versum Aristophanicum et Sapphicum maiorem alternatim positos.



II, 42.

VIII. Metrum Alcaicum, *τρίκωλον τετράστροφον*. Binos exhibet versus Alcaicos hendecasyllabos, versum Alcaicum enneasyllabum, denique versum Alcaicum decasyllabum.



I, 3. 5. 8. 11. 12. 15. 16. 20. 22. 24. 26. 28. 31. 33. 34. 36. 37. 39. 40. 41.
II, 1. 3. 6. 8. 10. 15. 16. 17. 20. 22 23. 25. 26. 28. 30. 31. 33. 34. 35. 39. 41. 44. 46. 48. 49.
III, 1. 3. 4. 6. 8. 11. 15. 17. 19. 21. 23. 24. 26. 29. 31. 34. 36. 37. 42. 45. 47.
IV, 1. 2. 3. 8. 10. 11. 14. 16. 19. 24. 25. 28. 31. 33. 35. 37. 39. 41. 44. 45. 47. 49.

IX. Metrum Archilochium primum, *δίκωλον δίστροφον*. Hexametro heroico subiectus est versus Archilochius minor.



III, 12.

IV, 18, 48.

Epod. 19. Addito versu iambico dimetro acatalecto s. quaternario: Epod. 5. 6, 10. 12.

X. Metrum Archilochium secundum deest in Baldaei Lyricis.

XI. Metrum Archilochium tertium, *δίκωλον δίστροφον*. Post versum iambicum senarium sequitur versus elegiambus.



Epod. 3, sed alia divisione. Cf. Hor. Epod. 11.

XII. Metrum Archilochium quartum, *δίκωλον δίστροφον*, compositum ex versu Archilochio maiori et versu iambico trimetro catalecto.



IV, 22. 23.

XIII. Metrum Alcmanium, *δίκωλον δίστροφον*. Hexametro heroico subiectus est versus dactylicus tetrameter catalectus.

— ∪ ∪ — ∪ ∪ — ‖ ∪ ∪ — ∪ ∪ — ∪ ∪ — ∪
— — — — — ‖ — — —

— ∪ ∪ — ∪ ∪ — ∪ ∪ — ∪
— — — —

II, 50.
III, 16.
IV, 29. 36.

Epod. 17.

XIV. Metrum iambicum primum, *μονόκωλον μονόστροφον*, quod semper versum senarium repetit.

∪ — ∪ — ∪ — ∪ — ∪ — ∪ —
— — — ‖ — — —

Epod. 16.

XV. Metrum iambicum secundum, *δίκωλον δίστροφον*, in quo versus iambicus senarius et quaternarius alterna vice se invicem sequuntur.

∪ — ∪ — ∪ — ∪ — ∪ — ∪ —
— — — ‖ — — —

∪ — ∪ — ∪ — ∪ —
— — — —

Epod., 2. 4. 8. 9. 11. 13. 14. 18.

XVI. Metrum pythiambicum primum, *δίκωλον δίστροφον*. Hexametrum heroicum (qui et versus pythius nominatur) excipit versus quaternarius.



Epod., 7. 15.

XVII. Metrum pythiambicum secundum, *δίκωλον δίστροφον*. Hexameter heroicus cum versu senaris.



Epod., 1. 20.

XVIII. Metrum trochaicum, *δίκωλον δίστροφον*. Ex versu constat trochaico heptasyllabo et iambico trimetro catalecto, quos, si *ἀσυναρτήτως* connectis, tamquam seriem trochaicam novem pedum recitare potes.



III, 30.

XIX. Metrum ionicum a minore, *μονόκωλον μονόστροφον*, usque revolvens versum ionicum a minore tetrametrum.

υ υ — — υ υ — — υ υ — — υ υ —

Metrum hoc alii alio modo dividunt; Balde sic:

υ υ — — υ υ — — υ υ — —
υ υ — — υ υ — — υ υ — —
υ υ — — υ υ — — υ υ — — υ υ — —
II, 12. —

Syllabus Odarum adiecto metro, cui quaeque convenit.

Lib.	Od.	Metr.	Lib.	Od.	Metr.
I.	1.	I.	I.	20.	VIII.
	2.	VI.		21.	II.
	3.	VIII,		22.	VIII.
	4.	IV.		23.	II.
	5.	VIII.		24.	VIII.
	6.	III.		25.	II.
	7.	VI.		26.	VIII.
	8.	VIII.		27.	II.
	9.	II.		28.	VIII.
	10.	VI.		29.	VI.
	11.	VIII.		30.	II.
	12.	VIII.		31.	VIII.
	13.	II.		32.	VI.
	14.	VI.		33.	VIII.
	15.	VIII.		34.	VIII.
	16.	VIII.		35.	VI.
	17.	V.		36.	VIII.
	18.	II.		37.	VIII.
	19.	VI.		38.	VI.

Lib.	Od.	Metr.	Lib.	Od.	Metr.
I.	39.	VIII.	II.	27.	II.
	40.	VIII.		28.	VIII.
	41.	VIII.		29.	VI.
	42.	VI.		30.	VIII.
	43.	II.		31.	VIII.
II.	1.	VIII.		32.	VI.
	2.	VI.		33.	III.
	3.	VIII.		34.	VIII.
	4.	VI.		35.	VIII.
	5.	II.		36.	VIII.
	6.	VIII.		37.	IV.
	7.	II.		38.	VI.
	8.	VIII.		39.	VIII.
	9.	VI.		40.	VI.
	10.	VIII.		41.	VIII.
	11.	VI.		42.	VII.
	12.	XIX.		43.	VI.
	13.	VI.		44.	VIII.
	14.	IV.		45.	VI.
	15.	VIII.		46.	VIII.
	16.	VIII.		47.	II.
	17.	VIII.		48.	VIII.
	18.	II.		49.	VIII.
	19.	VI.		50.	XIII.
	20.	VIII.	III.	1.	VIII.
	21.	VI.		2.	VI.
	22.	VIII.		3.	VIII.
	23.	VIII.		4.	VIII.
	24.	VI.		5.	VI.
	25.	VIII.		6.	VIII.
	26.	VIII.		7.	VI.

Lib.	Od.	Metr.	Lib.	Od.	Metr.
III.	8.	VIII.	III.	39.	II.
	9.	IV.		40.	IV.
	10.	VI.		41.	III.
	11.	VIII.		42.	VIII.
	12.	IX.		43.	II.
	13.	III.		44.	VI.
	14.	VI.		45.	VIII.
	15.	VIII.		46.	II.
	16.	XIII.		47.	VIII.
	17.	VIII.		48.	VI.
	18.	VI.	IV.	1.	VIII.
	19.	VIII.		2.	VIII.
	20.	VI.		3.	VIII.
	21.	VIII.		4.	II.
	22.	VI.		5.	IV.
	23.	VIII.		6.	V.
	24.	VIII.		7.	VI.
	25.	VI.		8.	VIII.
	26.	VIII.		9.	VI.
	27.	II.		10.	VIII.
	28.	VI.		11.	VIII.
	29.	VIII.		12.	VI.
	30.	XVIII.		13.	IV.
	31.	VIII.		14.	VIII.
	32.	VI.		15.	VI.
	33.	II.		16.	VIII.
	34.	VIII.		17.	II.
	35.	VI.		18.	IX.
	36.	VIII.		19.	VIII.
	37.	VIII.		20.	IV.
	38.	VI.		21.	VI.

Lib.	Od.	Metr.	Lib.	Od.	Metr.
IV.	22.	XII.	IV.	47.	VIII.
	23.	XII.		48.	IX.
	24.	VIII.		49.	VIII.
	25.	VIII.	Epod.	1.	XVII.
	26.	IV.		2.	XV.
	27.	VI.		3.	XI.
	28.	VIII.		4.	XV.
	29.	XIII.		5.	IX.
	30.	VI.		6.	IX.
	31.	VIII.		7.	XVI.
	32.	VI.		8.	XV.
	33.	VIII.		9.	XV.
	34.	VI.		10.	IX.
	35.	VIII.		11.	XV.
	36.	XIII.		12.	IX.
	37.	VIII.		13.	XV.
	38.	I.		14.	XV.
	39.	VIII.		15.	XVI.
	40.	II.		16.	XIV.
	41.	VIII.		17.	XIII.
	42.	II.		18.	XV.
	43.	VI.		19.	IX.
	44.	VIII		20.	XVII.
	45.	VIII.		21.	VI.
	46.	VI.			

JACOBI BALDE

SOC. JES.

CARMINA LYRICA.

RECOGNOVIT

ANNOTATIONIBUSQUE

ILLUSTRAVIT

P. BENNO MÜLLER O. S. B.,

PHIL. ET SS. THEOL. DOCTOR, H. T. GYM. PROF. ET RECTOR.

PERMITTENTE SUPERIORE.

EDITIO NOVA.

RATISBONAE.

ALFRED COPPENRATH.

UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
875.1B19C2 C001
JACOBI BALDE SOC. JES CARMINA LYRICA. RA
3 0112 023728329